VALENTINE ANDREA

SELENIANA
AUGUSTALIA

cf. Freytagii Apparat. ...nar

T. III. p. 549.

Sponsus sponsam casu ferit lethaliter. 299.
Jesuitae 4 Societatem relinquunt 162.
Fontis Salubris descr. 169
Atrium Heroicum Oenipont 280.
Jubilaeum matrimoniale Wannbuleri 282.
novi Principum Reip. detrimentum p. 256.
Conradus Schottus 579 et sq.
gemelli exsecti ex utero matris 362
Ignis quo petrafus 446
Nugator Keyl — — 422. 425
05 Atheismus et barbaries in aula Christiana.
Paradisi et olivati comparatio. 389.
Mundi increpatores odio sunt 332
Confessorum interiora beluina sunt 333.
Mortis paravij morbi 284
Cornelij Veneti Reiuvenescentia 292.
Aula ingratitudinis fert notam. 87.
Durer, pro malo Oeconomo traductus 311.
Paulus Denischig et 227.
Animal humanum 366
Supini qui 290
Ecclesia Sagina deterior 250.
Jesuitae aularum exploratores p. 164.


SVFFICIT.
N.
MDLX
XXVI
AVG
XVII
IOH: VALENTINVS
ANDREÆ.



xr. Martini Grundmanj. 1660

SELENIANA AUGUSTALIA

incepta

Anno c I ɔ I ɔ c *XLIII*.

I.

Cum Principe

RUDOLPHO AUGUSTO.

SERENISS. DOMVS GVELFIC.
FLORI ILLVSTRISS.

D. RUDOLPHO AUGUST

MAGNI

AUGUSTI

BRVNOVICENS. ET LVNÆBVRG.
DVCIS INCLVTI

FILIO PRIMO

PRINCIPI JVVENTVTIS.

IN SPEM PATRIÆ MAXIMAM NAT
ET DATO

DE NATALI XVII. AVSPICATISS.

QVI XVII. KAL. IVNII

QVO OLIM MANNA COELO PRIMV
DEPLVIT

GRATVLATVR

ET VT PATRIS EXEMPLVM

FIDE, SAPIENTIA ET VIRTVT
CHRISTIAN:

REFERRE, AVGERE ET PROPAGARE

INTER ANIMI CORPORISQV
INCREMENTA

FEL. PERGAT

VOVET HVMILI ET DEVOTO ANIMO

JOH. VALENTINVS ANDREÆ S.T.D
PP. BRVNOVIC. ET VVIRTEMB.
A S. CONS.

M. DC. XLIII.

SERENISS. DOMUS GUELPHICÆ

AUGUSTÆ

FRATRUM INCL. TERNIONI

DN. RUDOLPHO AUGUSTO,

DN. ANTONIO ULRICO,

ET

DN. FERDINANDO ALBERTO,

DUCIB. BRUNOVIC. ET LUNEBURG.

PRR. JUVENTUTIS

D. D. D. SUIS CLEMENTISS.

S. P. C.

Quæ pridem à Vobis profecta, mea esse voluistis, maximique pretii habita sunt, nunc iterum cum fœnore aliquo restituo: Vestraq; esse, & manere æternùm volo, nihil mihi præter pudorem reservans, quo ob

Vestri, meique styli dissimilitudinen suffundor, quæ in publica luce impe ritiam meam, tenebris potius debi tam, prodit. Quam equidem præsta ret tegere, nisi seculi nostri interesset quibus fulcris jam Domus August Guelphica nitatur, notum litera orbi esse, & quid bonis omnibus Vobis expectandum, conspicuo ali quo indicio promitti. Postquã enin Serenifs. Dn. Patris Vestri indulgen tiâ hoc mecum literariæ reciprocatio nis exercitium iniistis, quæ Educatio nis & Institutionis Vestræ perfect norma esset, quæ Indolis Vestræ ge nerositas, & Ingenii felicitas, Mo rumq; suavitas & comitas, quæ Ad ministrantium fides & solertia, mil quidem cum stupore innotuit, ingen tiq; gaudio fuit. Parum tamen ho esset, nisi per me aliis hoc sine Exem plo Exemplum patefieret, & imitan dum nobilioris sortis Juventuti expo neretur. Quod etsi minus cum fam

me

mea est conjunctum, cujus hebetudinem acies Vestra, squalorem nitor, scabritiem polities, languorem alacritas, situmq; lux Vestra radians prodit; malui tamen ex dedecore meo Gloriam Vobis parare, quàm hoc literarium decus luci debitæ subducere. Quod cum Incluti Patris Vestri consensu fiat, non ægrè feretis, me Vobiscum in publico committi, imbellem senem cum fortibus & agilibus luctatoribus, certâ Vobis semper victoriâ, mihi parato spectatorum risu. Unum hoc à Vobis enixissimè contendo, ut quem Patrem Incomparabile seculi nostri Exemplum, *Pietate, Virtute, Eruditione*, & *Comitate* jam exprimitis, Domuiq; Vestræ immortalem successione servaturi estis, ejus etiam in me summam *Clementiam* continuetis, quâ ut mihi ex terrenis nihil auspicatius, & augustius illuxit: ita omnem meæ felicitatis summam complectitur; quam ut

cunctis bonorum, donorumq; gene
ribus Vobis rependat, Christum pro
pitium adoro. Valete Principes se
culi bono dati, educati, & efformat
Patrisq; Excelsissimi etiam famam
quod Ipse non invideat, superat.
Dabam Studtgardiæ die Pentecoste.
13. Maii: Anno Christi 1649.

I. C. C. C. V. V. V.

Cliens humillimus

Joh: Valent: Andreæ
S. Theol. D. ætati
suæ LXIII.

Sere-

Serenissimo & Potentissimo Principi & Domino,

Dn. AUGUSTO,

Brunovic: & Luneburg: Duci Incluto,

Domino & Hero suo clementissimo.

TErcentum quinquaginta tres Epistolas à manu Tuâ, hoc, quo me in gratiam Tuam suscepisti, octennio, & quod excurrit, venerabundus accepi, majore *voluptate*, an *admiratione*, an tandem *stupore*, non facilè dixerim. Primò sanè voluptati eæ mihi fuêre, atq; incredibili; nempe, videre eam manũ & industriam, & laboriosam, quæ in Rei Christianæ & Literariæ usum, tot tamq; egregiè

operata eſſet; At cùm aliæ atque aliæ miram in me animi Tui excelſi propenſionem, vel veriùs demiſſionem, atque vix dum auditam facilitatem, teſtarentur, admirari hanc generoſitatem equidem debui, nec admirari unquam deſinam dum vivam, quod exemplum ejus nuſpiam inveniam. Nunc verò poſtquam etiam Munificentiæ Tuæ imbre ſum perfuſus, qui nunquam non ex clementiſſimis literis emanat, omnemq; meam Oeconomiam irrigat, totus ſtupeo, nondum Tibi toto hoc tempore mei nauſeam obrepſiſſe, ut ad hunc numerum & cumulum Patientia Tua excreverit, ac ne poſthâc quidem mihi apud Te fatigatio & ſilentium metuenda ſint. Quæ animo meo EXPENDENTI, cùm obrui me beneficiis Tuis, & ſolvendo imparem ſentiam, tamen agnitionis, confeſſionis & præconii officium mihi liberum ſupereſſe intelligo, quo niſi defungar, *Hominis*, nedum

dum *Clientis* & *Ministri* Tui nomine me indignum ſponte profiteor. Siſto ergò me Tibi, Indulgentiſſime Princeps, & pro Ter-Centum literis, Ter-mille, imò Myriadum gratias ago humillimus; & cùm in Sacro Codice non aliud exemplum, quod in Te quadret, inveniam, quàm *Raphaëlis* Angeli Alexicaci, cum *Tobiâ* juniore fateor: Si omnem meam ſubſtantiam auferas, ſi me ipſum, meoſque Tibi mancipes, nihil Tuis meritis dignum Te accepturum; quæcunq; enim hic de illo prædicat, de Te pronunciare poſſum, ſi non eadem, non equidem minora, fortaſſis etiam majora. Paucis comprehendam, quæ inter nos Te *Datorem*, me *acceptatorem* omnium rectiſſimè intelligamus. *Suſcepiſti* me indignum; *ſuſtuliſti* humi jacentem; *ſuſtinuiſti* largâ hactenus manu; *ſupportaſti* meam inſufficientiam; *ſatiaſti* cuncta cordis mei deſideria; *ſupplevisti* favore, quicquid defuit meo offi-

cio; *ſubduxiſti* me multis injuriis; & inter Clientes Tuos *ſublimâſti.* Quid rependam? NIHIL. Nam uti ex nihilo omnia, ita quod eſt Omne, non niſi nihilum poſt ſe relinquit, vel ſanè, ſi apud me ſit reliqui, hoc unum Cordis mei punctum, ſive cor ipſum eſto, cui EXPENDE inſcriptum, æternam nempe Magnaliorum Tuorum memoriam, & ſuſpiriorum meorum tela, pro ſalute Tuâ, Tuorumque, ſurſum ad Deum emiſſa. Quæ ſi ſatisfaciant Tibi, (ſatisfacient verò Magnitudini Tuæ) ô me beatum Debitorem, cui tam facilis concreditur ſolutio! DEUM verò ex animo precor, ut poſt aliam atq; aliam Epiſtolarum Centuriam, novas Tibi ſoſpiti & vegeto, gratias debeam, & toto corde, totâ animâ, totiſque viribus, quo poſt DEUM cultu Tibi ſum obnoxius, denuò exſolvam. Cujus interuſuriam accipe in prçſens, Generoſiſſimorum *Filiorum* Tuorum Epiſtolas,

las, voluntate Tuâ ad me datas, & utcunque repensas, nunc non invito Te in lucem emissas, indices atque testes futuras, *Guelphico* sanguine, præter genuinas *Pietatis* & *Eruditionis* laudes, ut Indole nihil DIVINIUS: ita Moribus nihil esse HUMANIUS. Vale Principum Princeps, & quod mihi ex terrenis summum, MEUS: Christusq; Tibi propitius æternùm adsit. Stutgardiæ XVI. Maii, qui Illustrissimo Filio, Dn. Rudolpho Augusto Natalis, Anno M.DC.XLIX.

T. Serenitat.

Servus humillimus

Joh: Valent: Andreæ
Th. D. ab intimis sacris consiliis.

Explicatio Frontispicii.

Soli subjecta corpora, unde splendorem accipiũt, illuc vicissim reddunt, præcipuè Luna, quam Astronomi docent, in coitu cum Sole non cerni, quoniam haustum omnem lucis aversa illò regerat, unde acciperet. Hinc datum Magnatum administris à M. Vipsanio Agrippâ præceptum, juxta & exemplum, ut rei gestæ Nomen Dominis suis reservarent, ut quantum apud alios præstarent, tantum ultrò concederent illis. Quâ cautelâ Ioab Davidi Regi nunciavit, Rabbam jam intercepta aqua arctatam ipse caperet, ne sua videretur victoria. Et Iulius Agricola, nunquam in suam famam gestis exultavit; sed ad Authorem, & Ducem ut minister fortunam referebat. Ac Germanis etiam priscis sua facta gloriæ Principis assignare præcipuum Sacramentum fuisse, Tacitus testatur. Quantò rectiùs ergò David ex opilione Rex, cùm ad Templi structuram Auri, Argenti, Ærisq; summam contulisset, sortis quondam suæ memor, ita est professus: Tibi Iehova in manu est, & magnum facere, & confirma-

firmare quemlibet; Quare nos Te, DEVS noster, celebramus, Tuum præclarum nomen collaudantes. Enimverò quis ego sum, aut qui sunt mei, ut ad hæc ultrò Tibi conferenda vires impendamus? nam à Te sunt omnia, & à Te accepta tibi referimus. Etenim peregrini sumus nos apud Te, & inquilini, sicut omnes Majores nostri; estq; nostra in terris ætas, quasi umbra desperata. O Iehova Deus noster, hæc copia, quam ad Templum, Tibi, Tuoque sacro nomini construendum comparavimus, omnis à Te profecta, omnis Tua est. Equidem cùm sciam, mi DEVS, Te mentes explorare, & probitate delectari, ego, bono certè animo, & hæc omnia spontè contuli, & nunc Tuos, qui hic adsunt, ultrò Tibi conferentes libenter vidi. Iehova DEVS Abraham, Isaaci & Israëlis, Majorum nostrorum, tuere perpetuò hanc Tuorum voluntatis atque mentis affectionem, eorumq; animos erga Te compone, &c.

EXPENDE

Alles mit Bedacht.

Jacta est alea.

E terra oportet explorare navigationem,
Si quis possit, & industriam habeat.
At postquam in alto fuerit,
eo vento qui adest, currere est necesse.

Augustus Dux Brunov. & Luneb.
Natus 1579. 13. Apr.

ATTENDE

Auffsicht/Abricht.

Imitari quàm præire facilius.

Felix Archetypum cui contigit arte politum,
Cui gnave attendat *ingeniosa manus.*
Sic & Praxitelem referet, celebremq; Myronem,
Et post Augustum hic ectypus alter erit.

Rudolphus Augustus D. B. & L.
Natus 1627. 16. Maii.

CONTENDE

Gewagt/Erjagt.

Nihil negatum sexui.

Ebræas matres Græcas Heroidas æquans
Trecias peltas, Ausoniasque nurus,
Omnigena de dote viris contendere *palmam,*
Una Sibyllarum Dux Tulisurgis amat.

Sibylla Vrsula D. B. & L. Nata 1629.
6. Decembr.

PRO-

PROTENDE

Fortgeruckt/Vbertruckt.

Æquat progressu maxima, virtus.

Porrige libramen radio, hinc appende *minutum*
Pondus, & æquabit pondere majus, idem.
Virtus virtuti compensa nepotibus, olim
Progressu stirpis præminet inter avos.

Antonius Vlricus D. B & L. Nat. 1633. 4. Octobr.

EXTENDE

Gestrecket/Erklecket/Bedecket.

Hoc decus, hic labor est.

Taurino poterat regnum circumdare tergo
Dido, suum, postquam in lora minuta secat,
Ferre gravem sortem magnum est, majusq; tueri,
Facto extendere *eam, quantū opus ac decus est.*

Ferdinandus Albertus D. B. & L. Natus 1636. 22. Maii. vide fol. 384.

SCALA FATALIS
AUGUSTI,
D. Brunſuicenſis & Lunæburgenſ.
ad Natalem LXX.
A. C. M DC. XLIIX.

NOx erat, & duros hominũ miſerata labores,
Fundebat placidũ per ſegnia membra ſoporẽ;
Iamq; adeò albenti ſenſim conceſſit Eöo
Tempore ſopitis cùm inſomnia vera feruntur,
Quod nec manè novum nec poſſis dicere noctem;
Lunenſem *videor ſomno delatus in* Aulam.
Quà Guelphyta *ſuis ſublimibus ardua tectis,*
Regia *clara micat, Divûm digniſſima ſedes;*
Mœnibus, ac ſolidis laterum compagibus arctam
Hinc atque hinc foſſæ cingunt ſtagnantibus undis.
Intus regali collucent omnia luxu,
Porta Domûs ingens, ſolidæq; è rupe columnæ,
Aeratæque trabes, ferrato & cardine poſtes,
Ponte ſuper, validæ quem ſuſpendere catenæ.
Tectum utrinque micat, multis conclavibus altè
Eductum, atque aulis ſubter faſtigia denſis.
Hîc Ducis Archivũ *& Cleſius tabularia fulgent,*
Curia regali oppoſito ſtat proximo tecto,
Ingeniis habitata Patrum, Sanctique Senatûs
Regia, quà ſedem poſcit Themis alma. ſuumque
Virgo Aſtræa tenet puteal, ſtant obvia longis
Atria porticibus, firmisque inſtructa columnis,
Contiguumque hæret Templum, pietate ſacratum,
Quod ſuper effulgent Aulæ, & Cœnacula multa,
Deſuper in liquidas circum ſpectantia foſſas.
Iuxta Magnorum apparent penetralia Divûm,

Illic

Illic Artificumque operæ, & sola marmore picta
Resplendent, subsuntq; suis asarota figuris,
Cælatæque trabes, & clara toreumata signis.
Hic paries lucet Gætulo murice tinctus,
Nec procul hinc sese magni cœnacula pandunt
Ampla Ducis, queis impositi stant atria supra
Casta Gynecæi, *excisis innixa columnis,*
Atque hypocausta illic, junctisque cubilia muris,
Et picturatis fulgentia marmora venis.
Et quæ longa mora est numeris includere nostris,
Ornamenta loci, veterum decora Penatum,
Ipsi etiam subsunt conclavia plurima tecto,
Quæq; Duces possint, summiq; habitare Dynastæ.
At suprà, obliquâ gradaum testudine surgit
Aula patens luci, miti perflabilis aurâ,
Sumptibus immensis ostentans Bibliothecam,
Mille octogenis constantem partibus antè,
Delicias Domini, curas, studiumque Seleni,
Qualis eras Philadelphe *potens, cui Memphidos ora*
Paruit, & septemgemini trepida ostia Nili.
Qualis Arragonum Rectorq; Alphonsus *in orbe,*
Qui cùm bellorum rabies, atque arma quierunt,
Castra sequebaris Musarum, & Palladis artes,
Vndiq; congestans veterum monumenta Virorum,
Mecœnas Artisq; Sacræ, Tutorque Scholarum,
Quid digesta suis spaciosa volumina Thecis,
Scrinia quid memorem, puteos, capsasq; refertas?
Ad quas per scalam superato culmine tendas:
Expleri mentem nequeo, ardescoque tuendo,
Hæc oculis, avidâq; simul dum mente revolvo,
Dum stupeo, obtutuque hæresco fixus in uno,
Ausus & his digitis propius contingere Librum,
Restitit Augustus *subitò, foribusque reclusis*
Intrat, pellicio indutus, Venerabilis Heros,
Verrit humum, summo lambebat vertice canos
Pileolus, chartam manibus tum fortè revolvens,
Pulpita librorum bibulis exquirit ocellis.

Scala

Scala fatalis AUGUSTI, ſeptem gradibus conſtans, cum 2. extremis deſcripta.

STabant extremâ Scalarum anabathra tablinâ,
Scala fuit Septem gradibus diſtincta triſulcis,
Hæc fati ſortisque vices præſignat Heriles,
[Sic Genius, qui me traduxit fortè monebat]
Quâ datur Auguſto *ſuperas evadere ad auras,*
Quiſq; gradus duo Luſtra notat, curſumque decennem.
Iamq; adeo totidem gradibus ſupereminet ævi,
Poſtquam ardens Illum ſupera ad faſtigia Virtus
Vexit, honorato Senii jam culmine ſiſtens
[*a*] Prima *dat Ingreſſum ſcalarum portio vitæ,*
Vernantisque ævi, quinquennia prima figurat,
Brunſuicumq; Genus, *felici Sanguinis ortu,*
A magno quondam Torquati *ſtemmate ductum;*
Longa Patrum ſeries, longa ævi linea; quis tot
Heroas memoret, genus altâ à ſtirpe Deorum?
[*b*] Alberti *dicam pugnas, & prælia Martis,*
Vnde ſibi Magni *meruit per ſecula nomen?*
An [*c*] Magnum *referam ſolidâ pietate calentẽ?*
Vnde genus patrium, cui poſt victoria laudem
Contulit, & Nomen cælo ſub vexit [*d*] Othoni
Auguſtiq; *Abavo ſatis eſt, ſi proxima tangam,*
Ne per Dena retro veniamus ſecula, ab uno
[*e*] Auguſtũ Henrico *Patri dedit Incluta Mater*
Vrſula, Franciſco, *Angariæ Duce Saxone nata,*
Atq; eadem Albicolâ prognata è Matre Sibyllâ,
(Vtraque regali ſeries connexa paratu) *(poti,*
Nomen ab [*f*] Enſifero *quæ impreſſit Fratre Ne-*
Quem regni ille ſibi ac vitæ ſtatuebat amuſſim,
Cujus ab Exemplis bene limen id inſtitit ævi,

[*a*] I Felicitas generis [*b*] Albertus Magnus Nonus Avorum Auguſti. [*c*] Magnus pius ſeptimus. [*d*] Otto Victorioſus tertius. [*e*] 1579. [*f*] Auguſto Saxoniæ Electore.

[*g*] Hin

[g] Hinc juxta ingenuas animū demisit in Artes,
Ingeniumque capax, ita ceræ emolliit instar,
Vt jam Virtutum donis præverteret Annos,
Inque gradus semper magis adflorescerct ævo,
Verâ canitie anticipans lanuginis umbram,
Quin æquè ex animi cultu, quàm sanguine clarus.
Nec minor Auguſtus *fieret, quàm voce sonaret.*
[h] His ille auspiciis stadio nunc acrior instat,
Cùm jam Bulla rudi detracta est aurea cordi,
Literulis animum, variâ dulcedine vocum
Finxit Os, Eloquii formavit fulmine linguam,
Juxta etiam rerum & morum præcepta secutus,
[i] Iamq; ipsos habili Monitores Marte fatigat,
Ectypus ipse sui, jam Se quoq; vincit, & Istos,
Sic Pater Henricus , *sic major* Avunculus *Ipsum*
Impulit, hinc stimulos virtutum, & semina laudū
Vt fomes recipit præacutis pulsibus ignem,
Secum aluit, tenerasque exercuit indole vires,
Igneus hinc illi vigor & cœlestis imago,
Omnia conando docili jam indagine vincens,
[k] Pòst ubi maturis ætas advenerat annis,
Indolis & stabant generoso in pectore vires:
Altior insurgit, celsam componere mentem,
Ad magnum Virtutis *opus, Veterumque decorem,*
Iam super ipse suâ mollitus laude laborem,
Incendensque animum famæ venientis amore.
Sedulus hinc operis instat, Librisque legendis,
Ocia consumit, doctas meditatur & Artes,
Vnde Huic antè pilum, & fato prudentia major
[l] Roſtochium *id novit, stupuitque Academia*
[m] Nicri,
Miratæ acre Sophes Ducis [n] Argētina *Trebocūm*
Illic & clarum gessit vix major Ephebo,
Iam desiderium Doctis utrinque relinquens,
[o] Artibus his Pacis junxit quoq; Martis habenas,

[g] Capacitas indolis. [h] II. Docilitas Ingenii. [i] Habilitas Iudicii. [k] III. Sedulitas Studiorum. [l] 1594. [m] 1596. [n] 1598. [o] Agilitas Exercitiorum Equeſtrium. *Vt*

Ut qui doctrinæ passim fulgore niteret,
Nunc etiam armorum pariter splendore coruscet
Sic ut Eum possit Marti invidisse Minerva,
Ni Dea ab antiquo laudem obsedisset utramque,
Nam quod Ei Herculeo validas in corpore vires,
Ac fortes agilesque manus Natura dedisset.
Robur id eximium ad ludos & seria finxit,
Ut planè Herois passus intenderet ausis,
Seu Belli tentare vicem, aut Simulacra ciêre,
Nemo cornipedem sinuato vertere gyro,
Aut per planitiem celeri transmittere cursu,
Aptior, aut Trojæ simulare prælia ludo;
Nec luctâ quisquam, aut cursu, meliorve palæstrâ
Nec circo melior, dextrâ tractare sub alâ
Hastile oblongum, nec prendere scitior orbem
Suspensum medio canabinâ reste Theatro,
Promptior aut valido telum vibrare lacerto,
Aut sclopo ad signum jaculari, aut certior arcu,
Aut agitare feras, aprumve exposcere lustris
Acrior & Iaculo, aut lato configere ferro.
[p] *Inde sagax animus Patrios excedere fines*
Ardet, & hoc etiam Plus ultra *limite ferri,*
Gaudet & ignoto Cœlum mutare Solumque,
Sic variâ rerum se cognitione polire,
Metirique suo pede, Virtutumque profectus;
Induit ergò alacres sensus, ac frontis honorem.
[q] *Protinus* Europæ *progressus in* Amphitheatrum,
Italiamq; *adiit, perlustrans Orbis Ocellum,*
Hic diverticulum studiis Antenoris *urbem,*
Legit: dehinc alias cursim peragravit, & illam
Imperii quondam Sedem, virtutis alumnam,
Nunc scelerum [r] Romam, *Sessorem ubi vidit, & ipsum*
Clementem; *hinc* Siculas *oras*, Moliten q; *pererrat*;

[p] IV. Sagacitas Experientiæ. [q] Alacritas peregrinationis. 1598. [r] 1599.

Pôst

Pòst etiā [s] Belgas, Gallos *invisit, & Anglos,*
[t] Lothariiq; *Solum,* Alsatasq;, *Vrbemq;* Trebocum,
Hic in Episcopiæ partem quoque lectus adhæsit,
Illic Celtarum Alciden. Phœbumque Britannum,
Heinricum *vidit Magnum, Magnumq;* Iacobū,
Heinricoque satum Delphinum, *fortis alumnum,*
Qui sese nuper, fortemque excessit avitam,
Vidit & Anglorum Regem Diademate cingi,
[u] Matthiam*que Throno evectum, Fratremque* Rudolphum,
Imperii Capita accessit, junxitque loquelas, [x]
Concilioq; Patrum partem se ingessit ad Istrū, [y]
Inde salutatis abitu redituque Dynastis
Terrarum, Agnatis sibi, ubique paravit Amicos,
Et varias in se dotes contraxit, & Artes
Isthoc [z] Virtutum *illustri stipatus acervo,*
Visa foris, & docta domi produxit in Actum,
Sicq; redux Patriæ, Solium conscendit [a] Avitū,
Artibus instructus variis, Linguisque disertus,
Notitiâ pollens, rerumque exercitus usū,
Tantò præcellens reliquis mortalibus unus,
Quantò inter summos etiam supereminet omnes,
Hinc Aulam ille suam Theodos I *more sacravit,*
Orbis in exemplum, meritò quam dicere possis
Eusebies *Templum,* Virtutum *nobile pantheum,*
Artium & Artificum *Circum, portumque* Bonorum,
Normam Æqui, *Exemplar* Recti, Sapientis *asylum,*
Iustitiæ *puteal,* Sophiæ, *morumque palæstram,*
Cui nisi hic Augustus *non præsit dignior Alter?*
Nil Pietatis abest, nihil Integritatis & Artis,
Quod vel in Ascesei possis laudare probata,
Istud Honestatis fanum arbitratus ocellis [b]
Titus Agri Nostri, magnarum munere laudum.

[s] 1602. [t] 1603. [u] 1611. [x] 1609. [y] 1613. [z] V. Auctuositas regiminis. [a] 1604. [b] 1605.

Extu-

Extulit, & cœptum Ducis obduravit amorem.
[c] *Unde bono fructu* Lunensi *præfuit orbi,*
Omnia fœcundans Phœbeæ Lampadis instar,
Publica quippe salus populi, ceu publicus ipse.
Ab Iove Tranquillo hoc nihil unquam venit iniquum,
Non fax, non Eridos pomum, nec pestis Apollo,
Nulla immissa lues terræ, aut Vulcania tela,
Insidiæ nullæ, nec fraus fabricata Simonis,
Hinc nihil infaustum, nisi concors, pacificumque,
Oriri potuit: Testis sit Frater Iulus,
Angariciq; *Pares, atque* Oldenburgica *Fratrum*
Pectora, & Agnati Cattorum Sanguinis Hassi,
Quos simul ad leges solidè revocavit amicas,
Sic bonus ut Princeps, publico se contulit usu,
Totiusque bono Brunvici *Sanguinis egit*
Fernandum *ad Regem, Legati munere functus;*
Hic Tua promicuit Virtus, Auguste, loquendi,
Ora supergressus Pylii *Senis, oraque Regis*
Naricii, pro Cognatis mollissima quando
Verba ministrares mirâ dulcedine Linguæ,
Aurea civili redimitus Tempora quercu.
[d] *Interea vegetos nec secum deserat Annos,*
Affectans Patris *nomen, nomenque* Mariti,
Lætus init Thalamũ, *fœcundo munere Divûm,*
[e] Pomeria *primùm,* [f] Ascaniâ *dein Conjuge felix,*
[g] Mechliniâ *demum,* Suecorum *è Regibus orta,*
E quibus [h] Astrorum *accendit* Dodecameron
Ille Sui Cæli Phœbus, quæ noxque diesque (*ille,*
Æquali numero æthereis dispescuit auris,
Æquali pariter secuit discrimina sexum.
Hinc Augustus *ovat, Triplicato à numine fulgẽs,*
Iupiter imperio, Doctrinâ Delius, Hermes

[c] Fructuositas patriæ. [d] VI. Fœcunditas conjugii [e] 1607. [f] 1623. [g] 1635. [h] unde XII. liberi, quorum VI. pari sexu superstites.

Dexte-

Dexteritate suâ; Sophie *pariterque refulget*
Ingenio Pallas, formâ Venus, ordine Juno;
Quam circa agglomerant Charitum tria corcula, Natæ,
Mutua quæ junctis manibus sua fœdera nectunt.
Augustumque *Patrem illustri virtute coruscans*
Eax nova Teutoniæ, Orionis Subcingulus *ambit,*
Ipsa quoq; affectans Scalarũ hoc tramite gressum,
[i] *Iamq; Gradu insistens Terno, prior arduus ille*
Insequitur Patrem Sceptro; Baculove senectæ,
Guelphorumq; *parat* Niveum *frænare* Caballum;
[k] Alter *ab hoc* Libro *sapere exhortatur aperto,*
E propiore gradu, Mytramque *expectat honoram,*
Æmula Anhaltino *torquens vestigia Mystæ*;
[l] Iunior *obsidens aditum, gressusque, sub ipso*
Spem vultu prodit. Nisumque *in pollice gestans,*
Hæret in auspicio, at Patrios jam suspicit ausus:
Perge datum molitus iter, semperque Teipso
Ternio major abi, & famam transcende Tuorum,
Flore Tuo semper Domus hæc Augusta virescat!
[m] *Aspice &* Augustum *fortunis pluribus auctum:*
Nam primùm angusto Hitzgeræ *contentus agello,*
Post Grubenhagios *reditus à fratre recepit,*
Hoc obito Dannebergam *subjecit opimam;*
Demum etiam Vlrico, *fatis super æthera rapto,*
Iure suo, Ascaniæque *suæ, functique Sororis*
Pleraque ad Augustum *transiit* Brunonia *tellus,*
Hac divulsâ tenus puero tantisper [n] Othoni.

[i] Dn. Rudolphus Augustus N. 1627. 3. ætatem ingreditur. [k] Dn. Antonius Vlricus Natus 1633. inter 1. & 2. ætat. incedit. [l] Dn. Ferdin. Albertus N. 1636. primam. [m] ac Ditionum. [n] Otto Puer Decimus Avorum Augusti, Pater Alberti Magni & Johannis.

Deerat

Deerat adhuc Castrũ *terris & Regia Guelphi,*
Octennique morâ vesti ista lacinia deerat, [o]
Sed tandem ingenti mirâclo tradita Nostro, [p]
Vt par sit paucis multos præcellat opum vi.
Adde fidem priscam, ac animum Brunsuigis *eundem,*
Augustum *& Patriam fortunæ rivus inauret!*
[q] *Hinc ea Munificum commendat gratia dextræ,*
Vt vix à Tito *quisquam discesserit isto*
Mœrens aut vacuus: quin huc, velut omnis ad aram,
Confluat Artificum series ubi cuncta Magistrum,
Non Mecœnatem ac Socium quisq; invenit Artis:
Quis non spes, nisusque suos huc advocet omnes,
Huc, ubi non cernit Docto præstare Chymæram,
Nec Thalete magis furiatâ mente Chorœbum,
Non vinum, ac Venerem, sed nec Spectacula, pompas,
Artes audit ali, monumentaque culta parari?
Cùmque alii spernant hâc tempestate Camœnas,
Haud secus ac Porcum Iudæus Apella, fabamque
Ille Senex Samius: Solus Brunsuigius Heros
Has colit, & magno ponit in honore peritos:
Qualiter Augustus *quondam, qui primus in Vrbe*
Imperii solus placidas tractavit habenas,
Doctorum cultor cum Mecœnate *Benigno.*
Perge, Auguste, *Decus Mundi, Clariasq; Sorores*
Adsere, sic nunquam morituro carmine vives!
Iuliaque Helmstadii, *nunc & Tua filia, Patre*
Collætata suo, meritis ad sydera tollet!
[r] *Ventum ad* supremum *est, & meta novißima restat,*
Augusto calcanda gradu, quod Numina faxint!
[s] *Cùm jam Bis-Septẽ vitæ quinquennia tangit,*
Millibus è totis, quo vix modo contigit unus.

[o] 1636. [p] 1643. [q] Liberalitas Munificentiæ. [r] VII. Vivacitas ævi. [s] Augusti Natal. LXX. 1648. 10. April.

Nesto-

Nestoream credas illum spirare senectam,
Neu solùm Archi - Patres miremur, Nestora, &
ipsum
Iani curriculum, sed & ævi gesta recentis,
Iam vixisse patet, cui septima vivitur ætas,
O fortunatos annoso munere vitæ!
Sic, ô sic Dominus sibi credula corda piorum,
Et timidas Superûm mentes ditare suevit,
Rex Regum, Ductorque Ducum, DEVS ille Deo-
rum,
Ille Opifex rerum: ô quàm terque quaterque bea-
tum!
[t] *Nec tamen amisit Senis gravitate vigorem,*
Imò viret membris, ac læto frontis honore,
Corpus adhuc vegetum; nisi quòd cava tempora
canent,
Nil ferè tristis habet senii; stat regia forma,
Corporis apta strues, firmâ valetudine robur,
Dignaque majestas Augusti *fulgurat oris,*
Sensibus integritas perstat, Rationis acumen,
Nec memorem læsit mentem spaciosa senectus,
O iterum felix! Senium vegetabile, vitam
Buxo etiam similem, solidoq; Adamante valentẽ,
Ac vitam serâ, placidâque à morte beatam,
Quâ tandem fiat cognato Sydus Olympo!
Hæc vidi hæc didici Genio monitore per umbram,
Cùm me deseruit somnus, noxque ipsa reliquit,
Nec falsa ista Dies docuit pòst conscia rerum.
Quando erit illa Dies? ô tam sit vita superstes,
Spiritus & maneat, quâ sit mihi cuncta tueri!
Et Phœbum, Phœben*que suam, &* sex sydera
circum,
Aulam *compositam,* Musæum *illustre,* Libro-
rum *&*
Armorum *thecam, numero ac splendore stupen-*
dam,
Regalesque Domos, totq; Instrumenta Laborum,

[t] Viriditas senii.

Copia-

Copiæ-inexhaustum-Cornu, pompamq; decentem,
Harmonicumque Chorum, ac varia ornamenta locorum,
Iustitiæ*que*, Artis*que*, *&* Relligionis *honorem*,
Ac liceat spectata levi celebrare cothurno:
Sunt oculi nobis, aures & murmura famæ.
Nec visa est facies, nisi quam pictura locuta est,
Augustâ *submissa manu, viventis Imago,*
Interea hoc visu pascam mea lumina, & istis,
Quæ mihi quam multæ veniũt Brunonis *ab aulâ,*
Litterulis, *sed & his somnis insomnia soler,*
Eveniantq, mihi hæc sæpè occursacula noctis!
[u] *Nunc Divum Numen petimus prece mentis elatâ,*
Palladium *hos multos nobis conservet in annos,*
Quod nec Vulcani rabiosa insania lædet,
Nec Bellona ausit dextra temerare rapaci;
Hoc longè prohibe, Pater, atque hæc omnia firma,
Tum sic quæ debet, compleri t tempora fatis,
Parte sui meliore volet super Astra perennis,
Lustratum Ambrosiâ, ac Divino corpus odore,
Indigetes inter mortales exuat artus:
Perpetuo Aligeri vestitum flore Iuventæ,
Aureolâ tandem, ac Cœli clarore coronent!
[x] *Tarda sed illa dies, nostris sit serior annis,*
Nec nisi cùm Senior perfectum æquaverit ævum,
Qua Caput Augustum, quem temperat, orbe relicto
Accedat Cœlo, faveatque precantibus absens,
Hinc ubi Natorum videat Benefacta suorum,
Esse suis majora, & vinci gaudeat Istis!

[u] Perennitas seculi. [x] Claritas gloriæ.

Ita applaudebat Serenissimo Principi,
Hero suo clementissimo

Joh: Valent: Andreæ T.D.
à Sacris Consiliis, 10. Apr.
Anno 1648.



Felix Archetypum cui contigit arte politum
Cui gnave Attentat ingeniosa manus
Hic et praxitelem referet, celebremq Myronem
Et post Augustum hic Ectypus alter erit.

nat. 1627.

Epist. II.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

ANticipationem officii, quo *de Natali decimo-septimo* mihi congratulari fausta quæcunq; adprecando, dignatus es, ut propensæ benevolentiæ, promptissimiq; studii tui pignus accepi & possideo. Quod, cùm à Te potissimum, cujus veram pietatem vitæq; integritatem ex meis, eruditionem insignem è libris, perspectam habeo, profectum, mihi ad scribendum velut ansam porrexerit, tantùm non sum deosculatus. Atque utinam, quemadmodum MANNA olim, eo ipso, ut existimas, die, quo hanc lucem primùm aspexi, delapsa cœlitus, conquerentis populi Israelitici famem, novo commeatûs genere, sedasse legitur: Sic *Natalis* iste meus *proximus*, insolitæ cujusdam cœlestis opis, atrocissimas calamitates, quibus hactenus conflictari sumus, finituræ, ac Dulciss. Patriæ tot precibus, tot suspiriis exoptatam *Pacem* reddituræ, specie ad posteros commendaretur! Nam ut illa Manna esse, & languescentis Reip. vulnera, nunc præludendo, quondam consulendo & agendo, novâ & opportunâ curatione lenire posse optem, quod innuere velle videris, modestiam meam transgreditur. Illud autem Tibi planè persuadeas, velim, me, ut paucos Tui similes, sic Te ob præclaras dotes & virtutes venerari, amare, plurimique facere:

quemadmodum nullus dubito, quin tam chari sibi, tam propinqui pectoris pia vota exauditurus, & rata habiturus sit DEVS OPT MAX. cujus ego Te cum Tuis tutelæ & protectioni animitùs commendo, Vale.

Dabam *Brunsuigæ*
19. Maij An. 1643. *Tuæ Rev. Dign.* Studiosiss.

RVDOLPHVS AVGVSTV
Dux Brunsv. & Lunæb

Reverendo & Clarissimo Viro, Dn. *Ioh. Valentino Andreæ*, SS. Theol. D. DVCIS VVIRTEMBERGICI Ecclesiasti Aulico, & Reverendi Consistorii ejusdē Consiliario Intimo &c. Amico nostro

Stutgardiam

EPIST. III.

Illustrissime & Celsissime Princeps
Domine longè clementissime,

EX *literis tuis, quibus immane, quam me honoraris, &* Illustriss. Patris *genium, & industrii Informatoris ductum felicissimum liquido deprehendi. Scilicet* ex ungue *genuinum* LEONIS GVELFICI catulum *metitus, & præclarissima quæque in Terrarum Tuarum salutem ominatus. Nam cum sacrarum rerum cognitionem in hac ætate rarissimæ, quæ pietatis fomentum est, seu basi bonarum artium & literarum, quod* Domus tuæ *proprium est, peritiam superstruas, non possumus non magnum aliquid abs te expectare quod post* Patris incomparab. *bonæ famæ auream tabulam in memoriæ Templo suspendatur. Qua nomine hisce tuis incrementis laudatissimis toto animo applaudo, Deumq; precor, ut hæc adolescentia*

Ta

Tua generosissima virtus in adultum robur excrescat, Avorumque ex Brunonis & Ascanii *domo trophæa superet & illustret. Quod si, vel me per-officioso hortatore, etiam* Matheseos *oculum studiis tuis superaddideris, haud dubio* Perfectum Principē, *sed qui minimè Scholæ situm oleat, nobis sistes. Seculi sui bono natum & formatum, nobis omnibus honoris præconiis ornandum. Salve* Princeps florentissime, *& sæpiùs, si vacat, Tuis me elegantiis bea. Scilicet*

Stutgardiæ T. C.

31. Maii An. 1643.

Cultorem devotiss.

Ioh. Val. Andreæ S. Th. D.

Epist. IV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

Votum nuper transmissum, non satis certum pignus studii in me Tui futurum existimâsti, nisi me gratissimo, & precioso sanè munere, quod proximè præteritis diebus demum oblatum est, amplius ornasses & coluisses. Atqui de illo pridem satis superq; securus, Mathematicis celeberrimi *Clavii* libris acceptis, modò lubens in æs tuū incidi. Quod si nunc cum fœnore dissolvere possem, ut verbis gratias agere licet, non paterer, magis me beneficiis vinci, quàm *Magnus* ille *Alexander*, cujus mores mirari soleo, quosdam imitandos mihi propono. Scio autem mihi à Te inducias indultum iri, si ut suades, & peramanter hortaris, hisce me posthac studiis operam daturum promittam: quorum utilitatem cùm & ex Tuis intelligam, ubi mediocrem ex *Politi-*

cis & Historicis non dicam prudentiam, sed sagacitatem, quam necessariam mei similibus prorsus arbitror, (haud enim nescio, quæ ab Aristotele 3.Polit.3. & commentatoribus ejus præclarè & sapienter scripta sunt,) mihi comparavero, Deo benè juvante, ea etiam degustabo, & ad vitę hujus usus transferre discam Cæterum quod scribere lubitum est, immane, quanto Te literis meis honorarim opere, hîc in Te illud Comici quadrare videtur: *Tute facis, me vetas*, siquidem nihil dictum, aut dici potest à me, quod merita in Ecclesiam & Rempublicam, omnesq; bonos æquare valeat, mea autem messis adhuc in herbâ lateat, quæ, Deo gratiam, & vires largiente, (nec enim omini adversor) suo tandem tempore poterit maturescere: Postremò, ne multis verbis molestus sim, si mutua literarum communicatio Tibi arridet, jocando roganti (quasi hoc precibus à me impetrari oporteat) ut elegantiis Te meis sæpiùs beem, occasionem ambabus manibus arripio: non quôd in hâc scribendi infantiâ, pennam quid elegantius exarare posse, mihi persuaserim, sed ut, velut *filius Tuus spiritualis* literarum Tuarum lectione sæpiùs repetitâ, doctior & melior, *Clementissimo Dn. Parenti*, Informatoribusque meis dulcissimis videar, & fiam. Quibuscum salve *Vir Optime*, & cum omnibus Tuis in afflictissima Patria benè diuq; vale.

Dabam *Brunsuici*
Cal. Sext. Anno
M, DC. XLIII.

Reverendæ Tuæ
Dignitatis
Observantissimus
RVDOLPHVS AVGVSTVS.

Admo-

EPIST. V.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

EQuidem hoc Terentii dicto adversus Te uti possem, *Tute facis, me vetas*, cùm me tali tantoq; titulo digneris, quo me indignum planè arbitror: nemo ea, quæ Tibi *Clarissime Vir* scripsi, nescit, & tamen ex tuis literis aliud intelligere nequeo, quàm quòd velis, ut Te beem, cùm ipse potius indigeam, ut elegantias (ut vocas) meas ex Te petam. Nimirum ideò me ita laudas, non quasi jam dignus sim, sed qui aliquando crescente ætate me haud indignum illâ laude reddere possim. *Politica* & *Historica* mihi jam leguntur, *Mathematica* autem (volente Deo) in Academiis aliquando discam, ubi hoc opere *Clavii* utar, cujus Tua me liberalitas participem fecit, proq; munere maximas Tibi gratias ago, quod summis ubi potero viribus compensabo. Salve itaq; *Clarissime Domine Doctor*, & Tua sapientia si vacat edoce

Dabam *Brunsuici* ipsis Nonis Sextil. Anno M. DC. XLIII.

Tuum amicissimum

RVD. AVGVSTVM.

EPIST. VI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

P*Vderet equidem cum ingenii Tui acie, hebetudinem meam contendere, nisi literarum tuarũ dulcedo, vel deliram ruditatis meæ denudatio-*

nem proleɛtaret, ut quantillum hoc octavo supra quinquagesimum, quem nuper ingressus sum ætatis anno scribendis literis profecerim, coram quindecennì florentis ingenii Principe profitear. Quam tamen meam ignominiam patienter fero, dum cum Tua gloria sit conjuncta, cui ita ex animo faveo ut Patris *etiam Tui, qui hactenus Literatorũ maximus audiit, majorem optare, an etiam sperare minimè verear. Cæterum quod* Matheseos *rudimenta, huic præsenti capacissimæ ætati Tuæ convenientissima ad Academica studia differenda, habes persuasum, in eo à Formatoribus Tuis informari amplius velim, qui si dum* Politicis & Historicis, *ingenium imbuis,* abstrusis Matheseos tricis, *id implicare, & divertere, minus consultum putant, mecum planè sentiunt. Sin* Arithmetices & Geometriæ, *tum etiam* Chronologiæ & Cosmographiæ *principia, sine quibus* Historia & Politia *nulla est, me propinare, regulæ, circinique, maximè ingeniosissimi illius Proportionalis, usum instrumentorum, machinarum, fabricarum, & quæ sunt ejus generis intelligentiam, per lusum & animi relaxationem insinuare velle audiant, jam opinor minus difficiles mihi erunt, vel hoc magis, si quæ ardua animi corporisque exercitia majores annos tuos expectent, quibusque ad jucundiora studia parum temporis superfuturum sit, animo reputaverint. Sed hæc* Sapientissimus Pater *rectius viderit. Mihi satis est animum Tuis in omni re præclara progressibus, obnoxium, fecisse testatum cum voto, ut* Te Sole oriente, *Sol, post longos annos, Naturæ necessitate occidens, minus pro Salute Patriæ, desiderari possit. Perge obsecro animi propensionem elegantissimis literis per otium testari, meque inter humilissimos clientes tuos numerare, qui*

pro domus T. incolumitate
assiduis precibus excubat.

EPIST. VI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

UT suavissimis literis Tuis quantò ocyus respondendo satisfacerem, exigebat promissi, quo me nuper adstrinxeram, continua recordatio. Peccatum in eo à me agnosco, nec satis scio, num excusatiunculâ isthâc uti possim, per quotidianas studiorum occupationes, hoc in Te officio defungi hactenus non licuisse. Atqui excusando me, incuso nunc gravius: nec enim pœnitebit unquam, vel magnam studii partem in literis ad Te scribendis impendisse; quod eo magis facere me par est, ne expectationem Tuam frustrari, & à rationibus progressuum & ocii ex mandato *Illustriss. Genitoris mei* Tibi reddendis liberari velle videar. Nam quid verear Tibi scribere, tyro tam exercitato Magistro, ne forte existimes, me hucusq; metu & pudore constrictum moras nectendas esse duxisse; cùm æquanimitas Tua qualemcunq; conatū meum dextrè non possit non interpretari, atque si, dum hoc facio. impegero, ut meæ ætatis homini errandi penè necessitas imposita est, tantò tolerabilior culpa futura sit, quòd non ex ardore juvenili, & inconsulto impetu exsurgant, quas ad Te dirigo, tumultuariæ literæ, sed ab observantiâ, quâ *Clementissimi Dn. Parentis* jussa meritò prosequor, ut & hoc genere obsequii clementem ejus animū mihi devinciam, atq; à Te indies vota precesq; efficaciores, quibus cœpta secundes, merear & impetrem. Nostram de *studiis Mathematicis*, si ita vocanda sit, liticulam quod attinet, Tibi, Tuoq; optimo consilio assentiuntur ex asse Informatores

mei: cùm & hæc *Clementiß. Dn. Parentis* sententia sit, ad quam & informatio mea constituta est, mediocri enim diligentia hactenus cum *Historico Chronologicum* & *Geographicum* studium tractavi. In aliis nonnullis *Matheseos* partibus tenuitatem suam Illi agnoscunt: nullus dubito, quin *Clementissimus Dn. Parens* pro paternâ à me, dum vivo, laudandâ sollicitudine, quâ nos omnes complectitur, opportuno tempore & loco, illarum artium Doctores sit adjuncturus, à quibus, quæ necessaria videbuntur, audire possim.

Sed videorne capere, quid sub verborum *Solis Orientis & Occidentis* involucro condere velis? Ex intimo corde precor, ut qui nulla *Naturæ* necessitate constringitur, quiq; *Solem* aliquando, ne moveretur, integrũ penè diem (*Iosu.* 10. 13.) continuit, donec fortissimus *Heros* per stragem hostium, suorum salutem asseruisset, *hasce terras suo Sole* diutissimè illustrare, hoc est, Omnipotenti virtute suâ in *Clementissimo Dn. Parente* nostro, id effectũ dare velit, quod Israelitarum Regum optimo, *Ezechiæ* quondam contigisse (4. *Reg.* 20, 6.) legimus: In hoc jungamus ambo, ut facimus, vota & pias preces. De cætero certus esto, me Tibi semper amicum fore, ut vota precesque ferre non desines pro

Datum *Brunsuici* 23. Octobr. Anno 1643.

Rev. Tuæ Dign.
Observantissimo

RVD. AVGVSTO.

Illu-

EPIST. VIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine clementissime,

OMen tuum acipio à filiali pietate Tua in Patrem Cl. & intimi mei sensus obsequio profectum, Solem fixum, quem emblemate aliquo, pro ingenii mei hebetudine expressum mitto. Quis enim bonorum non Patri Tuo Laudatiss. vel annos Platonicos, vel magis de suis additos, certè novo miraculo Solem aut stabilem, aut retrogradum optet, si Exemplum hoc Principis sine Exemplo, cum nostri & prisci ævi Heroibus conferat. Beatum scilicet Te & nunc & hoc magis futurum, quò longius ab occasu Hesperus Solem tuum respexeris. Conjungamus sanè vota precesq; vel suffultis manibus, certè hoc salvo, publicam Salutem salvam fore, minimè dubitemus. De Studiis, post pietatem studiorum principem, Tuis, optimus arbiter Clem. Pater rectißimè omnium statuet, ut qui in ea ætate, cui jam accedis, ea per Germaniam eruditionis perfectæ specimina edidit, qualia nescio an post anteq; eum in hoc ordinis fastigio ulla visa, auditaq; sint. Sanè Tubinga nostra hujus unius Exempli meminisse, & de eo gloriari nunquam desinet. Vtinam verò id mihi Deus concedat, ut reddita Germaniæ pace, quam supplices precamur, & resurgentibus Academiis, Te Tubingæ nostræ Caput Magnificentißimum, & rei literariæ Principem intuear, Filiumq; post Patrem admirer, ut cujus illius fama me Iuvenem olim inextinguibili ardore accendit, hujus me senem incredibili voluptate perfundat, quod ut nobis Clem. Pater concedat, Tuique Conductores omni fide, industriâ & arte suâ promoveant, omni animi contentione & precor humilimè, & perofficiosè

ero; CHRISTVS C.T. foveat, augeat & servet, impleatque vota, quæ pro

C. T.

Salute & incrementis apud Deum indesinenter facit *humilis Minister.*

Epist. IX.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

I*Ngeniosissimo Emblemate*, cui incomptæ literæ meæ ansam præbuisse videntur, haud parum delectatus, non minus felicitate, quâ aliud velut agenti, Doctorem meum exercere licuit, captus sum. Par quidem ego referre nequeo; sufficiat fateri, Te eo invento, & animi mei sententiam, votorumque summum egregiè expressisse, ac simul recens & acceptissimum sinceræ in *Clementiss. Parentem* devotionis specimen edidisse.

Quod autẽ scribis, *Clementiss. Parentem* à Te *Tubingæ* olim cultũ fuisse, ex Tuis literis nunc primùm intelligo; ac desiderio, si arbitrii mei res esset, lubens satisfacerem, eò profectus, non quòd me eâ ingenii bonitate esse præsumam, ut paterna æquare vestigia, atq; Tuam admirationem unquam mereri possim, sed quia & ipse præsens corporis figuram, & animi penitiùs, cujus florentissima famâ hactenus tantùm freti sumus, complecti percupio. Vix autem, si quæ de *Ducatus VVürtembergici* vastatione dicũtur, vera sunt, ut esse ferè non dubito, illam sedem ac magistram Studiorum mihi eliget *Illustriss. Dns. Parens*; nisi fortè, ut in corpore humano aliquando, membris exterioribus malè affectis, & enervatis, cor tamen durare potest, ita inter tot mala, ac subpullulantes



Porrige libramen radio; hinc Appende minutum
Pondus, et æquabit pondera maius, idem
Virtus Virtuti compensa Nepotibus olim
Progreſsu ſtirpis preminet inter avos.
nat: 1633.

lantes quotidiè Ducatus calamitates illud *VVirtembergiæ Corculum, & summum ornamentum*, Omnipotens DEVS singulari exemplo conservatum esse voluerit.

Atq; dum in malorum nostrorum mentionem incidi, quia præteritis diebus ad nos fama perlata est, cesos in finibus VVirtembergiæ *Gallos*, qui nuper *Vinariensibus copiis* in auxilium venerant, res ut sit gesta, scribere non gravabere. Invisit nuper *Illustriß. Dominum Parentem*, Dux VDALRICVS VVirtembergicus, quem si jam redux Stutgardiæ nunc est, præmissâ prius officiorum oblatione, & revocatâ in memoriam, quam hîc condidimus, fraternitate, salutes velim meo nomine quàm amicissimè. In cujus *Generosissimi Principum* recordatione suavissimâ nunc finiam, si priùs felicem *Novi*, quem DEO vitam & vires donante mox ordiemur, *Anni* ingressum, feliciorem successum, & felicissimum finem, cum longâ multorum insequentium pacificorum annorum serie, à DEO, cujus Tutelæ Te cum omnibus Tuis animitus commendo, fuero adprecatus.

Rev. Tuæ Dign.
addictus.

Brunsuigæ 5. Xbris, Anni decurrentis 1643.

II.

Cum Pr. ANTHONIO ULRICO.

EPIST. X.

Vir admodum Reverende, Clarissime,

CVpidâ sanè manu à Clementissimo meo Domino Parente accepi, lætantiq; aspectu subindè perlustravi egregiam, & ad

vivum feliciſſimâ arte expreſſam *picturam Salvatoris*; ſimul etiam in me affectûs Tui indicium, manu propriâ ſcriptum, adjunctumq;. Gratiſſimam hæc Tua, penes me, memoriam relinquent, & erunt inſtar incitamenti, id addiſcere, id tentare, & in eo porrò pergere, quod teneris meis annis Tua inclinatio attribuere voluit. Pro munere hoc Tuo eleganti, & gratias ago, & ob candidam animi Tui propenſionem, valdè lætor, tanquam cui gratius &optabilius nihil obtingere poteſt, quàm à Viris bonis, piis & celebribus, amari. Breve hoc reſponſum benevolâ manu, *Vir Clariſſime*, accipies ab eo, qui

Virtuti & pietati Tuæ
ſyncerè addictus erit
ANTHONIUS ULRICUS
Dux Br. & Luneb.

Brunſuigæ
1. Auguſti
An. 1643.

EPIST. XI.

Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps, Domine longè clementiſſime,

QVod *munuſculum meum non ingratum Tibi*, florentiſſime Princeps, *fuerit*, *ab affectu potiſſimum in eum, cujus imaginem refert, fortaſſis etiam æſtimatione inventoris, magni quondam artificis* Dureri, *profectum arbitror, nihil namque eſt, quod mihi debeatur, qui omnia, quæ intra me, extraque ſunt*, Domui Tuæ Illuſtriſs. *debere, ingenuè profiteor. Iam etiam, ac poſthac* Tibi, Tuisq; augmentis, *ut qui literis cùm ingenioſè conceptis, tum eleganter pictis, ætatatem tuam ſuperare, & polliceri maxima quæq; viſus ſis. Quid enim non expectemus ab hac genitura*

tura pariter, & cultura, quæ nobili genio sociata (Trinum perfectum, *haud dubio constituent.* CHRISTVS plantanti Patri, rigantibus formatoribus, *incrementum bono publico, supra votum & Exemplum largiatur. Vale & fave*

Tuo apud Deum *intercesso-*
ri sedulo

I. V. A. S. T. D.

EPIST. XII.

Vir admodum Reverende, Clarissime,

AD Tuas non ita dudum ad me transmissas Literas equidem hâc vice breve respõsum, ex debito tamen prolixius sanè, remitto: non tam *Clementissimi Dn. Parentis mei* jussui obtemperans, quàm pronissimo animo, lubentissimâq; manu calamum, pro tenuitate virium, ductitans. Amabile sanè est, amantium affectus consociari, quid autem amabilius mihi puero accidere poterit, quàm affectu tam pio, tamque sincero haberi, foverique à *Tuâ Reverentiâ!* cujus in me amor, tali oblectamine mentem meam penetrat, qualem imaginari mihi videor, si ipsius Pietatis, Virtutisque sinu foverer. Precor venerandis Tuis canis, longos adhuc, & inoffensos prosperitatis cursus, afflictæque Ecclesiæ preces, manus & voces Tuas adhuc diutissimè, ea ipsa enim Virtutes Tuas latè circumspicit. Vale *Vir Reverende, Clarissime,* Teque porrò amari concede, ab eo, qui

Tuam Reverentiam amare, eique
Brunsuigæ animitùs favere non desistet
31. Oct. An. 1643. *A. V. D. B. & L.*

Vir

Epist. XIII.

Vir admodum Reverende, Clarissime,

PRoximis tuis literis, quas non immeritò, ut duraturæ affectionis pignus servare debeo, indicâsti, incrementorum meorum testimonio, subinde transmittendo, refici Te posse, eoque cupis hujuscemodi officii debitum sæpius à me exerceri Non nego, dulcissimi delectaminis loco mihi sedere, qualiacunque conatûs mei specimina ostendi, & aliquo modo non sine probatione adspici. Transmisissem unà cum hisce literulis aliquod delineandi rudimentum,(cui quidem exercitio, otii intervalla etiam impendere soleo) nisi profectio Tabellarii hâc quidem vice, maturius solito, contigisset, proximâ tamen occasione, qualecunque etiam erit, transmittetur. Interim *Vir Reverende*, ipsâ quidem de facie mihi ignote, at de *Eruditionis* & *Pietatis* coruscanti famâ vel notissime. feliciter vale. Præceptor meus *Schottelius*, officiosissimam salutem remittit, venerandi & colendi omnia debita adjungens, propriâ manu, si non molestum, ipse adfuturus. Dabam *Brunsuici* 5. Decembris, Anno 1643.

Pietati Tuæ
syncero venerationis cultu
addictus
A. V. D. B. & L.

Cum



Taurino poterat regnum circumdare tergo
Dido ſuum, poſtquam in loca minuta ſecat.
Ferre gravem ſortem magnum eſt, maiusq; tueri
Facto Extendere eam, quantum opus, ac decus eſt.
nat: 1636.

III.

Cum Pr. FERDINANDO ALBERTO.

EPIST. XIV.

Vir admodum Reverende, Clarissime,

MVnusculum Tuum oculis delectantibus aspicio, & plurimùm lætor, spem qualemcunque mei etiam à Te foveri, & inde acceptabile incitamentum ætatulæ meæ advenire. Gratias pro hoc Tuo, & brevia hæc verba remitto, adjungens animum syncerâ propensione

Reverendæ Pietati Tuæ

addictum,

FERDINANDVS ALBERTVS

Dux Br. & Lunæb.

EPIST. XV.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

C*Vm tuas ipsas tenellas manus maluissem, earum in literis characterem sum dissuaviatus.* dulcissime Princeps, *precatusque Deum, ut hæ lætæ segetis felices primitiæ*, Domui inclutæ Tuæ, *magni incrementi*, Parentibus *lætitiæ ingentis*, Informatoribus *rectè functi officii*, Patriæ, *salutis & restitutionis*, mihi *continui ex hac familia favoris*, *uberem messem ferant.*

- - Cresce auspice Christo,
donec totum impleas orbem.

Et salve ab eo

qui precibus pro Te assiduis vigilat

I. V. A. S. T. D.

EPIST.

Epist. XVI.

Vir admodum Reverende, Clarissime,

CVpis per Literas, tenellas ipsas meas manus, quarum lubricum adhuc characterem, in scripto ad Te misso, nuper vidisti. Equidem vel majori desiderio teneor, Tuam illam venerandæ ætatis faciem coràm intueri, & debito charitatis osculo venerari. Stimulus est ætatulæ & annis meis jucundissimus, & Tibi quodammodo placere, atque à Tuo monitu progressus porrò ad bonum addiscere. Valeat feliciter *Rever. Tua*, quam usque increscenti inclinatione

colam

Brunsuigæ addictissimus
23. Octob. An. 1643. *F. A. D. B. & L.*

Epist. XVII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine Clementissime,

N*On te onerabo literis meis*, suavissime Princeps, *qui ipse & docilitate Tua, & sedulitate informatores Tuos prævenis & fatigas. En* Patris Tui imaginem, *quam aliquanto diductius per ideam vobis paulò post, si Deus permittit, exhibebo, ex quo discas, eum aliquando referre, in quem DEVS tot bona Vnum contulit, quæ in multis sparsa laudem, in illo tamen admirationem merentur.* Tibi *verò, si imiteris, hæreditario universa aliquando cedent, beatissimo & celeberrimo inter Germaniæ Principes possessori exinde futuro,*



Honneur pour but — Symbol — Vertu pour guide.

Ursula Brunſuices Dux et Lunburga, Sibyllæ
Cui Dux eſt Virtus, cui Scopus eſt et honor
Soſpes honore diu, Virtute piâq; ſuperſit
Nam Virtute nihil maius, honore nihil.

Goſky.

nat: 6 Dec. 1628.

C Buno

turo, quod ut annorum & virtutum incrementis feliciter contingat, ſacram Triadem *ardentibus pro Te votis precor, &c.*

EPIST. XVIII.

Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps, Domine Clementiſſime,

Q*Vantis in deliciis literulas Tuas*, ſuaviſſime Princeps, *nimis fortaſſe pro ætate eruditas habeam, nunquam dixero, nam ex iis & ſuaveolentiam Lilii convallium odoror, & hyblæum amoris, quo me complecteris, Tui ſuccum guſto, quo mihi hoc effætæ ætatis dulcius nihil eſſe poteſt. Nam cum rei Chriſtianæ permaximi interſit, quæ* perfectiſſima Virtutis Exempla *cælitùs conceſſa ſunt, ea imitatores & heredes habere ſuos, quanti hoc faciamus, quod* Patris Tui *lineamenta, genium & virtutis ſemina, tanquam in imagine expreſſa, jam teneris in annis Tuis intueamur, exactumq́; aliquando ſimulachrum nobis polliceamur. Quam noſtram ſpem* CHRISTVS *impleat, ſolidumq́ue gaudium noſtrum ſuperſtitibus longum* Parentibus & *florente* Republica, *reddat,* CHRISTVM *propitium precamur, qui Angelorum ſatellitio, greſſus progreſſusq́; Tuos cuſtodiat & ſecundet, & felices opera ſua manuductores Tuos faciat. Oſculum addo manibus Tuis, & multâ per* CHRISTVM *ſalute perfundo.*

EPIST. XIX.

Vir admodum Reverende, Clariſſime,

SI *ſuaveolentia* quædam animum noſtrum penetrare, & *hyblæus amoris ſuccus*, hæc ſunt amœna tua verba) delectare animũ aman-

tem

tem potest; Est sanè floridus ille tuus sermo, & piissimæ affectionis dulcedo, quâ teneor, afficior & foveor. Non modò scripto eam ipsam, sed potiùs addictissimi animi recessu & succrescenti memoriâ usque servaturus, *Tuamque Reverentiam* omni amore amplectens, amplexurusq;. Valeat eadem optimè, quam

corde gero

addictissimus

F. A. D. B. & L.

EPISTOLÆ ANNI M DC. XLIV.

I.

Cum tribus Principibus.

Quod

IEHOVA

Cœlorum summus motor & effector felicitet

Sole in auge - - -

Luna crescente

Conjunct. Merc. & Veneris auspic.

Orionis cingulo radiante

Tribus *COELI GVELPHICI* astris lucidissimis

1.

Rudolph. I. Imp. *Fortunam.*
August. Pat. *Pietatem.*

2.

Anthon. Phil. Imp. *Eruditionem.*
Vlrici benè amat. VV. *Amabilitatem.*

3.

Ferdinandi I. Imp. *Prudentiam.*
Alberti I. Sax. *Animositatem.*

Hoc æræ Christianæ anni M. DC. XLIV. exortu

Ominatur & adprecatur humillimo affectu devotissimus

Ioh. Val. Andreæ T. D.

Illu-

Epist. XXI.

Illustriss. & Celsiss. Principes Fratres, Domini longè clementissimi,

Quòd mea vobis non displicere videam, plan beatum me reddidistis. Nam cùm Domin Patri vestro, Principi & Hero meo long clementissimo *omnia, quæ habeo, debeam, nun quam feliciùs solvero, quàm si aliquantillam par tem ejus vobis numerem, cujus sanè rei opportu nitatem, quotiescunque ad manus, quod oblectai oculos vestros, vel excitare ingenia possit, vene rit, neutiquam mihi negligendam putabo. Nui verò de* natali Patris 66. *omnibus nobis exopta tatissimo, vobis præcipuè gaudendum, mibi grati landum ex animo est, cujus annos non tam* Ec clesiæ suæ *&* Reipublicæ *bono, quàm* vestr *commodo, &* Domus Guelphicæ *ornamenta Deus propitius producit, ut ætatem vestram pi ferreo hoc & tempestuoso seculo, adhuc teneric rem, Virtutis præceptis pariter & Exemplis mu niat, cujus archetypum dum vivum valensq; v bis superest, salvi estis, nos ejus imagine, quai hoc die natali nobis festo insignitam, sub nomi* Principis Exempli, *paulò post à me accipieti ovabimus, cum voto* usus & gaudii publici, pe rennis. *Valete & lætamini cum* incl: Matre Sororibus.

Epist. XXII.

Illustrissimi & Celsissimi Principe fratres, Domini Clementissimi,

Quo nullum pretiosius donum dari posset, Pa trem vestrum *vobis mitterem, nisi inger Dei beneficio ipsum domi vividum, viret te*

em & felicem poßideretis. *Itaque* Imaginem *ejus, ac ne eam quidem affabrè satis expressam, sed imaginis veluti* umbram *Vobis sisto, in quam intuiti, quid, quantumque vobis imitandum prostet, generoso animo concipiatis, & felici profectu, contingatis.* Beatos *verò* Vos, *quibus non per ambages, aut anfractus ad virtutis fastigium est contendendum, sed recta expeditaque via, non nisi* Patris vestigia *sunt premenda, cujus exemplum, quo inter Principes rarius, ac propemodum sine Exemplo est, hoc vos fortius constringit, ut quæ coram auditis, videtis, & laudari publicè, imò à Deo ipso evidenter coronari, animadvertitis, ipsi quoque in Ecclesiæ & Reipublicæ usum, vestræ verò Domus incrementum juxta atque ornare feliciter exprimatis. Quod CHRISTUS auspicatißimum esse velit, quem pro* Patris, Matris & Familiæ vestræ inclutæ *salute supplex adoro.*

EPIST. XXIII.

Illustrißimi & Celsißimi Principes fratres, Domini Clementissimi,

T*Anti profectò munuscula mea non sunt, ut ullas gratias à Vobis mereantur, quin contra hoc agant, ut si quid gratiarum mihi, debitorum maximo, Deus concesserit, id omne in testimoniũ obnoxii animi, bonâ fide Vobis humiliter offeram & sistam. Quid enim in hac temporis calamitate terrenorum commodorum & subsidiorum mihi superest, quod non post Deum,* Parenti Vestro, Domino & Hero meo *in solidum debeam, tam immenso nomine crediti, ut vix majore servus ille,* (Matth. 18.) *obstrictus fuerit. Cujus cùm tam facilem solutionem admittatis, scilicet vel oculorum qualecunque oblectamen, vel studiorum juvamen, ne ego*

næ ego felix debitor sum, qui hoc officii & servi-tii mei liberale genus, in solutionis partem Vestræ indulgentiæ converto. Quo nomine maximas Vo-bis Generosissimi Principes, *gratias ago, quòd Patris in me animum, jam juvenilibus annis in-duatis, à quo parem aliquando gratiam & clemen-tiam, si vita mihi suppetat, sperare, certè meis a-pud vos asylum & umbraculum parare, fas sit Quam mihi fiduciam ut crescentibus vigore, flore annis & rebus præstare aliquando poßitis (vell enim, dubitare non licet.)* Deum *propitium sup-plex adoro. Sic Vos* CHRISTVS *salvos & in-columes servet, donisq; suis augeat, in quo valete* Stutg. 24. *Iulii, die* Salomonis, *cujus omen Vobi ex animo opto.* 1644.

Epist. XXIV.

Illustrissimi & Celsissimi Principes Domini Clementissimi,

NE Hercules quidem adversus duos *pugna-re dicitur, qui ego defœtus, cum tribus floren-tis ingenii & virium Principibus, exercita-tis etiam magistris in arena suffultis? Libens erg herbam Vobis porrigo, superioraq; in Vobis omnia, imò summa ingenuè agnosco, unicum mihi reser-vans, animi in Salutis & incrementi vestri stu-dium ardentißimum, & obnoxium, quo superan-dum vivo, ab ullo mortaliũ, negavero. Nam cum* Serenissimi Principis Patris Vestri, *Heri mi longè clementißimi favor, eo numero, pondere, & mensura apud me sit, ut accedere ei ab ipso* copi[æ] Cornu *quicquam posse, incredibile videatur, h[oc] mihi agendum puto, ut quod* Magnitudini inclu[ti] Patris *à me rependi non, & nunquam potest, i[d] omne quantumcunq; à me proficisci, exigi ve pote-rit, i*

rit, in studiorum vestrorum illustrium augmenta conferatur. Nolite vero Ingeniosissimi Principes *unquam persuaderi,* Palladis, *sive verius* Sapientiæ Christianæ artes, *quibus laudatissimus* Pater *inter Germaniæ capita Principatum hodie tenet, minores quàm* Martis,*(qui omnem jam pubem quasi contagio imbuit) esse, aut etiam (quæ nonnullorum* Bovina *vox est)* Ordinem Vestrũ illustrem *dedecere, cùm ipse DEUS* Davidem *suum, quicquid delectum & dilectum, sed* sanguine pollutum à Sanctuarii sui structurâ *arcuerit, &* Salomonem pacis artibus coruscantem, *prætulerit. Quapropter has mihi partes incumbere, porrò putabo, ut Vestrorum piorum & elegantiorum studiorum, quibus hæc ætas Vestra omnis boni capax debetur, profectibus subinde aliquid adminiculi & vel currentibus, calcar addam, beatus omninò debitor futurus, si hoc quicquid erit humillimi officii mei, pro animi illustris generositate non dedignemini. Sic* Vos Principes *ipse CHRISTUS augeat, & sospitet,* Domus vestræ *ornamento,* Ecclesiæ *bono,* Literatorum *commodo. Valete, & favete*

Ill. C. C. G. V. V. V.

Stutg 7. Aug. 1644. *Clienti humillimo,*

Epist. XXV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

NE Herculem quidem adversus duos pugnare scribis, & est in proverbio: Tu tamen ipse, non duos, sed tres, sed plures solus, laboratissimis literis expugnas, arenamq; deserere penè cogis. Id hactenus minus mirati sumus, facilè enim *Veterano* singulos *tyrones*

adorto, *ſuperare*; mirari nunc, qui *uno ictu* vincimur *univerſi*, liceret, niſi virium noſtrarum languor, Tuarum verò integrum adhuc robur eſſent perſpecta. Scilicet in omnibus literis, quod de certo militum armatorũ genere prodiderunt Hiſtorici, quodque quibusvis ſeculis, qui *cautiores*, ſervaverunt, ut fortia ſua facta gloriæ ejus, cui militabant, aſſignarent, tu Togatus miles imitari videris; quippe *ſuperiora* in nobis *omnia* non agnoſcis tantùm, ſed & quanquam in hâc arenâ literariâ pugnes in exemplum, & *vincas*, reſervato tamen Tibi *ſolius miniſterii* honore, quam è victoriâ mereris laudem & gloriam, *victos ſe profeſſis* attribuis. Id an ſuadeat *Dilectiſsimi Domini Parentis noſtri*, quam prædicas, in Te munificentia quæ Tuis certè meritis non minor eſſe non poteſt; an *Spes*, quam de ſtudiorum felici ſucceſſu, noſtrisq; temporibus alis; an verò *mores Tui* Tibi imperent, qui, quos *Virtutis arduæ viam* ingredi cernis, etiam mortalium infimis montis, quo ad eam adſcenditur, juga clementiora reddere, omni curâ anniteris, equidem ſubdubitamus. Vt verò nobis iſtud credit facilius, ita in cæteris, atque illorum uno potiſſimùm à nobis opera dabitur, ut temporibus noſtris olim alicui eſſe decori, Tuæ autem ſpei amplitudinem è propinquo conſequi valeamus; Vt valeas interim cum omnibus Tu optamus

Rever. Tuæ

VVolferbyti obſervantiſs.

26. Auguſti *R VD. A VG VSTV*

Anno 1644. *A N TH. VL R I C V*

FERD. ALBERTV

P

P. S.

Pro transmissis gratissimis *picturis* maximas remittimus gratias, proq; amicâ, quâ Informatores nostros impertitus es, salute, ab illis perofficiosam. Vale iterum.

EPIST. XXVI.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini clementissimi,

CVm Gerione *mihi rem esse video, quo, sive vecordiam, sive socordiam meam, ingeniosa talione elusistis. Sed age, cum bono omine* Gerionem vestrum *accipio, aliumque* meum *repono, hieroglyphicis notis insignitum, scilicet qualem à vobis expectem, Terrisque vestris optem. Quid velim, quâ estis sagacitate, per vos ipsi intelligitis, ex notis tamen alii cognoscant. Vnum vobis* Caput AVGVSTVM *est, fratribus trigeminis, pietatis coruscans luce; mens animusque idem, cor concors. Sit hoc æternum vobis, ex publica salute, cui fratrum dissidium pestis est. Promus condus liberalitatis illustris mutuum accipiat & reddat.* Officia *verò* manuum pedumq; distincta *sunt, sed quæ à singulis vobis administrentur omnia, una mente, primo scilicet mobili, rectrice. Hinc à dextris* fax religionis, *à supremo Sole accensa, à sinistris* lex Regionis, *in justitiæ tabulis perscripta, Inde* artium *sive eruditionis honos, illincq;* Martis *vel armorum justa defensio, quæ pacati turbatique status tempora temporent, accedit sors ex* commercio & mercatura, *parsque seu reditus ex* agricolatione, *sine quibus vastum hoc animal vivere nequit. Sed &* fulcra *sint tantæ moli sustinendæ paria, necesse est, quæ subjicienda tantâ vi ac ex ipsis facile primaria in medio,* præ-



mium *nempe* preciumq; bonorum, *&* malorū pœna *atque averruncatio. Adjuncta utrinq; sunt à dextra quidem* amor cleri, *&* æstimatio nobilitatis, *à læva verò* opificum subsidium *&* paupertatis cura, *quorum* thure, scuto, machinis *&* votis *salus publica constat. Habes* Illustrissima Principum triga, *quem cum Tuo*, Gerionem *committam, in quo amplius enucleando & eviscerando (nam extimas tantùm partes exposui) si ingenia vestra, quæ habetis nobilissima, exercueritis, me quidem in præsentiarum; sin ipso opere exprimendo, porrò contenderitis, Terras olim vestras beabitis, & favente DEO, plaudente* Patre, *ovante* Matre, *exultanteque* Domo, *omnem vobis Germaniam reddetis obnoxiam: quod optat ex animo, qui pro* incrementis Guelphicis *apud DEUM assiduè excubat.*

Ill. C. C. G. V. V. V.

Stutgart 10. Septemb.

1644. humillimus Cliens.

EPIST. XXVII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

REdivivum Geriona, novum & insigne profectò inventum cum ejusdem explicatione accepimus. Nunc verò non pudet repetere; à Te *nos victos* esse, ut olim ab *Hercule Gerion*, licet Gerioni victoria *exitiabilis*, nobis *pulchra & utilis* fit. Gratissimus enim est omnibus, quod credas velimus, Tuus hic *Gerion votivus*, quo, quis Gerion fuerit, non ex *fabulis*, sed *vero* prodis, & quâ diligentiâ ejus Exemplum Fratribus commendari oporteat, significas. *Gerion* non triplicis naturæ

monſtrum, aut Tyrannus, in perniciem generis humani ſpirans, ſed *tres fratres* fuere, tribus Inſulis Hiſpaniæ adverſis præpotentes, tantæq; concordiæ, ut uno omnes animo regi viderentur. Nec *Herculem* malorum averruncatorem, *ſcelera* eorum in Hiſpaniam traxêre, ſed *prædæ* cupido, quia armentis, quæ tum ſolæ opes erant, abundabant. Itaque, triplice Gerione transmiſſo, tribus Fratribus CONCORDIAM perſuades, iisdem polliceris opes & fœlicitatem, quæ ſine Numine & Pietate, Literis & armis, honeſtarumq; artium, & victum parandi rationum amore & tutelâ eſſe nequeat, cùm & veri ſit ſimile, hos fratres, DEOS ſuo more magnâ curâ coluiſſe, terrâ mariq; *armis* plurimum potuiſſe, omnesque *artes*, quas recens illius ævi neceſſitas adinvenerat, impensè foviſſe & auxiſſe. Hæc *extimæ* Tui Hieroglyphici Gerionis *partes*, hoc Anatomicæ literæ elegantiſſimæ indicant. Vt autem eviſceremus, *interioraq́;* perſcrutemur, (hoc eſt, ut ipſi explicamus, quæ à Te compendio expoſita, in uſus noſtros dilatemus) cùm jubere poſſis, mones. Haud inviti paremus, cùm, ſi quam partem minus ex arte ſecuerimus, Tuam expectemus informationem.

A fulcro, lævâque ejus parte, junctis ſcilicet manibus, quibus PAVPERVM PRECES ET VOTA notas, incipimus; quæ cùm noſtræ tempeſtatis Cyclopes non modò derideant, ſed & ipſorum bona rapiant, ſanguinem profundant, & miſeros non hominū loco, ſed quadrupedum habeant, tantò magis nobis cavendum, ne deteſtabilium exemplorum torrente abrepti, non *lachrymis*, non *precibus* moveri *Numen*, & quia tantorum ſcelerū

pœna

pœna differtur, impune laturos, in animum inducamus. Quod igitur ingens multis paradoxum videtur, id apud nos certum ratumq; esse confidas, pauperum *preces*, & in eos collatam *beneficentiam* non invalidum, sed è firmissimis Rerumpubl. sustentaculis esse, neque eos tantùm *pauperes* habendos, quibus cùm ad vitam desint omnia, stipem *ostiatim mendicare* coguntur, sed quos *feroces* diuturni istius belli *calamitates*, exinaniverunt, hominum reliquias, seminudos, famelicos, novis subindè injuriis, diu noctuq; patentes. Horum, qui gemitus & preces seu adversas, sive propitias contemnit, eum humanitatem exuisse sentimus, omnemque divinitatis sensum amisisse: uti qui ex Illustribus familiis in eos munifici fuerunt, *opibus & potentiâ* domi, *famâ* apud exteros, *prosperâque valetudine & longâ posterorum serie* floruisse, Christianorum seculorum Historiæ testantur. Supersunt in Exemplum ex Græca Legislatione *Xenodochiorum*, *Ptochotrophiorum*, *Brephotrophiorum*, *Orphanotrophiorum*, *Gerontocomiorum*, vocabula: recordamur *CAROLI M:*, *Capevingorumq;*, *Roberti & Ludovici S.* & quid olim Nebucadnezari *Daniel* consuluerit c. 4. 27. quemque *David* felicem prædicet, Psalm. 41. 1. & seqq. sæpius audimus. Denique ex Lev. 25, 35. involutos *junctarum manuum* Hieroglyphico signo rimamur sensus, num assecuti fuerimus, Tuum erit judicium, quo si istud eviscerationis specimen comprobatum fuerit, ad cætera propediem, cum DEO nos accingemus, sin minus, monere non gravaberis, utrobique consilium secuturos. Vale interim optimè, & nos amare perge

Guelferbyti *Rev. Tuæ Dign.*

8. Octob. 1644. Observantissimos.

Epist. XXVIII.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini Clementissimi,

GEriona meū, ex animo sensuque vestro fuisse, valde lætor, refectum etiam ad verissimā mythologiam vestro ingenio sum miratus. Bonum factum! Nam quam CONCORDIAM trigeminā vobis Fratribus, felicitatis vestræ summam ex animo opto, hanc vos sponte amplectimini, invictum robur Domus vestræ Inclutæ sancituri. Hoc verò quàm egregiū, quòd quæ ex Mundi ingenio ultima habentur, Vos primo loco eviscеranda duxeritis, supplices scilicet & flebiles eorum preces, quos hodie Cyclopes, & hominum monstra, laniant & calcant, à quorum sive adversis, sive propitiis precibus vel fausta omnia, vel dira profectò pendent. Quis enim in Historia non videat, ex hac sive pietate, sive injuria potentissima regna aut fundata, aut eversa, cujus causas frustra in Politicis arcanis, aut Status rationibus quæsiverimus. Laudo itaque non tam industriam vestram, qui acu rem tetigeritis, quàm propensionem in miseros, qui dum flagella, excoriatores, & lanistas suos devoventes exitium iis provocant; Vobis precibus & votis suis piis, & florem, & vitam, & pacem, & abundantiam, & gloriam, (en paupertatis opulentiam) conciliabunt, ac planè Beatos efficient. Superest, quòd in uno hoc fulcro feliciter præstitistis, successivè in aliis æquè enodandis facere, non gravemini, quod non alienum à vestris studiis, mihi sanè perhonorificum putabo. Suffecerit, si singulis literis, pes unus concordis staturæ explicetur, ne oneri vobis esse, aut magis seriis studiis, impedimento velle, videar.

dear. Valete Incluti Principes, *& spem patriæ superate faventes*

Ill. C. C. C. Vestrarum

Stutgard. 23. Octob.
1644. *humillimo Clienti.*

Epist. XXIX.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

PRimum Anatomiæ nostræ specimen gratum adversum Te fuisse gaudemus. Eo enim ad reliqua secanda incitamur. In Sinistro Gerionis Tui latere precibus pauperum annexa est CONSERVATIO OPIFICIORUM, quæ & fundamentum Rerump. ponis. Hoc ita esse, *Gerion* docet. Nisi enim Gerion idem statuisset, quomodo terrâ mariq; potens esse potuisset? *Navem*, quam sævienti Pelago committimus, qui viderit, neq; è terra procreatam, neque è cœlo delapsam sibi imaginabitur, sed humanum esse opus intelliget, & machinam, quæ multò minus sine artificibus erigi potest, quàm quis sine nave in mari vagari. Ad tantam molem fabricandam fabrorum tignariorum, ferrariorum, textorũ, restiariorum, & qui picem tractant, manus necessariæ sunt: quæ opificia omnia Gerion maximi fecit, auxit, iisque optimè usus est. Quis verò in bello absq; *armorum* usu quid efficere potest? Unde autem frameas, enses, missilia, & hastas habeas, nisi ars effodiendi ferri nota sit. Ideoq; Gerion ferri fossorum usum haud sprevit in Rep. nec non fabros ferrarios aluit, qui militaria ipsius arma fabricaverunt. Pecoribus, armentisq;, equis & aliis

abundavit. Quare etiam nobis in mentem inducimus, coriarios, sutores, lanifices, & sartores secum habuisse, nisi verius videatur, ferarum eos pellibus (Germanorum more) usos: quod & admitti potest. Atque ita docet Gerion, Remp. sine Opificiis esse non posse, idem quoque *ratio*, probant quoque *Exempla* multarum florentissimarum Rerump. quæ tantò feliciores sunt, quantô ingeniosiores opifices. Cùm enim homines primùm *Civitates* conderent, ea fuit eorum sententia, id votum, ut securi à tempestatibus, feris, & prædonibus essent. Deinde Industria exérere se inter conjunctos cœpit, atque id alter, alter aliud excogitare, ut non *vivere* tantùm, sed *& benè vivere* possent. Veteres Germani, & inter eos præcipuè *Fenni* etiam vixerunt, sed miserè tamen, cùm gramine vescerentur, & ferarum pellibus pro vestibus, humoque pro lecto uterentur. Quis verò præsentem nitorem & commoditatem non longè præferat barbariei illi? nos autem cultiores iis esse, opificibus meritò acceptum ferimus. Ii itaque, qui opifices è Repub. tollere conantur, genus humanum ferox facilè reddere possent, & ad *bellum* proclive, ii verò, qui opifices in Rep. retinendos suadent, *pacem & concordiam* inter homines alere cupiunt. Multis ad id pertinentibus relictis *Clarissime Vir*, concludimus has literas ita, custodibus Rerump. cara esse debere opificia, quædam etiam ipsis *discere* licere, non ut pretium indè capiant, sed in voluptatem, interdum etiam & necessitatem. Legimus enim de *Demetrio Poliorcete*, præstantissimum eum Mechanicum fuisse, machinas extruxisse, ut urbes munitas occupare posset. CAROLVS V. Sphæras & Horologia componere scivit;
SO-

SOLIMANNVS acus fecit; ALFONSVS Dux Ferrariæ tormenta fundere didicit, & inter alia duo ingentia admodum fudit, unum, quod appellatum fuit *Grandiabel*, alterum à terræ motu appellavit; AVGVSTVS Saxoniæ Elector, ut & Poloniæ Rex SIGISMVNDVS III. torneatoriam artem calluêre: RVDOLPHVS Imperator aurifaber & pictor fuit. Nec *domi* caremus *illustri exemplo*. At de his nunc satis. Vale.

Officiosam salutem *Rever. Tuæ* remittunt Informatores nostri.

Guelferbyti 19. Novemb. 1644.

Observantissimi.

Epist. XXX.

Illustrissimi & Celsissimi Principes Domini Clementissimi,

Ingeniosam & perelegantem anatomen vestram valdè probo, cujus etiam continuationis videndæ desiderio totus teneor. Hoc enim testamini, quàm rectis principiis, regendæ aliquando Reipublicæ, & evitandæ, profligandæque barbariei imbuamini, quo mihi ad spem meam de vobis conceptam, explendam, nihil contingere posset optatius. Quantùm autem & commodi & ornamenti Opificiorum *cultura Reipublicæ adferat, præter illas à vobis allatas rationes & exempla hoc nostro seculo docuerunt, Magnus Dux Hetruriæ* Cosmus *in Italia*, Franciscus I. *Rex in sua Gallia*, Fuggeri *verò (cum Principum fortunâ certantes) Respublicæ etiam liberæ*, Noriberga & Augusta, *quos opificii favor minimè omnium pœnituit. Ex illustribus verò oblectationibus*, Architectonicam & munitoriam *omnibus prætulerim, cum* Po-

liorcetica *conjunctam, ad quæ totius Matheseos medulla exigitur. Pictoriam, tormentoriam, sculptoriam & hujusmodi, nisi quâ ingenium acuunt, oculos erudiunt, corpusque reficiunt, infra dignitatem vestram, si operosa nimis sit, putarim. Sed ego temerarius, quasi non rectiùs a vestris Magistris & vivo Patris exemplo, ut omnia, ita hæc talia acciperetis, quos ego per vos audire, quàm vobis obstrepere malo, hoc unum in votis habens, ut aptam hanc genio & fortuna vestra materiam porrò tractare & pertractare non dedignemini. Valete & florete.*

V. V. V. C. C. C.

Stutgard. 4. Novemb. 1644. humillimè addictissimus.

Epist. XXXI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

NEcessitatem & utilitatem opificum in benè constituta Rep. literarum nuper transmissarum materiam fuisse, eosque Principibus æquè ac ceteros subditos curæ esse debere, memoriâ tenemus; Breviter quoq; annexũ, quædam opificia Principes etiam haud dedecere, si modò non sint sordida, sed acumen ingenii requirant.

Nunc ad ARMA,(per saltum tamen)pergimus, quæ à dextro latere secundum locum in fulcro Gerionis Tui occupant. Præmiorum & pœnarum haud obliti, suo tempore recordabimur. Invenimus autem hoc loco *peltam*, dein *acinacem*, post *malleum militarem*, & denique *cestum aculeatum*, quibus id vis, quod in bello fieri solet, ubi aut nos & nostra tuemur,

(huc

(huc pertinet pelta) aut latrones & injustos invasores punctim cæsimq; depellimus; Si omnes *Iustitiam* colerent, seq; de labore manuũ suarum alerent, fortitudo bellica frustranea esset, & (ut cùm vulgo loquimur) ex gladiis & clypeis *rastra & aratra* conficienda essent. Iam, quia unum ex maximis humanæ Naturæ incommodis est, *aliis invidére, quod ipsi non possidemus*, alienaq; majora & meliora esse arbitrari, quàm nostra: indeq; mutationes & transmigrationes populorũ, ex eo arma, fundamenta Rerumpubl. sunt. Hic multa adferri possent, si nobis consilium, non literas sed declamationem scribere. Quia autem multi de armis eorumque usu scripsêre, maximi id facimus, quod Aristot. in Polit. libr. 7. c. 2. & Politicus Hetruscus in Principe suo cap. 14. (quo inter venena rosas spargit) scripserunt, hucq; trahimus, quōd *Venetiis* in foro S. Marci extare ajunt: Militem scil. dextra tenentem *clypeum*, sinistra verò *gladium*, quo *defensivè* potiùs, quàm *offensivè* pugnandum significat. At de his nunc satis. Vale, amareq; perge

Tuæ Rev. Dign.

Guelferbyti 9. Decemb. 1644.

Observantissimos.

EPIST. XXXII.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini Clementissimi.

H*Oc novi anni accessu gratulari Vobis, bonaq; verba dicere, officii mei putavi. Nam qui currentem annum, & staturæ progressu, & judicii profectu, & studiorum incrementis, salvis, sanisque Parentibus, Domoque felice, consecuti*

 estis

estis parem, aut etiam meliorem succedaneum ut habeatis, non nisi à propitio numine expectare potestis, quod nostris precibus conciliandum exorandúmque venit. Id ego quidem obnoxius vester cliens, calidis votis vobis assiduè præsto, certus non irrita fore, quòd ex sincero corde, & unius salutis vestræ, quæ cum publica conjuncta, intuitu proficiscantur. Cujus omnem summam Incluti Patris, Domini ac heri mei longè clementissimi incolumitate, cui suavissima mater vitis fructifera, ornamento, plantulæque olivarum deliciæ adsint, comprehendo. Hoc enim sospite & florente de commodis vestris certi esse possumus, nec de Germaniæ restitutione desperabimus. Animi verò mei sensa tribus symbolis exprimenda duxi, ac tibi quidem Illustrissime Rudolphe Auguste, LEONEM *discerpendum destinavi, non illum Gentis vestræ Guelphicæ hieroglyphicum qui cicur aliquando tibi parebit, sed rugientem illum, & bonis omnibus insidiantem, quem divino robore evertas.*

Tibi verò Celsissime Anthoni Vlrice, *cui Ecclesiæ curā ominor,* ELIAM THESBITEM *assigno, cujus Exemplo divino umbraculo tectus, & Angelico ministerio enutritus, magno Zelo fervidisq; precibus* sacrum ignem *cœlo deducas, fanum* Baalis *destruas, fertilitatemq; terris aridis reddas.*

Sed tibi mellitissime Ferdinande Alberte, *ipsum* GOLIATHVM *prosternendum committo, Heros aliquando, sive Hercules future, qui* Bellonam *tot annis Germaniæ obloquentem, & castris Domini insultantem, coherceas, non solitis ex seculi more armis, sed quæ divina virtus tibi suppeditaverit.*

Hæc volunt Illustrissimi & Celsissimi Principes, *tria mea emblemata sacra, quæ strenulæ loco, paulo ab exortu succedanei Anni (jam enim tabellioni Norico ferenda concredita sunt) si per infestas*

festas vias liceat, se vobis sistent, utinam tam grata acceptaque futura, quàm ab animo vestræ felicitatis & augmentorum appetentissimo sunt collata. DEUS largiatur vobis, florentissimi Principes, *ut non tam annos ætate plurimos quàm vos ipsos in omni pietatis, prudentiæ, doctrinæ, veræq; virtutis laude indies, magis magisque superetis. Dabam* Stutgardiæ, *XV. Kal. Ianuar. labentis Anni M. DC. XLIV.*

Illust: Celsit. V. V V.

Addictissimus humillimus Cliens.

II.

Cum Pr. RUDOLPHO AUGUSTO.

Epist. XXXIII.

Reverende & Clarissime Domine Doctor,

D*Octrinæ Christianæ summa,* quam in DEI honorem, & succrescentis Studiosæ Iuventutis, adeóq; totius Orbis Christiani commodum edidisti, meoq; nomini inscribere non dubitâsti, nihil tale cogitanti ab *Illustriss. Dn. Parente* tradita est. De *labore*, quem in eam impendisti, deque *Authore*, ex quo hæc præcepta contracta sunt, judicium ferre non sinit ætas mea, nec, cujus mihi probè sum conscius, in Theologicis tenuitas Verùm enimverò quia consilium Tuum *Domino Parenti* valdè arrisisse, ex literis Ejus ad Te exaratis, liquet, limatissimum Clementiæ Ejus in hoc studiorum genere judicium meritò sequor, & adhor-

adhortationem, quâ munus tuum ornavit, amplector, *pietatem* alterum Rerumpub. fulcrum esse, illam autem ex hoc quoque libello, tanquã limpido & incontaminato fonte hauriendam. Quod igitur in literis optat, ut hunc Tibi laborem DEVS ter Opt. Max. compenset, faxitque, ad succum & salivam etiam sit perpetuam Christianis, tam Sacri, quàm Civilis Ordinis, idem & ego ex animo facio, simulque polliceor, communibus vestris monitis obsequium quàm paratissimum. Spero enim, post Rev. *Calixti*, Iuliæ nostræ celeberrimi Professoris, Compendium Theologicum, quod aliquoties perlegi, nullam in Theologicis, *Hafenrefferianâ*, præmonstrante Discipulo non inferiori, certiorem Cynosuram sequi posse. Maximas itaque Tibi gratias pro isthoc amoris in me Tui monumento habeo, quod quoties in manus sumpsero, (fiet autem sæpissimè) toties gratissimæ donationis memoria in animo meo renovabitur. *Informatores* quoque mei haud parum Tibi se debere fatentur, quòd *nomina Eorum & curas* in Epistola dedicatoria laudare, & publicè notas esse volueris. Hîc subsisterem, nisi non omittendum visum esset, quod me hactenus momordit, ne in novissimis meis, cùm ut Ducem VLRICVM VVirtembergicum, Cognatum meum dilectissimum salutares, initamq; à nobis *Brunsuigæ* fraternitatem Ipsi in memoriam revocares, à Te peterem, modestiæ ætatem meam decentis fines transgressus fuerim: silentium certè Tuum tam diuturnum, oblivioni haud absimile, id mihi penè persuadet, à quâ curâ liberabor, si, cùm vacaverit, edocear, Cognato meo officiorum oblationem, quam cum amica salutatione, adhuc repeto, gratam fuisse, &

se, & quod forsan inconsultius scriptum & injunctum, commodâ interpretatione Tuâ mitigatum. Plura non addo: Interim cum omnibus Tuis ex animi sententiâ vale.

Reverendæ Tuæ Dign.
VVolfferbyti,
3. Id. Mart. Anno 1644. studiosissimus.

EPIST. XXXIV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine Clementissime,

VTinanibus Epistolis sæpius elegantioribus Tuis studiis obstreperem, verecundiæ meæ non est. Excitasti me tamen humanissimâ provocatione, ut obsequendum Tibi potius, quàm meo mihi judicio standum, ducerem. Istam quod libelli mei inscriptionem *probaris, quod Tuo non magis, quàm meo honori cedit, ex eo generositatem tuam valdè æstimo, beatus futurus, si ejus intuitu mei meminisse non dedigneris, ut* fortunam tuam crescentem, ego Soli-sequius *perpetuò comiter. Quod si post domesticam institutionem etiam ex hac opella quicquam sacris Tuis profectibus accesserit, pretium omnium maximum mihi tulisse videbor.* Vlrico Principi meo, *statim ut in mandatis accepi, salutem tuam dixi, tantundemque in literis ad Patrem, (ni valdè fallor) ad Te retuli. Vtinam verò quem hospitali comitate, ob sanguinis claritatem & conjunctionem in fratrem ascivisti, pietatis, & illustrium morum sociū parem semper habeas. Quò magis Tuæ felicitati ex animo submisso gratulor, qui* Principis absolutum Exemplum, Patrem, *in oculis geras, & recto pede æmuleris, quo diu salvo & superstite, à corru-*

corruptelis, quæ hunc ordinem & ætatem infestare solent, propitio DEO tutus eris. Quidni verò etiam fidei & industriæ Conductorum tuorum plurimum debeamus Friderico à Kram, *Equiti Luneburgico (quod nomen ob sanctam* VV. VVensii *Jonathani quondam mei memoriam venerabile mihi est)* & Marconetto, *cujus operam* Borkius & Laimingii *nostri laudare nunquam desinunt, qui dum ad Patris regulam, ingenium, moresque componunt, de Republica Christiana Terris Vestris, & omni bonorum ordine optimè meriti, haud dubio gratum Te & memorem alumnum olim experientur. Mihi gloriæ sit, ex his locis dissitis currenti* Equo Guelphico *calcar addidisse, & laudatissimis tuis ad omne genus illustrium virtutum profectibus plausum contulisse. Sic Te CHRISTUS ad bonorum & honorum apicem extollat, majoribusque Tuis & æquet & præferat, in quo vale.*

Stutgard. 27. *Martii*, 1644.

Epist. XXXV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

TArdius quidem quàm debebam, amantissimis Tuis literis respondeo, sed non minori studio & affectu, quàm consuevi. *Sacris* autem *lectionibus & meditationibus* ob sanctam CHRISTI memoriam, quam in *Sacrosanctâ Cœnâ* nobis commendavit, intentiùs, ut par erat, superioribus diebus indulgens, duas tresve scribendi occasiones prætermitti passus sum. Iam verò ad alia studia animum remittens, nihil gratius primô mihi obvenit, quàm superiores tuas relegere, atque ad eas rescribere; tanta enim ibi est elegantia, tantaque gravi-

gravitas, ut, an majorem *voluptatem*, an plus *utilitatis* indè percipiam, ferè dubitem. Equidem non eâ sum arrogantiâ, ut eam, quam sive literarum mearum, sive animi præstantiam in iis prædicas, mihi ausim persuadere; non possum tamen non mihi ipsi plaudere, simul ac considerem, quod & domi, & in remotissimis locis habeam, qui de meis moribus componendis solliciti sunt. Nihil sanè intermittis, Tu dum *laudibus* me ornas, dum inter alia *Paternum* vitæ optimæ *optimum exemplum* imitandum mihi proponis, dum virtutum *præmia* ostendis, magnos Virtutis *stimulos* addis: alii, dum vitia, quorum nemo expers, liberè detegunt, frena adhibent, & qui scopuli vitandi sunt, probè docent. Non facilè ille à rectâ viâ aberrare potest, qui & ejus præmonstratorem habet, cujus vestigiis semper insistat; & ab utroque latere, à fidelibus conductoribus comitatur, qui fallentem pedem reponunt, & in biviis hærentem reducunt. Nullus horum cùm mihi desit, de meâ felicitate tecum mihi facilè gratulor, non dubitans eam perpetuam futuram, si Tu pergas *doctas* eunti *manus* præbere, & tenera genua *optimis regulis* suffulcire. Nec deero spei, quam aut de promptissimâ obsequendi voluntate, aut de grato erga te animo habere debes; Tu modò fac omnia studia & obsequia de me Tibi promittas. Vale.

Tuæ Rev.

Guelpherbyti, 29.
April. Anno 1644. Observantiss.

P. S.

Dominus Præfectus officiosissimè Te salutat, nihil magis exoptans, quàm prudentissimis consiliis Tuis interdũ instructior reddi.

Mar-

Marconnettus noster satis prægnantibus caussis impulsus, patriam ante aliquot septimanas visum abiit: indè rediturus, si DEVS adsit votis, intra tres menses: interim solus me exerceo, omnia ad præscriptum ejus agens. Vix hæc perscripseram, cùm altera Tua me oppressit, quæ cùm non minùs, quàm prior, incredibili amore plena est, dignam existimo, cui pluribus, quod jam per temporis angustiam vix licet, respondeam.

EPIST. XXXVI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

CVm ea sit Tua, florentissime Princeps, *felicitas, ut* Augustæ Domus Guelphicæ *surculus, ab ipso* AVGVSTO *Domus vestræ* Phœbo, *nascerere, ad* Augusti *Exemplum formarere,* Augustarumq; Virtutum *& regni hæres aliquando succederes, &* Germaniam *omnem illustrares, æquum, Te cognoscere hæc cœli donaria, & ad cuncta excelsa animo excitari: nos verò ea venerari, & piis votis atque plausibus prosequi omninò par est. Cùm itaque* Religionis (*quâ nihil excellentius Orbis universus habet*) cura, *in* Boni, atque ad Populi salutem nati Principis Idea *familiam ducat, ejus* summam, *hoc minuto complexu,* trigeminam, *auspicatissimo* Nomini Tuo Trigæq; Fratrum *dicandam, insinuandámque duxi, spei plenus, fore, ut hæc* Patris perfectissimi in Te imago *Saluti publicæ cedat,* Tuq; alterum Exemplum *sub Friderici à Cram, nobili efformatione, & Abrahami Marconetti erudita institutione,* Pietatis, Iustitiæ & Scientiæ Augustis-

gustissima Triga *Seculum Tuum cum publica Fama ornes.* *Vale, flore & fave*

C. T. incrementis

Die illustris Tui Natalis 17. *Kal. Iunii* 1644.

pio voto & humili obsequio inservienti.

EPIST. XXXVII.

Admodum Reverende Domine Doctor,

ETsi quidem pudore afficior, cùm Tua Humanitas meis literis tantùm attribuat, suis plurimum detrahat, inexercitati *tyronis* manum, experti *veterani* callosæ dexteræ anteponat; attamen quoniam non tecum contendo, ut hoc tempore lauream Tibi eripiam, sed ut Tuo auxilio illam aliquando obtineam, jucundius sanè nihil esse potest, quàm sæpius Tecum in arena hac literaria congredi. Indè enim nunquam prodeo, quin eruditio Tua me doctiorem faciat, atque amor Tuus, quid sit mei officii, edoceat. Gaudeo autem, si quid facio, quod vobis expectationem aliquam mei excitet, quam ut omnibus viribus sustineam, & tuear, inter alia me etiam impellit timor magni dedecoris, quod frustratio magnæ spei conduplicare solet; Placet illa *Lacedæmoniorum cantilena*, quâ triplici choro *Senes* suo exemplo *pueros & juvenes* ad *virtutem* invitare, hi partim præsentem, partim futuram præstantiam de se solebant. De priori *Clementissimus Parens*, Tu, Tuiq; similes solliciti estis; *meum* erit, ut posterius præstem. DEVS modò, quem *Tuæ* sæpius promissæ *preces* magis magisq; permovebunt, nostris adsit

ſit conatibus, Teque in noſtræ Eccleſiæ ſalutem incolumem diu multumque ſervet, Vale. *VVolferbyti*, 1. Iulii Anno 1644.

Tuæ Rever.

Obſervantiſſimus.

EPIST. XXXVIII.

Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps,
Domine clementiſſime,

VT *omnia Tuæ Celſit. maximi faciam, hoc tamen potiſsimum cum plauſu æſtimo, quòd Te in Virtutis itinere feliciter progredi, & ad incluti Patris palmam contendere palam animadverto, quod etſi Tua in Patris ſenium* pietas, & *admonitorum ſtudia* obſequium, *facilè impetrat, tamen quin ſponte Tuâ Ingenii generoſitate & docilitate eò feraris, ut PRÆSTANTIOR aliquando SENIBVS (ad Spartanam cantilenam & chorum) evadas, ſcilicet Avos, Proavosque Tuos ſuperes, minimè dubitavero, cùm per Te ipſe intelligas, quàm EXIMIVM quid expectationi non terrarum populorumque Tuorum ſed toti Germaniæ, & Eccleſiæ Chriſti ob excellentem Tui culturam, & domeſticum exactum exemplum debeas. Enitere ergò*, florentiſſime Princeps, *quo Te felicia aſtra provehunt, non tam ea, quæ ſupra, quàm circum Te ſunt, tantumque ſpes noſtras excede, quantum divinus favor ſupra mortalium ſortem ex voto noſtro indulſerit. Ego ex Clientibus Tuis minimus, non dubito illud Ioh. Baptiſtæ accinere:* Te creſcere oportet, me verò minui. *Tuis itaque annis, incrementisq;, meos ſi qui ſuperſunt ſeniles addat DEVS, reddatque TE SALVTIS PVBLICÆ ORGANVM uti maximè conſpicu-*

icuum, ita proficuum plurimum. *Vale* inclute
inceps, Augusti *incrementum, & fave*

Illust. Celsitud. Tuæ

. Kal. Aug.
1644. *Clienti humillimo.*

Epist. XXXIX.

Admodum Reverende Domine Doctor,

Obtundo Te meis literis, dum Tu me obruis donis Tuis. Vix superiores literas ad Te perscripseram, cum Tuo munere à *omino Parente* mihi mitterentur, Tabula ıædam eleganti manu picta, & liber, in quo estivitates & equestres Ludi in natalibus o-:imi, mihi charissimi Principis vestri HVL-ARICI celebrati, egregiè exhibentur. Est magni, & nunquam non remittentis amo-s magnum signum; atque ut illud valdè me ficit, ita hoc, quod desit, quo gratum animū ibi testatum dem, maximè dolet; Vt omnia ıtem hoc tempore ad Domini Patris curam sollicitudinem remitto, ita facilè mihi pol-:eor, Eam hac in parte minimè jam mihi de-turam. Te interim certò persuadeas velim, e tum demum gratum re ipsâ futurum, cùm s & ætas, viresque sinent. Vale, & favere :rge

Guelferbyti,
Iulii Anno Tuo
1644. *RVD. AVGVST.*

Epist.

Epist. XL.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

VAria Historiarum genera, eorumque varios esse usus, omnes probè norunt. Ex illis nullam, si *sacram* excipias, majorem voluptatem, plusq; utilitatis nobis conferre quàm *patriam ac domesticam*, pro eo, quo jam sum, judicio, mihi planè persuasum habeo. Te eadem esse sententia, ex eâ, quam mihi fratribusque non Patriæ, sed *Magni Parentis* eleganti Tuâ manu descriptam *Vitam* exhibes, facilè perspicio. Multis donis flagrans semper Tuus in nos amor me cumulavit, nullum autem ex his magis suspicio, quàm illustre hoc Speculum, in quo lucidissimos radios *Nutrientis mei Solis* nunquam non conspicio. Fateor, & quidem (nisi velis, quòd indocile anni adhûc veniam mereantur) non absq; rubore, me *Vitam hanc*, quamvis semper præsentem, hactenus non eâ, qua oportebat, admiratione, & oculis observantibus introspexisse: Iam verò cùm Tu eam docto atque felici calamo depictam mihi exponas, semper e[illegible] erit

Quæ mihi virtutum stimulos, quæ semina laudum
Quæque exempla dabit:

Ex his facilè constat, quantum Tibi, Tuoque amori debeo; quem etiam benevolentissimo me animo agnoscere persuadebit ætas simulationis nescia, neque in posterum me ipsum defuturum, non difficile credes, si unum hoc promittam. *Me patriis semper insistiturũ vestigiis.* Vale *Tuæ Rever.*

Guelferbyti 16. Iulii 1644.

Observantis[illegible]

EPIST. XLI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

CVm crebris literis Tuis diligenter & seriò respondeo, videor fortè non nemini ambire laudes, quibus Tua me benevolentia ...ctenus cumulavit, meq; iis dignum existi...re. Quanquam hoc de Te suspicari haud oporteat; Scis enim, quantum *adulatio* à ..., tantum *ambitionem* à me abesse. Id vis ...nirum, *laudas, ut doceas*, & dum magna de ... prædicas, apertè mones, quid mihi nunc, ...magis imposterum agendum sit. Hâc mo...stiæ meæ professione, literarum Tuarum ...essum tempero, non amoris, sed honoris. ...c posthac tempore opus erit, vel in me ex...ando, vel par pari referendo. Quod autem ...Evangelio hîc apponis, *Me crescere, Te mi... oportere*, replicare aliunde teneor, Te in... mulierum filios magnum, imò nostri secu...literatorum *Maximum* esse, plurimiq; Ec...siæ & Reipubl. literariæ interesse, aliquam ...dem *corporis*, nullam *animi* senectutem ut ...tias. Tua enim merita certa sunt, & præ...tia, quæ autem de me prædicas, incerta, li... preces tuas id à DEO impetraturas esse ...fidam, ut Domini Parentis, Tuæ, ac publi...deniq; expectationi aliquatenus satisface...queam. Benè cum Tuis vive, & exercere ...ge

...uelpherbyti, ... Augusti, An...no 1644.

Tuum

RVD. AVGVST.

EPIST. XLII.

Illustrißime & Celsißime Princeps, Domine clementiſſime,

PLurimum Celſitudini Tuæ *debeo, quod affe-ctum in Te meum benigniſsimè interpreteris. Quàm enim ab adulatione abſim, facilè ex* Dn. Patris *elogio intelligis, quem longè infra merit. laudavi, ne quid in os dixiſſe videar, &* Hiſtorici *potius, quàm* Oratoris *partes, nuda* Virtuti *imagine expoſita, egi. Idem de meis in Te officiis ſentias velim, ſcilicet non tam gratulari Tibi d ingenti rectæ educationis & inſtitutionis tuæ beneficio (quo majus ætati huic Tuæ contingere no poſſet) quàm probare tuũ obſequiũ & docilitatem quâ Patri (utinam quàm diutiſsimè) delicias facis & tuos omnes in ſpem laudatiſsimorum profectu. & incrementorum Domus tuæ erigis. Nempe han ductilem ceram, cui Paternus character feliciter imprimatur, in te laudo, & piis meis votis proſequor, quorum ſummum eſt, pro LONGÆVITATE PATRIS, quæ nobis omnem de Te noſtram expectationem perficiat, ſolidet & firmet quâ unâ re ſalus tua & publica conſtat. Non enim neſcius, Sapientis cujusdam dictum,* Felices eſſe *qui malè non agant,* feliciores *qui benè, ſed eo quibus malè agere non poſſe ſit neceſſum,* feliciſſimos, *quaſi Iuventutis in magna fortuna conditi vix ferat, citra frænum & calcaria rectum tener curſum, ipſaque benè agendi neceſsitas, pro omn regula eſſe queat, quæ ut duriuſcula aliis videatur, tibi facillimam eſſe intelligo, ſcilicet ut ad in-*cluti Patris *conſpectum & nutum, atque Magiſtrorum monita Te totum componas, quo nomin Tibi ex animo gratulor & optima quæq; auguror*

Si

ic Te CHRISTVS florentem servet donisq; adaugeat Vale.

Stutgard. Ill. Celf. Tuæ
. Kal. Septemb.
1644. *Cliens humillimus.*

III.

um Pr. ANTHONIO ULRICO.

Epist. XLIII.

Vir Reverende, Clarissime,

Iteris Tuis ut gratissimis, itâ omnis elegantiæ amœnitate repletis, ante unum, atque alterum Mensem acceptis, statim upido respondendi subibat animum; Recens dhuc erat ea memoria, cùm iterum & artifiioso, & mihi suavissimo munusculo, responurum me antevertis. Id ipsum est DANIEL ile, in horrido suo specu pulcerrimus, inter rudeles feras tutissimus, in solitario carcere œlesti societate circundatus, atque horrendo icet genere servitutis detentus, tamen ille liberrimus, & in tenebricoso terræ hiatu, DEO amen proximus, sanctæque fiduciæ splendoe coruscans. Non semel id meditans, affixâ ogitatione picturam illam perlustravi, & jam inâ cum responsione gratias agendas constiueram; cum tertiâ iterum vice benè mereuem Te, & publicæ tuæ vocis testimonium, & rarum amorem tam in me, quàm in Dnn. neos Fratres exhibentem, unâ cum *pulcro libello* acciperem. Qui quidem Libellus, sicuti nocturnâ & diurnâ manu nobis terendus, & Tui in nos affectus non intermoriturum indi-

cium relicturus est; ita monitio nobis, Tib referendæ gratiæ usq; extabit. Breves auten hasce Literas, ut loco responsionis, gratiarun actionis, & reciproci affectus testes, *Tua Reverentia* accipiat, obnixè peto. Valeat eaden diu & feliciter. Dabam 14. Martii Anno 1644 *ex arce VVolferbytana.*

Rev. Tuæ

affectu sincero addictus

EPIST. XLIV.

Illustrissime & Celsissime Princeps Domine clementissime,

CVm *mea qualiacunque officia ita æstimes, u ea etiam numeres, crescit* meus in Te affectus, *jam ante tacito quodam motu & acti intensissimus, ut & stilum Tuum & penicillun prorsus in deliciis habeam, quibus etiam aliud atq aliud fomentum ex me deberi libens profiteor. A* Danielem *quidem inter Leones, mei quasi imagi nem tibi referre, vehementer gaudeo. Ita enin profectò est, nam in horrido specu squalescentis se culi, nisi Deus cruentos dentes cohiberet, nunqu vita salva foret.* Ser. Patri Tuo *ingentes gratias debeo, & in partem solvam* Principis Exemplo, *quod paulò post, si concedat* Pater, *vobis* fratribus *sistam, speculum scilicet, in quod intuiti quales vos Salus Publica poscat, & expectet, conspiciatis, feliciqúe refractione exprimatis. In ho enim &* religionis Christianæ summam, *&* Corpus ipsum Iuris, *ac* Encyclopædiam *omnē* vivamq; Bibliothecam, *atque* Virtutum illustrium compendium *possidetis, quem inæstimabilem thesaurum, ut quàm diutissimè vividum & tranquillum servet, Deum supplex adoro.* Biblia

lia Vatabli, *geminæ latinæ Versionis in via sunt, quæ te adeant, & mei amorem magis insinuent, quod si quid elegantioris picturæ ad manus venerit, faxo nihil esse, quod Iuri in me Tuo & animorum consensioni cedere non debeat intelligas.* Dn. Schottelio *Viro, de cujus fide & solertia valdè Tibi gratulor, pro amico affectu gratias permagnas ago, omneque vicissim studium & officium polliceor.* CHRISTVS *omnes gressus Tuos dirigat, ut ad* Religiosi, Iusti, & Eruditi Principis *famam bono publico ascendas. Vale.*

Stutgard. 27. *Martii*, 1644.

Epist. XLV.

Vir admodum Reverende, Clarissime,

AD proximas tuas 27. Martii ad me exaratas literas, non modò, multò prædulcis in me favoris affectu plenas, varioque profluentis eloquentiæ flore nitentes, sed & denuò prænuncias secuturi gratissimi alicujus muneris, equidē responsum meditabar: cùm & secundæ tuæ itidem nobis omnibus gratissimæ literæ, in ipso Clementissimi nostri *Dn. Parentis die Natali*, datæ, mihi, meisq; Dominis Fratribus traderentur. Conjungenda igitur ad utrasq; brevis responsio, licet virium mearum nondum sit, elegantissimo sermoni tuo, & prædiviti facundiæ, vel minimâ in parte respondere, aut æquè grata gratissimi animi mei testimonia apud te deponere. *Exemplum Principis*, quod nobis promittis, cupidâ itidem manu, ut omnia Tua, expecto; nec sanè equidem novi, unde stimulus magis amabilis mihi accedere possit, quàm ex allo-

quiis tuis variâ, jucundaque incitandi arte
fertis: interſparsâ multâ laude, quam li
ætas mea nondum agnoſcit, manet tamen
cordatio, & increſcit uſq; cupido, vel pa
culam, ſi quam poſſum, aſſequendi. Pre
animitus *Reverentiæ Tuæ* longum adhuc &
offenſum proſperitatis optatæ curſum. N
tiſſimum enim eſt, & Eccleſiam & rem lite
riam, miſerè proh dolor! per bellicum ne
afflictam, columen & firmum robur in ma
ore, precibusque tuis poſſidere. Dabam
April, ex *arce VVolferbytana*, Anno 1644.

Rever. Tuæ

ſyncero ſtudio & amore
addictiſſim

Epist. XLVI.

Illuſtriſſime & Celſiſſime Princep
Domine Clementiſſime,

M*Aximas ago gratias, pro elegantiſſimis lit*
ris C. T. quibus dum Cl. Patris *volunta*
non invitus ſatisfacis, me ſingularis Tui
me affectus & gratiæ radiis perfundis, quod qua
ti faciam, citra aſſentationis ſuſpicionem neu
quam explicavero. Hoc unum ſanctè teſtor, mi
nihil prius aut poſterius eſſe, quàm hunc flore
virtutis & adoleſcentiæ (cui nuper applauſi) Tu
indeſinentibus precibus DEO commendare, ut ta
tò feliciùs in Germaniæ decus reiq; publicæ
lutem *excreſcant, quantò facilius à Patre in F*
lium, ab arbore in traducem, ab exactis formato
ribus in Diſcipulum docilem, optima quæque
rectiſſima transferri poſſunt. Cujus cùm nondu
ephebus, ea Ingenii elegantis, & induſtriæ rariſ
n

tiæ specimina nobis dederis, quæ vix alius adultus præstare queat, DEUM precemur, ut perpetuis progressibus annos Tuos Reipublicæ Christianæ *apprcbes, quos multos* Tibi, *felicesque* Publico bono, & Domus illustr. *ornamento,* Patrisque Clementiss *gaudio faciat. Interea ut incrementorum tuorum & literariis & artificiosis testimoniis, si non molestum est, me subinde reficias, quâ possum animi observantiâ obtestor, atque monitores, egregii Magistri Tui ne deesse mihi velint, studii & officii mei reciproca sponsione hortor. Vale & salve*

à C. T.

apud DEUM deprecatore assiduo.

EPIST. XLVII.

Vir admodum Reverende, Clarissime,

CUm tenuia mea aliquem delectaminis locum apud Te inveniant, non desino respondere literis Tuis, & omnigenâ elegantiâ expolitis, & affectu amantissimo erga me refertis. Respondeo autem, & subinde quædam frustula puerilis manûs remitto, non ut huic Tuæ expectationi equidem satisfaciam, sed potius, ut aliquid testimonioli seu cupidæ voluntatis, seu conatus in manus Tuas deponam. Qualiacunque etiam ea volendi rudimenta sunt, misi tamen, & mitto, quod propensi amoris Tui facilitatem magis ea invenire posse, quàm æstimandi rigorem, libenter confido. Cæterum me in ære tuo esse, cur diffitear? facio, quod boni animi debitor, qui non exactam solutionem, sed confessionem

offert, & ſeſe debere, ac uſque debiturum ſ velut Syngraphâ conſignat. Te abſentem q dem exoſculor,& quia facie, manu, & ſerm ne non poſſum, animo tamen & mente T arctè jungor, & uſque jungar. Promiſſione ſi quam porrò à me exigis, ea eſto; *Et Pieta & Virtutis* amorem mecum feram in ſepu chrum, & unà eodem *amorem Tui*: Id quide Tua in nos *merita*, & noſtra *Vota* poſcunt. V leat *Tua Reverentia* pulcherrimè, diutiſſime *cui*

VVolferbyti, fideli affectu ſum
2. Iulii An. 1644. addictiſſimu

EPIST. XLVIII.

Illuſtriſſime & Celſiſsime Princep Domine Clementiſſime,

EX *genuinis* Matth. Hafenrefferi *Diſcipuli ſi quiſpiam* Michael Schæferus, *fuit*, *V profundâ eruditione*, *& vitæ rectitudine co ſpicuus*, *cujus famâ in Aulam* FRIDERIC Ducis VVürtemb. noſtri Magni, *accitus bre vioris quàm pro re Chriſtiana*, *ævi fuit*, *pluraqu eximii ingenii*, *& egregiæ voluntatis affecta quàm perfecta opera*, *Anno Chriſti* 1608. *hi abiens*, *nobis reliquit*. *Ex quibus & hæc* Iſagog *eſt*, *in meum quondam*, *aliorumque Theologiæ T ronum*, *uſum privatum*, *conſcripta*, *quæ etſi ja ſemel*, *iterumque mea opera*, *publici juris fact eſt*, *tamen ut* Hafenrefferianis Locis (*unde ena ta eſt*) communibus, *in nucleum contractis*, *nun jure aliquo meo*, *& arctioris quondam amicitiæ f duciâ*, *combinaretur*, *convenientiſsima mihi viſ eſt*, *ſed eò conſpectior futura*, *ſi Tu ejus frontem* Reverendiſs. & florentiſs. Princeps, *ornares*

elegan

egentis, capacis & studiosissimi Ingenii, morūq; mabilium Exemplum, Studiosæq; Iuventuti raioris in hac ætate sacri profectus specimine præi...s. Scilicet genuina Brunoniæ & Ascaniæ Do...ius, quæ utraque rei literariæ & mechanicæ in...ustriæ Principatum in Germania jam diu tenuit, ...ropago, quæ ad exactam Patris incomparabilis ...ormam suâ se sponte, componit, adminiculisque ...onitoris Justi Georgii Schottelii, cordatis & eru...itis, amplius provehitur. Quæ Tua felicitas, ...t Ecclesiæ Christi, Reiq; publicæ augmento, ...atris incluti gaudio, Domus ornamento, omniū ...ommodo cedat, DEUM OPT. MAX. toto pe...tore veneror. &c.

EPIST. XLIX.

Vir admodum Reverende, Clarissime,

PRoximum Tuum per literas mecum colloquium, (cui breviter & pro modulo nuper respondi) subsecuta sunt duo à Te dona, ...lterum *artificio pictoris*, alterum *sanctissimâ pu...itate suavissimum*. Delectas meos oculos, & ...mbuis gratâ pietate pectus. Ex debito igitur ...ratias, si quas possum, & ipso animo, & sen...ûs cujusvis exteriori indicio equidem remit...o, atque si quid erit vel in me toto, quod to...um aut in parte usibus Tuis inservire iterum ...ossit, promptum me & volentem habebis. ...morem & munera apud me deponis, conce...le porrò, & apud Te rursum, increscente us...que usurâ, deponi semper duraturam memo...iam, studiū & amandi desiderium ab eo, Qui

8. Iulii ex ...rce VVolferbytt...ꝗ An. 1644. — *Tuæ Reverentiæ* adhæret addictissimus.

EPIST. L.

Vir admodum Reverende, Clarissime,

LIbellum pulchrum, quem dono mihi misist donũ pretiosum appellas, atq; eum ipsu ita meritò appellari, tum animus in e Tuus, stylique eminentia; tum Filialis me affectus, lubenter concedit. Nullâ in re san ctius, nulla in re durabilius *Parentis, Domini sui memoriam* quis venerari potest, quàm ut o mnia facta, dictaque ejus secum revolvat, fa mamque, ac figuram *animi* magis quàm *cor poris* complectatur. Verissimum id est, ut vu tus hominum, ita simulachra vultus *imbecill* ac mortalia sunt, forma autem mentis æter est, quam non tam feliciter per alienam arte & materiam, quàm suis ipse moribus quis p terit tenere & exprimere, uti excelsus Script Romanus de *Socero* suo *Agricolâ* loquitur: Q quidem per illum Generum suum posterita narratus & traditus mansit, manet, mans rusque est in animis hominum, in æternita temporum, famâ rerum. Reddo Tibi, *Vir R verende*, affectus intimioris vices, pro modul meo, Tuamque elegantiam manuductrice exosculor. Salve & vale *splendescens Resp. Li terariæ decus*, atque perge porrò amare, mo nere, docere

Tibi addictum.

EPIST. LI.

Illustrissime Princeps, Domine Cle mentissime,

ET literæ *Celsitud. Tuæ, & picturæ, ab excel lenti ingenio, & artifice manu profectæ, mi quà*

uam jucundæ sint, *incredibile dictu est*, *magis* *tiam, si erroris fortaßis dulcedine singularem in- olis Tuæ mecum conspirationem*, *adeoque* in me ropensionem ab incluto Patre hereditariam, *nimo meo fingam*, *quod ut porrò mihi indulgeas*, *uâ possum humili obser vantiâ obtestor*; *beatus fu- erus, si cum annis, profectibusque Tuis crescere in e favorem Tuum intelligam. Id verò rectè fate- is*, Te in ære, *non* meo *tantùm*, *sed* omnium onorum *esse*, *scilicet ut exempli perfectißimi in atre*, *rectißimæ informationis à Tuis manudu- ctoribus*, *sed vel imprimis nobilißimi à DEO in- enii* MAGNUS DEBITOR *Creditoribus uis ita propitio numine satisfacias*, *ut nos cæteri e liberatâ fide Tuâ gratulari Ecclesiæ & Reipubl. Tibi verò applaudere ex animo queamus. Cujus ne securiorem ingenua* Confessio Tua, (*quæ so- utionis dimidium est*) *facit*, *quæ cum felicibus am ausis conjuncta*, *nihil* vulgare, *omnia* sum- na & eximia *nobis pollicetur*. *Quod si* amor Tuus *insuper mihi perennaverit*, *non in* ære Tuo *me tantum esse*, *sed* insolubilibus vinculis, otumque mancipatum, *libenter*, *& cum glo- ria mea profitebor*. *Perge* ingeniosissime Prin- ceps, *& imitari* magnum Patrem; *& sequi fi- dißimum conductorem Schottelium*; *&* Teipsum *quotidie superare*, *quod Saluti publicæ benè ver- tat*. *Vale* Celsissime Princeps, *& fave*

Illust. Celsitud. Tuæ

Stutgard.
17. *Iulii An- no* 1644.

Clienti humill.

Epist. LII.

Vir admodum Reverende, Clarissime,

INter præcipua mea vota esse, non nego, amori & expectationi Tuæ à me aliqua i parte satisfieri posse: Vtut & jucundâ & fæcundâ applicatione æris alieni obligationem retorques, nihilominùs eô obstrictior Tuu Debitor existo. Afflatu literario gratias debitas, amoremque reciprocum remitto, nec dubita, si unquam per temporum turbas concederetur, equidem ostenderem Tibi domicilium, cui includitur animus, Virtutibus *Tuæ Reverentiæ* seriò devotus. Interim majus beneficium indies *Fortunæ* debebo, quod Tui amoris magis obæratus Debitor fieri, mihi liceat: ad exolvenda autem parendi debita libero monitionum interdicto me compellabis nec occasio mihi inde deerit, jucundiori gressu pergere, & ad metam pro viribus contendere, quam candidus Genius præfigere forsan potuerit. Longam adhuc vitam, & inoffensos prosperitatis annos Tibi merenti à *Numine Cælesti* ardenter poscit, qui

Tuæ Reverent.

12. Augusti *VVolferbyti* 1644. fideli amoris nexu vivit.

Epist. LIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine clementissime,

ET picturis *tuis &* literis *semper aliquid amabilitatis inest, humanissime Princeps, ab egregia indole profectum, quod Tibi me peculiari*

nexu

xu devincit. Cùm enim elegantiis ab operariâ anu profectis, plurimum tenear, quid ni me obstet illustris manus, *quæ cum* sceptrum *aliando tenebit,* penicillo *favebit, id est, artibus m liberalibus tum mechanicis, subsidio, quo reilescente* Barbarie *quàm maximè opus habent, erit. Vtinam verò juvare industriam tuam subisßis rarioribus formis in parte queam, officio meo nè nunquam defuerim. At is est post publicam astationem & direptionem* artium *&* artificum *glectus, ut ni perire fame velint, cum omni supellectile tam invisas terras procul fugiant. Si uid tamen eruditis tuis oculis dignum in manus eas inciderit, faxo me tibi obnoxium & profeuum tuorum studiosißimum intelligas. Hoc aum vel maximè tibi (in hoc quidem artis gene-) curæ esse velim, ut* Optices sive Perspectivæ *indamenta & regulas capias, sine quibus omnis ctura elumbis & mortua est. Sed ego* noctuas thenas: *quo me produxit incredibilis in te amor eus cum humili observantiâ conjunctus, semper bi præclara quædam & supra mortalium sortem iriora abs te despondens, sed & gratiam haud ubio hæreditariam. Enitere, & flore, vale atque ive*

Illust. Cels. Tuæ

tutgard. 28. *Augusti* 1644. *Clienti humillimo.*

Epist. LIV.

Vir admodum Reverende, Clarissime,

DVm tenui scriptioni meæ, & pingendi rudimento aliquid amabilitatis inesse asseris, animum mihi induis, non quidem cre-

credendi id, quod fide meâ majus puto, se consequendi, quo fidem meæ fidei aliquand facerem. Audivi apud *Iurisconsultos*, recepte esse nonnullos casus, in quibus affectus pr effectu haberi soleat, nimirum in pœnis: *Pœnam* declino: *Laudem*, utpote *Virtutis* calcar non sperno, in quâ, licet nondum habeam ef fectum, habeo tamen ad eam affectum. Se quid? non modò honore verborum me ad mones, sed & dona egregia, dona mihi perju cunda subindè addis, & animi impetus in T dulcissimos alis. Quid autem grati animi lo co reponam? Cupis Tibi gratiam hæredita riam? En Tibi affectum in Te hæreditarium mecum usque perennatum. Te feliciter vale re, est mei voti. Dabam Cal. Novemb. 164

ReVer. Tuæ

arcto amore addictu

Epist. LV.

Illustrissime & Celsissime Princeps Domine Clementissime,

SI quid solidi Platonicis numeris *inest, credi derim aliquid harmonici, inter nos intercedere adeò omnia (salvâ quidem tuâ Dignitate gene ris, & fortunæ) mecum conspirant, ut animu meus gestiat, magis magisque tibi conciliari. Quo cùm per te, & benevolentissimis literis, & ele gantissimis picturis abundè mihi præstes, meum e rit, ut vicem tibi referam, quantum fortuna & pretio inferiorem, tanto affectu officioso, & anim mecum consensu parem. Alexandrum M. duos a micos habuisse ajunt, unum Regis, alterum Ale xandri, Sint tibi Principi, per me licet, amici, eg*

Antho

nthonii Vlrici, *lepidißimi capitis, admirator, & ultor audiam, & hoc meo interiore affectu tibi rober. Patere me speciali aliquo nexu, tibi esse ddictum, Elegantiarum scilicet studio, ad quæ te erri felici instinctu & contentione palam deprendo. Qui si in egregios profectus, quos planè mi i polliceor, excreverint*, novus artificum Mœcenas, *haud dubio publico plausu vocaberis. Cærùm cùm gratiæ, quas tibi merito tuo referrem, nt penitus nullæ, & quas tibi jam habeo maxinas, sint illæ etiam meo judicio, non satis dignæ, go tamen superatus re, & derelictus, destitutusq; ratione, subsequar te certè, vicißim voluntate, arato officio, & perpetuâ observantiâ, & sic coneram me ad eam, quæ sola mihi reliqua est, comensandi rationem. Vale* Illustrissime Princeps, *& cresce publico bono, privatoque commodo,*

Illustriss. Celsitud. Tuæ

Stutgard. 6. Novemb. Anno 1644.

humilimo Clienti.

Epist. LVI.

Vir admodum Reverende, Clarissime,

MVltum insit, ob rationes à Te indicatas, *numeris illis Platonicis*, ut consocientur, sensus, vota & animi nostri, adspectu & affectu licet dispari. Te etenim annis & canitie venerandū, & gloriâ laudati nominis pulcherrimum; me autem teneros habentem annos, & vix primæ adolescentiæ limina ingressum, quis non miretur, sacra arctæ amicitiæ colere velle? Verum, si quæ iis exterioribus desunt, annitar ego per obsequium & venerationis debita, hunc animorum nexum non relinque-

linquere, ſed cupidâ potius manu arctius co ſtringere. Perſentio enim & à *Sereniſs. Amatiſsimoq́; Dno. meo Parente* mihi infuſos quo dam amoris radios, ſeſe ad *Tuam Reverentia* non interiturâ luce reflectentes. Non dere linquar ab hac mente, (ſi *Numen cæleſte* volui rit) quâ *Tuam Reverentiam* colo & veneror, co lamque & venerabor, Eamq; feliciter diuti ſimeq; valere jubeo.

Reverendæ Pietati Tuæ

VI. Cal. Decemb.
VVolferbyti Anno 1644.

addictus.

IV.

Cum Pr. FERDINANDO ALBERTO

EPIST. LVII.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps Domine Clementiſſime,

JOhannis Arndii, *Eccleſiæ quondam veſtræ Lu minis conſpicui, qui ſanctior, quàm doctior devotior, quàm ſcrupuloſior; & in domo DE fidelior, quàm clarior, dum viveret, eſſe maluit* Genuini Chriſtianiſmi, *juſtificatorum & reno vatorum exercitio, non convertendorum & rege nerandorum inſtructioni, bono rei Chriſtianæ, præ ſcripti*, medullam *ſive* pietatis praxin, *Tibi* mellitiſſime Princeps, *jam à teneris annis propi nare*, Patris Tui incluti *conceſſione viſum eſt, u cùm dogmatum Chriſtianorum lac jam avidè im biberis, pragmatico etiam Vitæ Chriſtianæ ſolidio ri cibo, paulatim aſſueſias, & in recto Virtutis iti nere, hoc etiam breviario adjuveris. Quid vero*

non

pn abs te expectemus, cui Pater AVGVSTVS, *Mater* SOPHIA *est, nomina in Pietatis & irtutis atrio ad miraculum conspicua; maximè um* Tute *præclaris eximii ingenii igniculis, jam im miniteris in magna civitate Christi, non* Au-ıſtæ Sapientiæ *Candidatum tantum, sed Prin-pem etiam aliquando* Reipublicæ bono, *futu-im. Quo Te cùm* Parentum *Exemplum, deside-umq; deducet; tum Conductoris Iohannis* Kirchner *muli promovebunt, votaque publica bonorum nnium prosequentur, quibus undique & undique HRISTVS benedicat, qui Te amplexibus suis oveat, & Angelicis excubiis cingat; sic perge, que flore,* humani generis deliciæ, *& salve*

à T. C.

Cliente humilimo.

Epist. LVIII.

Vir Reverende & Clarissime,

OBlatus mihi nuperis dieb⁹ est *libellus pul-cerrimus*, in cujus limite etiam inter alia *Nomen meum*, & Tuam publicam mei al-ocutionem ipse adspexi, & Præceptore meo nterprete intellexi. Fruor suavi delectamine, um indiciis tanti Tui affectûs incitor. Faxit DEVS conatus meos Tuæ spei re ipsâ vel in arte probari. Gratias tamen quàm maximas *ua Reverentiæ* pro capacitate meæ ætatis bre-iter agere volui, eandẽ ut diutissimè valeat, DEO commendans. Dabam ex arce *VVol-erbytanâ*, 14. Martii, Anno 1644.

Tuam Reverendam Canitiem

addictâ mente venerans

Epist.

EPIST. LIX.

Vir admodum Reverende atq;
Clarissime,

CAlidissimi Tui in me amoris testis iteru
est pictura egregia, quam *Clementissim*
Dn. meus Parens ante biduum, tuo nor
ne, mihi offerri curavit. Accepi eam lætâ n
nu, & animo, quo par est, gratissimo, jugite
in illa oculos pascens, felicissimum autho
penicillum miror, mihiq; de tanto tuæ ben
volentiæ in me monumento gratulor. Qu
verò aliud *Reverendæ Pietati Tuæ* remitta:
quàm gratias, quas animo possum concipe
maximas, & perpetuam, gratamq; hujus,
& reliquorum omnium in me beneficioru
memoriam. Faveat porrò DEVS, ac propiti
sit suis muneribus, faciatque, ut aliquan
Meis, Patriæ, & Fautoribus omnibus usui atq
ornamento esse possim. Hisce vale *Vir dem*
rendis hominibus nate, meque Tui amantis
mum amare perge, plurimumq; salve

Dabam *VVolferbyti*, ex nostro Musæo, 7. Cal. April. Anno à nato Christo 1644.

à
Rev. Pietati Tuæ
addicto.

EPIST. LX.

Vir Reverende, Clarissime,

LIteras Tuas gratissimo Munusculo com
tatas, nimirum *Dn. Parentis mei Clementi*
ssimi imagine, non infeliciter expressâ, ac
cepi: Gratias cum brevi responso hac vice re
mitto. Faxit DEVS benignus, prosperitate
quas piis votis in nos omnes cumulas, usq; à
usqu

...que continuari & adimpleri; inprimis cir... ...mstrepente undique bellico furore. Divi... ...æ protectioni *Reverentiam Tuam* fideli prece ...mmendat, Favoremq; & propensionem si... ...porrò exoptat, qui

Tuæ Reverentiæ

...Aprilis Anno 1644. amore & affectu est addictissimus.

Epist. LXI.

Vir admodum Reverende, Clarissime,

NOn est, quod verearis, ne *Tuarum amaritudo mihi tædium*, ut scribis, pariat; tenera enim quamvis sit manus mea, prompta ...men, parataq; semper ad Tuas invenietur, ...am in hâc literarum Tuarum suavissimâ ...nsuetudine magnum vitę meæ fructum po... ...o, quò crebriores itaque miseris, eò gratiores ...ihi accident. Amplissimam, quam susti... ...eo, spem, cœlo propitio, etiam atque etiam ...vebo, nec unquam ex animo ac cogitatione ...eâ effluere patiar fidelissimum, ac ferè quo... ...dianum Præceptoris mei monitum, scilicet: ...*etera omnia mortis esse, at gloriam illam, quæ* ...*irtute ac Ingenii nobilitate acquiratur, æternam* ...*ore, quæ annis adeò non consumatur, ut vires ab* ...*lis capiat, & tempore ipso major, meliorque fiat*; ...anc igitur sectabor, ac ingenium, dum vires, ...mnique sinunt, excolere meminero; reliqua ...ero, Summo Numine aspirante, etiam vo... ...is respondebũt. Servet tantùm nobis DEVS ...ara ac pretiosa cœlestis sui favoris pignora, ...uibus hactenus nos beavit, ut sub alis eorum ...curi requiescere, ac adolescere possimus, nec

antè

antè nobis eripiantur, quàm *Portum & Col* *mnas Herculis* cernere possimus. Summa h eſt votorum meorum, quam mecum à Sun mo Numine impetrare, meq; porrò benevo affectu proſequi non dedignaberis. Vale *am meus*, & plurimum ſalve, ac boni ſeminis me ſem ſuo tempore expecta

Guelpherbyti, ipſis Cal. Iulii Anno 1644.

à *Rever. Tuæ Dign.* obſervanti

EPIST. LXII.

Vir admodum Reverende atq; Clariſſime,

EN adhuc ex nuperâ ſcriptione calente calamum reſumo, provocatus à Rev. Tu Dignitate, novo beneficii genere. Curâſ enim per Sereniſſimum Parentem meum m hi tradi *Novum Teſtamentum Gallico-Alemann cum*, quod munus eò gratius mihi accidit, qu ſanctius Gallica lingua ex Sacro quàm profa no authore addiſcitur. Ego verò officii m memor, gratias quas poſſum maximas Reve rendæ Tuæ Dignitati remitto. Ecquid eni aliud à me hâc tenerâ meâ ætate expectari p teſt? Magna ſunt, fateor, Tua in me merit ſpero tamen, DEO propitio, futurum ali quando, ut grati animi indicium dare, ſi no ex voto reſpondere potero. Interim acquie ſcas peto, in meâ erga Te voluntate, quàm u obſequentiſſimam debeo, ſic nunquam no me debere fatebor. Vale, *Vir demerendis homi nibus nate*, Tuiq; amantiſſimum ama.

Dabam *VVolferbyti*, 8. Iul. 1644.

Rev. Tuæ Dign. Obſervantiſſim

EPIST. LXIII.

Vir admodum Reverende atq; Clarissime,

QVoties animo & cogitatione percurro, quot, quantaque sint Tua in me merita, non abs re pronuncio: *Me quantum quantū*
i ære Tuo esse, ingratumq; fore, si hoc ingenuè non
rofiterer. Nolo equidem jam enarrare præte-
:ta, [in hæc enim jam egressus non sum] mo-
ò, quæ præ manibus sunt, plenis buccis præ-
icabo. Ante triduum *Rev. Tua Dignitas* mihi
ransmisit elegantem Libellum, in quo *Illu-*
rissimi, Suavissimique Domini Parentis mei for-
unam, vitam & celsissimas Virtutes vivis
uasi coloribus depinxit. Quo libro, quid li-
entius oculis usurpare possum, sive Autho-
em libri, sive Personam, quæ commendatur,
onsiderem. De *Authore* verò illud pronuncio,
uòd sicut nemo rectius laudare Achillem
uàm Homerus; nemo felicius depingere A-
exandrum, quàm Cous Apelles; sic nemo
itam & felicitatem Serenissimi, Charissimiq;
Domini Parentis nostri rectius illustrare po-
uerit, quàm plurimùm Reverendus Clarissi-
iusq; Dn. Ioann-Valentinus Andreæ. *Per-*
nae, quæ commendatur, proximè ac secun-
um DEVM vitam & spiritum debeo, quo
uid majus esse potest! Hujus *Exemplum*
œlestis providentiæ munere nobis relictum,
iihi proponis imitandum, id quod ego sum-
iâ fide promitto. Gratulamur Optimo Do-
iino Parenti nostro de tanto Heroicarū Vir-
utum suarum *Præcone,* Nobis verò de anima-
o illo Virtutum Pietatisq; *Speculo,* quod sanè
unquam ex oculis animisq; dimittemus. Fa-
xit

xit mòdò Supremum illud Numen, ut in Ne
ſtoreos uſque annos ſplendeat, nec ante def
ciat, quàm ad voti noſtri & omnium bonor
portum perveniamus. Te verò, *admodum R
verende atque Clariſſime Vir*, Tuosq; hîc ſoſp
tes, alibi beatos velit ipſa Æternitas. Nos ſa
nè, quam diu fuerit hæc noſtra Sparta, Ti
gratias meminerimus ſummas. Vale *Vir plu
Rever. Clariſſimeque*, longumque Tibi & Am
cis vive.

VVolferbyti, ex arce noſtrâ 15. Iul. Anno 1644.

Rever. Tuæ Dign. Obſervantiſſimu

Epist. LXIV.

Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps Domine Clementiſſime,

Quod per diſertum Interpretem mecum agi etſi & hoc perhonorificum mihi eſt, tamen non moleſtum, deprecor, non enim in hac te nella ætate Rhetorem abs Te exigo, ſed pueri exercitium, adeoque lituras Tuas, & Solæcos ma joris, quàm terſam aliquam epiſtolam alterius f cero. Da itaque mihi, dulciſſime Princeps, *ma num Tuam, Tuos auſus, Tua in Priſcianum conv tia, quæ hîc Tibi facilè condonabit, memor illiu* qui nunquam malè, nunquam benè, *nos ver profectus Tuos indè metiemur, & piis votis comi tabimur. Id laudatiſſimo Patri Tuo ingratum op nor non erit, mihi verò omni melle mellitius, ſac caroque dulcius. Vale* mellitiſſime Princeps, & *manum Tuam mihi redde, quam affectu exoſcul humiliter.* 17. *Iulii* 1644.

Epist. LXV.

Vir admodum Reverende atq; Clarissime,

Mprobas, quod tecum per *Interpretem* hactenus egi, desiderans propriam manum, & ausus meos. *Manum* equidem meam semper vidisti, adhibitâ tamen, (non nego) levilâ Præceptoris mei operâ. Quandoquidem item ita vis, propriam imposterum semper abebis. *Ausus* meos, & *profectus* in Latinâ nguâ tantos non esse, ut lectionem Tuam iereantur, facilè admittes, si perpenderis, ie jam jam primùm literarum spatia ingressim, & vix à limine studia salutâsse. Per biennium in addiscendis primis *Elementis*, flexione *Vocabulorum*, & *Grammaticis* sudavi; um quidem ad *altiora* progressus sum, Tuis otis tamen nondum respondere me posse, ecur diffitebor? Voluisse igitur Reverendæ uæ Dignitati sat erit, ac promisisse, summis ie usurum *velis*, ut brevi è sinu meo profe-tas, legas: Interim quæso perge mellitissiis, eruditissimisque literis Tuis mihi calcar ddere: Ego, quod summum jus postulat, in re Tuo me esse nunquam non prædicabo. ale *Vir observande*, ac vive *Phœnice vivacior*, uod precatur

Reverendæ Tuæ Pietati

i. Augusti 1644. addictissimus.

Epist. LXVI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine Clementissime,

Q*Vod si quantum pingendis, tantum effingendis etiam literis, nondum vertente hoc anno profe-*

profecisti, equidem fatebor & præter commune sortem & supra expectationem meam esse te pr gressum. Cùm enim manum cum manu confer illam Discipuli, *hanc propemodum* Magistri *in venio, quæ res fecit, ut commodatam crediderin Quem meum errorem lubens lætusque revoco, utinam idem de* incrementis eruditionis *tuæ fa cere tenear, quæ profectò non mediocria esse opo tet, cùm tam exiguo temporis intervallo te ipsu ita evidenter superes. Macte hac docilitate & d ligentiâ tuâ, & cum cætera Parentibus delici facias, hoc superadde, ut te rerum quarūvis opt marum capacem intelligant. Me verò beabis, subinde aliis aliisque profectuum tuorum specim nibus edocebis, quantum & tua* Paterni exemp *imitatio & Magistrorum solers cura per tempor intervalla Ingenii tuæ culturæ addiderit, de q gaudere ex animo & gratulari saluti publicæ qu am. Cresce ergò* mellitissime Princeps, *semper doctior & melior. Vale.*

Illust. Cels. Tuæ

Stutg 24. *Augusti* 1644. *Cliens humi*

Epist. LXVII.

Vir Nobilissime & Præstantissime Fautor eximie.

Cum *plurima Virtuti Tuæ, meritisque in* Do mum, *cui obnoxius sum*, Guelphicam, *cla rissimis Tuis debeam, tamen ad nomen* VVer fii *mei, quod venerabile mihi est, potissimum rescriberem exarsi, quo Viro dum viveret, amab liorem, jam mortuo, magis desiderabilem duco ne minem. Cujus familiæ quòd me debitorem publi cè sum lubens professus, quidni jure tuo ipsius aff nis, gentilis, & affectu filius, quicquid in me offici*

quicqui

uicquid etiam gratæ recordationis est, poscas, &
uantũ in me quidẽ erit, quod agnosco perexiguũ,
ccipias & obtineas. Cumque idem grave onus,
uod olim beatus noster VVensius, *scilicet Iuven-*
utis Principis ad rectam rationem educandi, in te
ceperis, quo ipsi similior, hoc mihi observantior,
r qui piis precibus in hoc Herculeo labore suble-
etur, dignior habeberis, quod equidem pro fide
tea, lubens meritoque polliceor. Etsi enim in ma-
na felicitatis juxta & facilitatis parte duco, vi-
o Augusto, *quo perfectius Principis Virtutis da-*
non potest, filium ejus Te ad hoc Exemplum
mponere posse; Patrisq; authoritatem, ac siquâ
us, opem habere in promptu, tamen qui VVen-
i sudores & angores coram sæpè vidi, ipseq; hu-
usce rei experimentum qualecunque olim cepi,
uantum Virtutis Tuæ speciminibus gratulandum;
mtum Divini auxilii, ut oneri porrò par sis, im-
orandum & conciliandum Tibi, puto quod officii
ristiani genus itidem Tibi bonâ fide despondeo.
æterùm ex Principis alumni Tui generosa indole,
es mihi amplissima est, fore, ut nec hunc Ephori
i probatissimi, *nec Te Principis* gratissimi *un-*
am pœniteat, utrosq; recte facti officii conscien-
a beet, Res Publica verò elogio suo coronet. Vale
obilissime Patrone, *& quia dignum sponte exi-*
masti, fac porrò ames

Nobilit. & Ampl. Tuæ

utg. 17. Iulii *omni officio & studio*
An. 1644. addictissimum.

Nobilissimo Dn. Friderico à Cram &c.

EPISTOLÆ ANNI M. DC. XLV.

I.

Cum tribus Principibus.

Epist. LXVIII.

S. P. C. & Anni præsentis felicitatem.

Illustrissimi & Celsissimi Principe[s]
Domini Clementissimi,

E*Tsi mihi & sagacitas Vestra, & industria,* c[...] Dextrum unum Gerionis pedem, *expli[...] stis, longè gratissima est, tamen ad ipsum* B[e]lonæ *nomen, cujus vel amico contubernio iter[...] miserè excruciamur, totus cohorresco, adeò mi[ni]mè bellum est, quod hodiè geritur, sed public[um] potius latrocinium. Non diffiteor honestum int[er]dum, necessarium imò & pium aliquando fuisse, [&] esse posse, at quid de hujus temporis Belua dica[m] quæ cum tartari porta certare videtur, totasq; [...]ces Impietate causæ deglutit, planè non inve[nio]. Hoc igitur in literis Vestris quàm maximè pro[bo], quo* defensiva *magis quàm* offensiva *proba[...]. DEVM terrarum Vestrarum Propugnatorem [...] animo precor, ne earum defendendarum necess[itas] Vobis unquam, nisi feliciter & cum rei Christi[anæ] incrementis, incumbat. Nos verò* Pax alma, l[...]cisq; Princeps CHRISTVS *respiciat, [&] Vos sospites & florentes servet. Salvete iter[um] ac favete*

Ill. C. C. C. V. N. V.

[...]ſt. Cal. Ian. 1645. *demissißimo Clie[nti]*

Epi[st.]

EPIST. LXIX.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

SErionis Tui anatomica continuatio differetur abhinc proximis octo diebus, nec tamen sine causâ. Nam quia nuper arma xcutiebamus,& de bellis disserebamus,quoum exitus Christiani nominis omnes in Euopa precibus & lachrymis optant,certè optae tenentur, nostra quoque vota jungere,non bsonum,nec Tibi hisce *Novi Anni*, quem fau:is ominibus ubiq; terrarum prosequi,& veıt consecrare solent, auspiciis ingratum fuurum existimavimus. Maxima siquidem, & rima Reip. debet esse cura, quam nostri no:rorumque sequitur. Oramus itaque ex intiıis pectoribus, *primò* quidem ut hic, quem ecens ingredimur, annus, tantum à proximè lapsis absit eventibus,quantum à miseriis fecitas, tempestates à tranquillo: utque nobis, : ad posteros mirabilis auxilii cœlitùs demiss exemplo insigniatur; *Deinde* verò, ut Tu ım familia in isto rerum transitu, non miniıam cœlestis benignitatis particulam assequaris. Sin aliter DEO visum sit, ira ejus,quâ uropa nunc ardet, nondum expiatâ, precaıur tamen, ut Te, Tuosque inter fluctus & empestates incolumes servare velit, iisque ignari bonis, quæ inter tot mala alexipharıaci loco esse queant; Eadem Informatorum ostrorum sententia, quorum nomine, etiam fficiosam Tibi salutem adscribimus. Intem, qui usque fuimus, iidem permanemus, ilicet *Rever. Dign. Tuæ*

uelpherbyti, 13. Observantissimi.
an, Anno 1645.

EPIST. LXX.

Admodum Reverende & Clarisſime Domine Doctor,

DEbiti ſolutionem, ut differamus ampliu
non patitur obligatio, quâ Tibi nos ob
ſtrinximus, neque qui pro Te creditoi
apud nos ſubinde inſtant. Imperia armis
bello tanquam fulcris ſuſtineri, præeunte G
rione Tuo, ſcripſimus nuper, Tuque ſente
tiam noſtram de bellis defenſivis probâſti, v
to addito, quod ut ratum habeat DEVS, to
ex pectore precamur; Belli, fatemur, ment
ingrata, temporibus, quibus à ſe degenerav
tantopere, ut ſi jura ejus, ex factis quiſpia
metiatur, nulla inveniendo, ſed vim qu
vis immanitate truculentiorem deplorand
quodnam legitimum, & an eſſe poſſit legu
& rei, quam deterrimam omnium experimu
conſortium, ſit dubitaturus. Huic qui bel
præſunt, ſi differentes audias, haud abſur
nonnunquam de iuribus belli ſentire, fatoq
potius, & peccandi neceſſitate, quàm conſili
deſtinatoque propoſito, ea, quæ miramur, a
mittere videntur: norunt, inquimus, belli
jura, ſed dum res gerunt, vel Zelo abrepti i
conſulto, vel ſpecioſo libertatis nomine cap
aut rurſus iſtius imminuendæ cupidi, qu
ſtabilior futura ſit Reſp. ſi cives ſervire adſt
ctius adſueſcant, eadem ipſi violant, & pr
tergrediuntur. Indè non terræ, non earum i
colæ curæ, ſi religio, ſi libertas integra m
neant, non illis incolas, nec incolis terras d
futuras arbitratis. Sed ad Gerionem reve
tamur, contemplati Thuribulum, quo arm
quidem ſecuram, at RELIGIONE tuti
re

:m Remp. significas. Id de Superstitionibus
iis Gentes, plerunque absurdis, falsis & va-
is senserunt: quî Christiani dubitaremus de
ultu, quo Numen veneramur, affirmare?
t illi pro instrumento Dominationis Reli-
ionem habuere, cùm qui Politici inter eos,
eligionum ipsi derisores, efficaci istâ technâ
idomitæ multitudinis impetus & spiritus
ontineri consultum & necessarium dijudica-
ent: Nobis *vinculum Dei & hominis*, quod
tique de nostrâ confidenter asserimus à Deo
so, homini data & revelata. Hanc qui colit,
uique sequitur, is & *Legibus* paret, obedit
agistratibus; is *bonus Vir* est, & *bonus Civis*.
lorentissima regna fuisse olim, atque etiam-
um extare absque religionis Christianæ usu
imus. Atqui præterquam nunquam sine
eligione fuerunt, durarunt tamdiu illa, ut
ummâ DEI clementiâ tandem amplecteren-
ır; hæc, ut felicitas nostra in comparatione
:nebrarum, quibus involuta sunt, magis elu-
:scat. Tolle Religionem, quid sequetur,
uàm universarum gentium bella, cædes, re-
ælliones? Profectò, nisi qui in Republ. vivit,
aulò audacior, sibi persuaserit esse DEVM,
ui, quæ agimus, & videt, & curat, is nullis
egum repagulis continebitur, nullo metu;
uin si favere videatur occasio, excutiat ju-
um, ac si possit, misceat quadrata rotundis.
ed materiæ istius amplitudo, & dignitas ali-
uot literas deposcit, idque filum abrumpere
ceat, ad proximum usque tempus. Interim
t valeas, optant animitus

Rev. Dign. Tuæ

'uelpherbyti, 21. Ian.
Anno 1645. Observantissimi.

Epist. LXXI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

NVper ob temporis brevitatem, utq; Epistolis suus inesset modus, cæptam de RELIGIONE dissertationem derepent abrumpere necesse fuit. Scripsimus autem quæ nec pœnitet repetere, Religionem nimirum è validissimis Rerumpubl. sustentaculi potissimum, absque qua *Imperia*, & *Principatus* nulli esse possint. Quod quidem primâ facie nemo negare poterit; si motus & bella quæ ob religionem excitantur, consideraveris, haud statim assensum præbeas, sed velu in bivio hæreas. Sic autem existimamus, u unius rei plures esse possunt causæ, sic à pru dentibus, *veras* à *falsis* accuratè distinguen das. Nemo enim est, qui mentem vel his co gitationibus maculari patiatur, quasi Christia ni olim, dum *Ethnicæ idololatriæ* adversaban tur, regionum vastationes, Rerumpubl. eve siones, & alia scelera, quorum ab hostibus in cusabantur, invexerint: nemo etiam adeò in pius erit, ut credat, Christianos Orientales a *Mahumetanum furorem*, Christianâ fide post positâ, deficere potuisse, evitandarum caus quas tot secula perpessi sunt, calamitatum. V enim notum, Ethnicam & Mahumetana abominationem à *Diabolo* esse, ita nemini du bitandum, omnia illa mala, & miserias ab e dem auctore, minimè verò Religioni impu tandas, quia quæ apud illos populos, de cult Numinis (si cultus dicendus) invaluêre op niones, Religionis nomen non merentu Quid autem nobis de iis, quæ per centum

an

amplius annos in Europâ acciderunt, videbitur? annon fatendum erit, omnia ferè bella ob Religionem orta, mutationes Imperioŕu, seditiones, defectiones Subditorum à Principibus accidisse? Hoc ita fortè videatur esse, iis, qui nihil, nisi quæ ante pedes sunt, vident, nec in negotiorum humanorum abstrusa penetrant. Eædem hujus seculi bellandi causæ, quæ superiorum, *Ambitio* scilicet, & *Avaritia*, quę specioso Religionis velamine conteguntur. Nullâ itaque causâ moti de Religione querimur, eamve accusamus, *Vitia nostra* incrustamus *rei sanctissimæ prætextu*, Dei hominumq; securi. Optandum esset, ut omnes calamitatum istarum feralium pars vel authores scivissent, aut adhuc scirent, quid Religio, aut quomodo secundùm eam vivendum, scientiamque suam factis comprobassent, & comprobarent, ne nomen quidem discordiæ apud nos audiretur, Mars catenis vinctus fremeret, regna & nationes florerent, quisque donorum divinorum frueretur copiâ, denique repatesceret, quod probare nitimur, *Religionem sc. firmissimum Rerumpubl. fundamentum.* Tantum pro tempore. Benè cum Tuis vive, & exercere perge

Reverend. Tuæ Dign.

Guelpherbyti, Observantissimos.
28. Ianuar. Anno 1645.

Epist. LXXII.

Illustrisimi & Celsissimi Principes, Domini Clementissimi,

Binas Vestras 13. & 21. superioris mensis datas, ego unâ die accepi, sed turbatissimâ, cùm &

Gallorum ad nos accessu & Bavarorum occursu, *omnia apud nos armis perstreperent, quò magis avidè, pia vestra pro patriæ meæ, & mea incolumitate, quæ haud in exiguo versatur periculo, vota, excepi, DEVM precatus, ut ex tam bona mente, sinceroque affectu profecta, rata esse sinat, vobisque hanc in nos pietatem largißimè rependat. Quam etiam addidistis thuribuli in* Gerione *anatomen, libens, & cum plausu exacti judicii rectique sensus, legi. Scilicet (si de veriore & unica tantùm loquamur)* Religionem *aliis conscientiam, aliis lusum; aliis cultum, aliis instrumentum; aliis fidem, aliis opinionem esse, quod ultimum, utinam non lucem illam* Germaniæ *accensam, hodiè obfuscaret, limpiditatemque Israëlitici fontis, lutulentam iterum redderet. Quantum enim damni* Fides *illa, propè dixerim* perfida *scilicet exlex, effrons, excors, exsucca, exanimaque rei Christi adferat, id deplorare, quàm corrigere facilius est, & vel increpare aut exprobare, minimè tutum. Quò magis Vobis* Illustrissimi Principes *curandum, atq; incumbendum est, ut res vestras, quibus vos DEVS præfectos voluerit salvas, florentes, & crescentes velitis, in* Patris *laudatißimum, & propè unicum Exemplum intuiti, verum* religionis *studium, operamque continuetis, qui & sceptro & calamo, potißimum verò intimo cordis motu atque sensu, res ejus agit tam recta fide in Ecclesia DEI conspicuus, quàm felicißimo consiliorum successu, coronatus. Quicquid enim Sacræ literæ religiosis Principibus & voce, & Exemplo pollicentur, id palàm in religiosißimo* Patre *vestro præstari, renovarique videtis, eoque perfruimini, quod ut continuum perpetuumq; vobis, Domuique vestræ inclutæ sit, æternum numen supplex adoro, quod vos sospitet, informatoresque vestros, (quibus perofficiosam salutem*

lutem adſcribo) fidei, & laboris ſui ubere proventu beet. Valete & favete Illuſt. Principes

Ill. C.C.C. V. V. V.

Stutg. Prid. Eid. Febr. Anno 1645. *humillimo Clienti, & Miniſt.*

P. S.

En etiam tertias veſtras, Illuſtriſſimi Principes, 28. *Jan. datas, quibus* religionis *cauſam, ne ei* turbæ & motus *in republica imputentur, piè & maſculè agitis. Scilicet à* ſerpentis *odio & inſidiis in calcaneum* Serpentarii *noſtri hæc injuria, & implacabile bellum eſt, quod pluribus exequerer, ſi per invaletudinem liceret, quæ diem mihi inter labores & dolores diviſit, illos antemeridianis horis Eccleſiæ & Curiæ, hos pomeridianis difficilimæ digeſtioni debitos, cujus meæ excuſationis gratiam ſi feceritis, ſingularis clementiæ & liberaliſſimæ indulgentiæ indicium putabo. Ne tamen* Gerionis *anatomen deſeratis, humili obſervantiâ, majorem in modum rogo. Iterum atque iterum ſalvete.*

EPIST. LXXIII.

Admodum Reverende & Clariſſime Domine Doctor,

LOngum licet temporis ſpatium elapſum videatur, ex quo ultimæ à Te literæ nobis allatæ fuerunt, cœptum tamen de RELIGIONE ſermonem perſequimur. Quâ enim de causâ ſuſpicaremur, conatus noſtros minus acceptos, quòd non ſemper æquè ſuccedant. Quia autem multæ Ceremoniæ Religionem veram mentiri conantur, ejusque ſpecie mortalibus imponunt, operæ pretium ſtatuimus,

Veræ Religionis NOTAS examinare: quod à nobis fit, non tam, ut Christianæ Religionis Veritas eò magis confirmetur, quàm ut aliarū Ceremoniarum falsitas & impietas evidentius patefiat. *Primum* itaque Veræ Religionis *fundamentum* esto; Vti nos, cultusq; nostro ad DEVM Opt. Max. Creatorem omnium flectat ac dirigat; Religione enim DEO homo ad salutem reconciliatur: Hominum autem salus DEO conjungi, neque enim Mundus, aut quæ ejus sunt, hominem beare possunt: sed beatum hominem is solus facit, qui creavit. Omnes itaq; *ETHNICI* de spe deciderunt, qui, aut Creaturas se viliores, aut Dæmones adorârunt, à quibus nulla exauditio nullum auxiliū sperandum, sed pernities potius expectanda fuit. Vt verò Verum DEO cultum tribuas, rectè eum prius cognoscas oportet, nemo autem, quid DEVS sit, ratione consequitur: quamobrem, ut Rusticus, qui Aulam nunquam vidit, honorem, qui Principi debetur, assignare haud possit; multò minus homo, quomodo DEVS sit ritè colendus quà homo, noverit. Misellì fateamur, ad DEVM accedere non posse, nisi quatenus ad nos descendere dignatur, ascensum nostrum DEI descensum esse. Hæc igitur *secunda* Religionis Veræ *nota*, ut cultum nos doceat, Verbo DEI nixum, & ab eoipso revelatum. Hoc argumento *IVDAICÆ veteres Ceremoni*æ corruunt, quibus DEVS haud semper coli voluit, sed tantisper, donec veniret is, quem adumbraverant. Porrò, quia Natura corruptionem suam aliquo modo intelligit, ac simul purgationem sibi summè necessariam, quæ non apud Philosophos, multò minus Politicos inveniatur, id *tertium* Veræ Religionis *Gno*

rismi

rifma ſtatuimus, ut rationem ea nobis ſuppeditet, quâ Iuſtitiæ Dei ſatisfiat, nosq; à ſordibus, quibus inquinati ſumus, mundari poſſimus. Faceſſat *SARACENICA Impietas*, quæ affectuum humanorum pravitatem adeò non ſuffocat, ut multò magis ſuffulciat, & irritet, quæque parum ſolicita de mediis iram divinam placantibus, eandem pudendis præceptis meretur, & in miſerorum hominum capita attrahit. Hæ *Veræ Religionis notæ*, nunc quidem nobis tantum notæ, ſufficere videantur, quia quæ in hanc materiam dici poſſunt amplius, ad hæc tria capita redigere cuiq; facile. Itaq; literas haſce finimus, voto ſubnexo, ut qui *Veram Religionem* nobis patefecit, eandem inter nos conſervare velit, quò juxta ſanctiſſima & dulciſſima ejusdem præcepta vitam inſtituentes, aliquando *Numini* (quod intendit unicè) *arctius jungamur*, infeliciores alioquin futuri Ethnicis, & quibusvis ſuperſtitionum mancipiis, ſi ſpretâ clariſſimâ luce, tenebroſæ caliginis horrorem pertulerimus. De cætero cum tota familia ut valeas benè, optant animitus

Guelpherbyti, *Reverendæ Tuæ Dign.*
11. Febr. An. 1645. Obſervantiſſimi.

Epist. LXXIV.

Illuſtriſsimi & Celſiſsimi Principes, Domini Clementiſſimi,

Anè quàm jucundũ mihi fuit lectu, longũ Vobis videri, ex quo aliquid literarum mearum acceperitis, quod mihi indicio eſt, nec moleſtas meas aut importunas, quod maxime metuebam, haberi.

D 6 *Scripſe-*

Scripseram autem ultimas prid. Eid. Februarii hujus, superiores verò Calendis Januarii, cùm per adversam valetudinem, quæ etiamnum me tenet, plura nequiverim. Sed & hoc longè gratißimum mihi fuit, Vos in Religionis *meditatione diutius immorari, certo argumento imitationis Paternæ Virtutis, cui in summa statione & sublimi fortuna secus quàm aliis Religione nihil prius aut posterius est. Quàm verò egregiè* notas *verioris religionis & quasi acu rem tetigistis, ut à quibuslibet falsis discriminaretur! Nempe tractu, sive ductu ad D E V M, & velut combinatione, contra* Gentiles *creaturarum, imò & Idolorum cultores, cultu divino patefacto & in unum CHRISTVM directo, adversus* Iudæorum *tempore finitam veloq; tectam religionem, & expiatione per Christum peccatis nostris debitam, Philosophis ignotam Politicis inaccessam, à* Saracenis *verò (potius Hagarenis) magis magisque inquinatam. Hæ sanè notæ sunt, quæ & Veram asserant, & omnibus aliis, quas Orbis habet, præferant. Addam tamen si per vos liceat, coronidem, sive ornamentum scilicet* Spiritus Sancti charismata, *quibus heroicos motus, & vitam longè perfectiorem, quàm ulla Philosophiæ Idea, contingat, confert, ut Christiana Religio luce divina & miraculis coruscans omnibus aliis excellat, solaq; effectibus suis imperet. Vnde nobis hoc potißimum incumbit, ut religionem hanc magis profiteamur, quàm confiteamur, exprimamusque facto, quàm ore jactemus imò cordè experiamur, quàm foris præ nobis feramus, huic etiam solidè incumbamus, quàm opinionibus regamur. Quo in studio si perrexeritis,* in cluti Principes, *ad D E V M ipsum, religionis scopum, pertingetis, CHRISTVM religionis centrum apprehendetis, ejusque meritum, religionis basin & salutis vestræ ancheram figetis, Vitâ ver-*

reli-

religiosâ, sive sanctis moribus, omnia hæc seriò agi, imoque pectore calescere, testabimini.

Id quod Christus *ipse faxit, qui vos* Principes Christianos (*summo in terris titulo*) *& esse sinat, & magis magisque efficiat, quo uno & vobis gloriam solidam, & terris vestris salutem parabitis. Salvete & Informatores vestros, quibus hæc egregia monita, & doctrinas debetis, æstimate, quos salvere peroffiçiosè, & me amare jubeo. Valete.* 26. *Febr.* 1645.

Ill. C. C. C. V. V. V.

humilimo cultu addictus.

Epist. LXXV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

Literas Tuas nobis molestas esse, ne credas, rogamus, sed certiorem potius Te facias, nos diem expectare quàm maximè, quâ literarum quid à Te obfertur. Quia enim ampliorem subinde informationem optamus, ideò literas Tuas desideramus, quibus non tantùm, quæ pueriliter, & nullo ornatu fundimus, egregiè reddis, nobisque præis, sed & utilissimas admonitiones interferis. Hoc admodum dolet, ægritudinem Tuam non permittere, prolixiores esse literas, quæ ut abs Te recedat, ex animo optamus. De *Religione* disseruimus uberius, ob materiæ conditionem; Centesimam tamen nondum scripsimus partem eorũ, quæ addi potuissent. Quæ potius integris tractatibus, quàm literis committi debent. Ad præmia tandem pœnasque progredimur, quò promissis stemus, quæ non absque magnâ, ut arbitramur, ratione in me-

 dio

dio posuisti. Nisi enim Religioni, Armis & Opificiis PRÆMIA parata essent, quis, quæso, iis operam daret? *Pietas* quidem & *Virtus* per se adeò excellentes sunt, ut pulchritudine suâ meritò oculos capiant, atq; homines nullâ aliâ re motos, quàm hâc ipsâ, illas amare oporteat. Pauci verò hanc Philosophicam, & in Theoriâ consistentem doctrinam assequuntur. Multò plures reperiuntur, qui quæ ante pedes sunt, tantùm vident, & quæ sensibus percipere possunt. Quid? ipsa Scriptura nos ad hæc per præmia irritat: *Si hoc feceris, benedictus eris*, &c. Et Apostolus *Pietatem ad omnia utilem esse* affirmat, *promissionemque habere hujus & æternæ vitæ.* Omniumque populorum *Exempla* in promptu sunt, qui id certatim attestantur. Quare enim in bello occisorum *facta* post mortem *decantata*? quare posteri eorum splendidis *immunitatibus* donati sunt? quanam de causâ *Ludi* ac *Triumphi* instituti? Vnde omnes militares *Ordines* orti, quòd quidam *Nobiles*, alii *Comites*, *Principes*, *Duces*, *Reges* nominantur, nisi semper intellexerunt mortales, non sufficere fortibus tacitam recti *Conscientiam*, sed illius ad cæteros Cives *monumentum* necessarium? Cur & novarum *Artium Inventoribus* in benè constitutis Rebuspubl. præmia constituta, nisi id verum esset, quod dicitur; *Vbi nulla præmia, nullæ artes*? Ideò rectè præmia Religioni, Armis & Opificiis adjungis, quibus hæc Rerumpubl. fulcra corroborantur, & conservantur. De pœnis sequenti septimanâ. Valetudini tuæ pepercimus, considerantes, non Librum nos, sed Epistolium scribere, in cujus fine certiorem rogati Te reddimus, Informatores nostros multum tibi debere, non tantùm, quòd amicitiâ

Tuâ

Tuâ eos dignaris, sed &, quòd diligentiam eorum in nos, approbas. Salve ac vale. Dabam. *Lycopoli*, 25. Martii, festo Annunciationis Mariæ, Anno 1645.

Rev. Tuæ Dign.

Observantissimi.

Epist. LXXVI.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini Clementissimi,

*Quòd reciprocandis mecum literis minimè fatigamini, & plurimum vobis debeo, & multum mihi gratulor, nec exiguum lenimentum doloris in publicis malis, inde capio. Quæ de præ*miis *egregiè, & eleganter disseruistis, apprimè placent, quorum conferendorum studio si rectè imbuamini, næ magnam partem* officii Principis *vos assecuturos, affirmaverim, quibus hoc muneris gloriosi DEUS aliquando in manus tradet. Nam ut nostrum est, benè mereri fide, sedulitate, labore, ausu; ita profectò vestrum est agnoscere, æstimare, rependere, coronare, cùm alioquin Aula, ingratitudinis notam ferat. Vidi mea ætate rarissimum hujus virtutis, quam lubet vocare, compensativæ, exemplum* Philippum Ludovicum *Palatinum Neoburgicum, Principem incomparabilem. Is ministros alebat, sed selectissimos & instructissimos, modicis quidem stipendiis, sed perpetuis præmiis, adeò ut propè singulos actus egregios, munere aliquo vel honore ornaret. Addebat alloquii blanditias, frequentiaq; munuscula sive missilia, quâ re perficiebat, ut abstrahi lautis etiam stipendiis oblatis, aliò minimè potuerint, religioni scilicet tam facilem & liberalem Herum deserere,*

re, ducerent. Titum *nempe æmulabatur, qui neminem tristem à se abire passus est. Contra alii quamcunque suorum fidem, sudorem, canitiem, fatigationem, etiam mortem, tanquam sibi debita sacrificia, consumunt, hominibus tanquam* jumentis, *aut* veredis mutatis, *aut* abjectis, *à qua inhumanitate, quam Christianorum religio minimè probat, abhorrere vos plurimum velim. At feliciter hac in re vobis cautum est* Incluti Patris *speculo, in quo ut omnia justa & pulchra, ita hanc etiam præmii ferendi laudem intuemini, quâ omnes hujus ætatis magnates, publico elogio superat. Cujus vestigia secuti, cùm amplissimas dignitates & fortunas subjectas, tum vel maximè* Ecclesiam, artes Liberales & Mechanicas *atque elegantias omnes obnoxias, munificentiæ vestræ, cum æterna nominis memoria habebitis. Ita Mecænatis nomen terris superest, planeque supra Cæsarum & Regum laudes triumpharet, nisi minor* AVGVSTO *esset, cujus potentia ad hanc facultatem est evectus. Vos vestrũ* AVGVSTVM *Patrem imitamini, certi non propius vos posse accedere* D E O, *qui poculum frigidæ aquæ, solum parvis suis datum, mercedem suam non perditurum est pollicitus. Quam* Serenissimo Domino & Hero meo, *Vobisque* Principibus Illustrissimis *ego debitor maximus ex parvulis Christi, largam, abundantissimam, ex animo precor.*

Ill. Cels. V. V. V.

Stutgard. 9. April.
Anno 1645. *Cliens humillimus.*

EPIST.

EPIST. LXXVII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

Literas tuas, auro cariores, inter Ceimelia reponendas, accepimus. Gerion Tuus præmiis adjunxit POENAS, de quibus etiam quid differendum. Et quoniam multa earum sunt genera: de iis duntaxat tractabimus, quæ Capitales sunt, quibusque sanguis humanus effunditur. Videtur enim *nonnullis absurdum*, peccatorem hominem, qui & DEI judicio ipse obnoxius, sui similem, imaginemque DEI ad mortem damnare, cùm DEVS tamen ipsi parcat, eumque ad pœnitentiam invitet. Quâ opinione hominum improbitas admodum roboratur, humanæque societatis vinculum solvitur. Nec hæc *Clementiæ* specie recipi, probarive potest. Exempla haud etenim desunt, subitæ & lentæ in sceleratos Vindictæ divinæ: DEVS ipse multis in locis jubet, malum è Civitate tollendum, quo immunda redditur. Magistratumq; timendum, eiq; obediendum ipse Paulus monet, non enim frustrà gladio accinctum. Ii verò talibus pœnis afficiendi, quorum salus *desperata*, quorum actiones *detestandæ*, memoria & recordatio absque *execratione* fieri haud potest, quibus conducit abire, ut ad se nunquam redituris; Neque id, ut facta revocentur, quod impossibile, sed ne imposterum eadem admittantur. Homo enim homini eâ cognatione junctus est, ut vitam adimere non possit, nisi gravissimâ impellente causâ; Hæc licet subsit, Conscientiæ tamen consulunt ii, qui pœnas capitales mitigant, & in alias, ut: Da-

damnatio-

mnationem ad *triremes*, *Opus metallicū*, exemplo Romanorum, aliarumq; Nationum, convertunt. Duo autem *scopuli* in Capitalibus pœnis infligendis vitandi sunt Magistratui: *Primus* est, ne ingenium exerceat in exquirendis novis suppliciis. Procul absint *Mezentii* immanis crudelitas: *Phalaridis* taurus: *Nabidis* conjux: *Neronis* faces ac lumina: *Syllæ* carceres: *Diomedis* equi: *Ludovici* Regis Galliæ caveæ: Is enim humanum sanguinem, ut nullius pretii, maximo cum gaudio effundit, qui his in rebus videri vult ingeniosus & artifex. *Alter est*, ne pœnis ipse intersit, dum interrogantur. Scribit Tacitus noster in Agr.c.45.n.4. *Neronem* subtraxisse oculos, jussisseq; quidem scelera, non spectavisse: præcipuam sub *Domitiano* miseriarum partem fuisse, *videre & aspici*. *Vitellii* verba maxime detestanda, qui cùm homines coràm interfici jussisset, *Se voluisse*, dixit, *pascere oculos*. Denique cavendum Magistratui, ne damnatos irrideat, aut duriter alloquatur, sed Exemplum *Iosuæ*, qui Achan sacrilegum, *filii* nomine dignatus est, sequatur. Hac ratione odium evitabit, quod hoc munus comitatur, tutam inter sontes innocentiam præstabit, & societatem hanc hominum, quantum in se erit, stabiliet. De cætero, dolemus, ægritudinem Tuam perdurare, quæ communi forsan calamitate adaugetur. Memento, Te,Tuiq; similes, quorum consilio & precibus Resp. nititur, spem, ubi nulla apparet, arripere, neque stationem, quamvis tremulos & lapsabundos deserere oportere. Det autem Tibi DEUS, quæ vergunt in Tuum,Patrieq; emolumentū. Salve à

Rever. Tuæ Dign.

Observantissimis.

EPIST.

EPIST. LXXVIII.

Illustrissimi & Celsissimi Principes,
Domini Clementissimi,

P*Vdet equidem me socordiæ meæ, quam vicissim digno silentio vestro egregiè ulciscimini, qua gravius supplicium imponi mihi non potuisset, ut duram potius increpationem prælegerim. Possem quidem vel animi in publicæ calamitatis intuitu, ægritudinem; vel corporis mei jam satis diuturnam invaletudinem; vel molestissimarum occupationum seriem, in qualemcunq; excusationem obtendere, at cùm hæc cuncta, cùm Dignitas vestra, tum incredibilis & insolitus favor, facilè elidat, malo culpam meam spe veniæ ex facilitate vestra, fateri, quàm indignationem vestram majorem, his diverticulis provocare. Vnum fortassis superest, quo me aliqua Iuris, sive pacti specie, sustineam, nempe cùm in vos plenam* Gerionis *anatomen receperitis, nondum eam integram, quod sciam, stiteritis. De* præmiis *conferendis, quæ egregiè disseruistis* 25. *Martii, ego* 6. *Aprilis accepi, iisque, quæ tum visa sunt* 9. *sequente, reposui. Ab hoc tempore nullas vestras, quas in deliciis habere soleo maximis, vidi, quæ res nauseæ alicujus apud vos, suspicionem adferre potuisset, nisi animi generositas & studiorum ardor mihi probè esset perspectus. Redeo ergò prior ad literarum commercium, atque sic mihi blandior, ut cuivis alteri impedimento, quàm à me alienationi, aut fastidio literarum mearum, silentium hoc, sive potius interstitium & pausam imputem. Beabitis autem me desideratissimis Vestris literis, quarum materiam, si fortè tædium* Gerionis *obrepserit, liberrimam vobis relinquo, nec enim deerit, quod in* AVGVSTA Domo *dignum scriptu lectu-*

lectuque nascatur, & florentissimo calamo vestro describatur, quem manuductores vestri laudatissimi (quos reverenter saluto) in publicum usum porrò feliciter dirigant. DEVM propitium precor, qui vos servet. Valete, & favete

Ill. C. C. C. V. V. V.

Pridie Ascensionis
Christi 1645. *humillimo Clienti.*

EPIST. LXXIX.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini clementissimi,

I*lteris vestris nec gemmæ mihi preciosiores nec aurum nobilius, nec saccarum dulcius est: quas nisi pro incredibili vestra humanitate ultrò conferretis, mihi sanè omni animi contentione ambiendas, omniq; obsequio demerendas, omni denique cultu atque observantia exorandas putarem, tantum abest, mea socordia, tantam vestram alacritatem retundere & tardare, id est, me ipsum insigni hoc thesauro, & voluptate inexplicabili fraudare ausim. Additis insuper ingenii vestri, & solertiæ specimina, ex quibus ut profectus cum annorum progressu palam metiri licet, ita augurari de felicitate seculi ex vestra olim administratione, tanquam futuris melioris ævi instrumentis facilimum est, mihique velut vati, prævidere perjucundum. Cujus rei meditatio cùm ad* natalium vestrorum *reminiscentiam me adduxisset en hîc Majus præsens, geminos vobis sistit. Tibi quidem* Illustrissime Princeps, RVDOLPHE AVGVSTE, *proximo abhinc decimosexto decimum ætatis nonum, Tibi vero* Illustrissime Princeps, FERDINANDE ALBERTE, *crastino deci-*

decimum, quem utrumque vobis precor augustissimum & auspicatissimum, totoque animo gratulor cum Serenissimo Dn. Patri, *cui superstiti & coram videre ascensus ad maturiora, & gressus formare vestros ipsi licet, tùm Vobis, quibus hoc arbitro & Rectore, aberrare non licet; mihi verò gaudeo, cui propitio DEO, omnia vestra augmenta, emolumento, subsidio & umbraculo esse poterunt, quæ amplissima esse DEVS OPT. MAX. jubeat, plausus meus per munuscula exigua subsequetur.* Gerionem, *in inferendis* Pœnis, *ab ingeniosa crudelitate oculorumque pastu, & verborum acerbitate, egregiè arcuistis. Vtinam quam res digna est imperio, cohercere malos, non ea plerumque bonis malè verteret, malos absolveret. Sed Vos aliquando rectius, & hoc* Patris *laudatissimo Exemplo, imò DEI, qui bonis bonus, malus malis. Salvete iterum atque iterum cum Informatoribus vestris, & felicissimè valete. Dabam festinanter ad acidulas reparandæ valetudinis ergò abiturus,* 21. *Maii* 1645.

Ill. C. C. C. V. V. V.

Cliens humillimus.

Epist. LXXX.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

NEque socordiæ Te pudeat, siquidem sæpius à Te, quàm Tu à nobis literas accepimus, nec in animum inducas, silentio nostro eam ultos nos fuisse. Licet non responderes semper, excusatione tamen non opus esset, aliis majoribus occupationibus intento. *Gerionis* nostri haud obliti, de *pœnis* nuper addidimus, eas, quibus sanguis huma-

nus effunditur, summâ circumspectione imponendas, iisque saltem imminere debere: quorum facta horrenda, vitæque emendatio haud speranda. Nec omissum est, Magistratum, in inveniendis novis suppliciis, minime ingeniosum esse oportere; nec pœnis, cùm irrogantur, interesse debere. Quas si acceperis literas, omnis remota erit suspicio, obrepsisse tædium Gerionis. Interim, donec respondeas, permissu Tuo, Gerione omisso *Theologicam* quandam *materiam* Tibi haud ingratam, nobisq; utilem, his literis inserimus. SACROSANCTÆ TRINITATIS FESTUM pridie celebravimus, & præcedente die in Hafenrefferiano Compendio nobis obvenit locus, de DEO, ubi breviter, at nervosè scribis: *Mysterium SS. Trinitatis nulli quidem humanæ rei assimilari, posse tamen per animæ facultates aliquo modo adumbrari.* Haud quidem nescimus, à Majestate gloriæ opprimi, qui ultrà, quàm concessum, eam scrutari conantur, eorum ad instar, qui oculos in splendorem *Solis* dum defigunt, oculorum aciem hebetant, sicut hæc Dn. Hafenrefferus noster explicat, cujus traditis acquiescere tutò possumus. Attamen, uti *Solis* beneficio, omnia quæ sub eo sunt, spectamus, ita juvante DEo animadvertimus, quæ DEI sunt, quando sc. quæ ratio invenire haud potest, nobis revelantur, eaque deinde hæc videt, perpendit & approbat. Cujus rei Exemplum, ex dicendis ut speramus, elucebit. *Anima rationalis* duas habet facultates, *intellectum* sc. & *voluntatem*. Anima non est tota intellectus, nec tota voluntas: hæc nec Intellectus, aut hic Voluntas. Nolumus enim sæpè, quæ intelligimus, ac volumus, quæ non intelligimus: Ita Divina Essentia

entia non est *Pater*, nec *Filius*, aut *Spiritus san-ctus*. Neque etiam *Pater*, Filius est, aut *Filius*, Spiritus sanctus. *Intelligere* autem *humanam animam*, hæ ipsæ quas pingimus, Literæ probant, *DEUM* autem summo intellectu præditum, non animatæ tantùm, sed & inanimatæ Creaturæ, quarum eximius, & prorsus mirabilis *Ordo*, non nisi ab intellectu esse possit, clamitant. *Externæ humani* intellectus *operationes* hæ literæ; *Divini* Orbis universus. Prima verò ac præcipua Intellectûs operatio in intellectu *remanet*, & quia nihil nisi infinitum est in *DEO* infinito, in, & per hanc operationem gignit ab æterno FILIUM, qui & DEUS, quemque VERBUM PATRIS appellamus, sic ejusdem Sapientiam, Imaginemque, per quam omnia creata sunt. *Velle* proprium quoque animæ humanæ est, sæpius autem, quæ non intelligimus, volumus, homines enim sumus, quæ verò *DEUS* vult, etiam omnia intelligit. Amat verò anima, quod vult, hoc aut *bonum* est, aut esse creditur; Et quod ratione animâque caret, suas habet inclinationes, suas cupiditates: Ita ab æterno vult *DEUS*, quæ ab æterno intelligit; At quid vult? *Se* utique, *ipsissimam* sc. *bonitatem*. Nec se tantum vult *Pater*, sed & *Filius*, ideoque SPIRITUS SANCTUS *ab utroque procedit*: Indè Spiritus *Patris ac Filii* appellatur, atque etiam est Amor *Patris & Filii*; Intelligere autem in DEO est esse, ut & velle: Ita Filius & Spiritus Sanctus cum Patre *unius* sunt *Essentiæ*, ac *potentiæ*. Hîc pennam sistimus, & ad contemplationem, quæ an *fidei analoga* videatur, respondeas, petimus, nisi forsan, quod absit, valetudo sit in morâ. De cætero autem antiquum obtinemus. Salve enim

Guelph, 3. Iun, 1645. à *R*, *D*, *T*, Observ.

Epist. LXXXI.

Illustrissimi & Celsissimi Principes Domini Clementissimi,

Etsi mihi ad reditum domum accincto, & valetudine parum restituto, ad scribendū omnia sunt impedita, tamen literarum vestrarum & fa[illegible]tate & elegantiâ accensus, pudori mihi duxi, nedum culpæ, ni aliquid saltem incomti, tantæ huic in me propensioni, reponerem. Ac Gerioi *quidem jam res suas sibi habeat. Quòd verò temporis occasione, in contemplationem* SS. Triadis *quantum per umbras nobis licet, incidistis, næ hopium & laudabile est, quod vobis ex animo gratulor. Illuxit hoc, rationi alioquin incomprehensibile, mysterium etiam ex* Gentilibus sagacioribus *sive commercio Ecclesiæ, quod verisimilius sive profundiore relliquiarum lucis indagine. A ô infelices nostri temporis* Antitrinitarios, *qui ho totum quasi in solis conjecturis positum esse, & dementatos homines sibi ipsis persuadere, quo tamen nihil vel absurdius vel impossibilius, crassumque fit commentum, in verecundo & blasphemo ore effutiunt. Vos rectius, qui sanctum hoc mysterium & fide simplici apprehenditis, & rationis etiam concessa fulcimenta, ceu Solis inaccessi structura per umbracula admittitis, qua iure* Ph. Mornæ *libro de veritate Religionis Christianæ, egregiè virum se præstitit. Hunc vobis rectum sensum* SS. Trias & Monas *perpetuum servet, majoresque indies faciat, toto animo precatur*

Ill. C. C. C. V. V. V.

Stutg. 18. Iun. 1645.

Cliens humillimus

Epist. LXXXII.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

EA est dulcedo literarum vestrarum, ut quicquid etiam vel dignitati vestræ, vel studiorū contentioni parcendum putem, nimio tamen *arum desiderio, ultrò eas subinde provocare, non* *bstineam, hujusque meæ temeritatis indulgen-* *iam ex vestrâ generositate mihi pollicear. Qui e-* *im eas non summopere expetam, in quibus & sti-* *um tersissimum invenio, & cogitationes supra* *tatem, & Imagines Virtutis expressas, quæ ma-* *num aliquid in Reip. usum, de Vobis* Germaniæ niversæ, *ac potissimum* Terris Vestris, *populisq;* *bondeant. Quibus profectò hoc magis gratulor,* *uò pauciores ex Ordine Vestro video, qui ad hanc* *ectissimam rationem educentur, sive verius edu-* *ari se patiantur. Nec desunt Aularum dehonesta-* *menta, qui dedecere hæc sublimem sortem vestram* *iggerere non verentur, nihil abjectius Principe* *io, humano & literato,* bovinâ voce *pronun-* *iantes, scilicet, ne illis desint capita, sub quibus* *npune bacchentur. At mihi omnem Historiam or-* *is revolventi, nihil certius, nihilque frequentius* *ccurrit, quàm Religiosos, probos, & eruditos,* *isdem & felices & gloriosos fuisse; atheos, fe-* *os, barbarosq; tristibus casibus, & eversioni Sta-* *us sui obnoxios. Sed quæ elegantius Panegyrico* *uo executus est* Nesselius Vester, *ut repetere ni-* *il sit opus. DEUM supplex oro, ut sub exactis-* *ma* Optimi Principis, *Paternæ Idea, tantisper* *nitamini, dum per Vos ipsos ad conficiendum Vir-* *utis, Laudisque summæ iter, firmos pedes figere,* *& propositam Vobis* Majorum Illustrissimorum *oronam felicissimo cursu apprehendere queatis.*

E *Vale-*

Valete in Iesu Christo, Illustrissimi Principes, *at-que porrò favete*

Ill. C. C. C. V. V. V.

Stutgard. 20. Aug.
Anno 1645. *Cultori devotissimo*

Epist. LXXXIII.

Admodum Reverende & Clarissi-me Domine Doctor,

Aliquam Te ex literis nostris capere volu-ptatem gaudemus. Nobis equidem isthâ literarum permutatione nihil acceptius quæ Tibi molesta, & dispendio temporis con-stat, discentibus verò perutilis & necessaria Sive enim præclaram in Tuis Virtutem extol-las, seu ad ea horteris, quæ nos oportet face-re, Doctoris munus agnoscimus, & amici, se-cordati, non suum, sed nostrum incrementum sectantis. Pro quo gratias non tantùm agi-mus, verùm & referre cupimus. Recordamu promissi de persecando *Gerione*. Indecorum siquidem fuerit, & perineptum, contempla-tioni pedum & fulcri, quibus innituntur, in-hæsisse, neglecto, quòd molem velut anima & absque quo Tria illa Capita, senique pede & manus Monstrum constituant, in suam ipsius perniciem spirans. CONCORDIAM nos innuere intelligis, quam in pectore loca Ea enim est, quæ membra magni corporis suum quæq; munus docet. Hæc *conservatri* artium, opificiorum, disciplinæ militaris, agri culturæq; & religionis, quas illi bases & fun-damina substravisti. Sicuti enim Orbis *du* *Soles* non fert, nec corpus humanum *plur* *Corda*, ita necesse est, Statum multicordem, u ita loquamur, interire. Licet autem Reipub summ

summè necessaria sit Concordia, difficilimè tamen inter tot homines, ad dissentiendum naturâ veluti comparatos, retinetur. Hanc *Legum* authoritas armata, qualitercunq; sancit. At inter *Germanos*, quorum sanguis communis, conjuncta educatio, iidem plerunq; mores, & inclinationes similes, naturalem, & penè necessariam arbitramur; Abominandæ igitur, & in Naturam ipsam contumeliosæ *fraternæ* inimicitiæ, jurgia, & quæ indè inter Illustres aliquando exoriuntur, feralia bella: ac omnibus diris devovendi, qui sui commodi causâ, vel ut injurias privatas ulciscantur, inter tam arcto conjunctos vinculo, illa vel excitant, vel excitata fovent, & alunt. Multa *nostrâ* in *Domo* extant exempla fraternæ Concordiæ, quibus accedit Gerion, creditus Triceps, & tricorpor, non quòd id genus Monstrum fuerit, sed quòd Tres fratres suaviter concordes, & unanimes, iisdem in Republ. usi consiliis, uno spiritu regi viderentur; quam fabulæ causam fuisse, scripsisse meminimus. Detestamur *Cainos*, *Esavos*, *Abimelecos*, *Cyrum minorem*, *Iugurthas*, *Nerones*, *Caracallas*, *Attabalipas*, & *alios*, qui Naturæ ipsi vim inferendo, fraternum sanguinem sitiverunt. Iuvit hâc occasione, scripturos relegisse *Micipsæ* orationem, quàm ad filios moriturus habuit, ex quâ hæc decerpsimus: *Quis amicior, quàm frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si Tuis hostis fueris? Equidem ego Vobis regnum trado; firmum, si boni eritis; si mali, imbecillũ: nàm CONCORDIA parvæ res crescunt: DISCORDIA maximæ dilabuntur.* At longius fortè exspaciamur. Vale & responde. Filium salvere jubemus. *Guelferbyti*, 9. Sept. 1645.

R, T. Dignit. Observantiss.

Epist. LXXXIV.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

Quàm jucunda mihi, maximique pretii literarum Vestrarum reciprocatio sit, nolo toties repetere, ne quid adulatorii, quod totus abhorreo, in me suspicemini. Illud tantùm mihi liceat orare, ne unquam hujus rei tædium Vobis subrepat, cujus vitandi gratiâ, minus frequentem scriptionem, maximè si studiis Vestris officiat, facil[e] indulsero. Cæterùm, quòd ad persecandum Gerionem *rediistis, permagnas gratias debeo, ac videbatur sanè (quod per Vos ingeniosè vidistis)* Concordia, *quæ hujus figmenti tricorporei Mater fuit, jure suo poscere, cui Vestra sagacitas, & industri[a] aliquid tribueret, tanquam Vos ipsos concordes fratres* Gerionem aliquẽ *hujus seculi constituturæ. Quam ad felicitatem, & illustre exemplum impetrandum, etsi Historia Vobis libenter succurret, tamen, quæ domi, ut scribitis, Vobis nata sunt, & magis afficient, & arctius stringent. Quo nomin[e] Vobis ex animo gratulor, & pergere hoc consens[u] jubeo. Quàm verò fraterni sanguinis sensus in mediis dissidiis, quæ seminare Satan assolet, bulliat exemplum memorabile* Domus Saxonicæ Electoralis *docuit, quod etsi nescire non potestis, m[e] tamen recitare non pigebit.*

Fridericus & VVilhelmus, *fratres, Saxoniæ Duces, ob bonorum divisionem, aulicorum artibus inter se commissi sunt, tantâ acerbitate, u[t] nec* Cæsaris *authoritas, nec* Ordinum Imper[ii] *consilia ac preces, ad placandos eos quicquam valerent, quin armis & mutuâ internecione decernendum putarent. Iamque stabat uterque ex adverso exercitus, magnamque Christiani sanguinis*

stragen

stragem minabatur. Cùm sagittarius quidam, quemcunque ferire vellet, certus, fratrem alterum accedit, & vis né, uno ictu rem omnem, inquit, fratrem scilicet tuũ conficiam? at ille horrescens, Tu verò, quemvis alium quàm fratrem meum feri, respondit. Quæ vox ad exercitum adversum delata, cùm Ducem plurimùm commovisset, fratris colloquium poposcit, & facilè obtinuit. Fratres *ergò, cùm convenissent, mutuumque & suam innocentiam, & flabellorum scelus retexissent, in amplexus ruentes, spectante & applaudente utroque exercitu concordiam* sibi, *pacem* populis, *supplicium* noxiis, *gaudium* universæ Germaniæ *reddiderunt. Hæc in memoriam Vobis* Illustrissimi Fratres *revocare volui, ut & Satanæ insidias, & Angelicas excubias, & Aulæ artes & generosi pectoris indolem, uno in Exemplo, pro fovendo* Concordi Gerione *perspiciatis. Quo in Epiphonemate finio, Vobisq;* Cor *unum*, cætera membra *ad salutem, & tranquillitatem publicam, multiplicia ex animo devoto precor. Valete & favete*

Ill. C. C. C. V. V. V.

Stutg. 24, Sept.
Anno 1645. *humillimo Clienti.*
Gratiæ Vestræ *se submißè commendat filius*
M. Gottlieb.

II.

Cum Pr. RVDOLPHO AVGVSTO.

EPIST. LXXXV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

MAgno dolore ex hebdomadariis novellis, Tuisque literis accepi, quæ calamitates

Patriæ Tuæ immineant, atque eandem jam urgeant. Auctus est insperato nuntio de ægritudine tuâ. Sic plerunque fieri solet, cùm *Patriæ* malè est, optimis *Civibus*, quibus public cura est, vix benè esse potest. Perfer mi Domine Doctor isthæc, & obdura, Teq; ad meliora Patriæ tempora reserva, quæ, ut spero hæc sequentur. Neque nimiæ tristitiæ indulge, quæ cor pedetentim corrodit, nec senectutem tuam, *Emeritum*, nimiis curis & laboribu attere. Ita DEVS benedicet arti Medicorum quod ex animo opto. Nos, DEO gratia, benè valemus: Cæterùm, licet armorum strepitus, sub quo Germania nostra gemit, long nunc à nobis abesse videatur, tamen à vexationibus & exactionibus haud liberi sumus Peius à nobis DEVS avertat. Gerionis nostr anatomen quod attinet, vereor, ne in gerra abeat; quanquam sine causâ. Haud enim dubitamus, vaniloquentiâ peccantibus apud Te semper veniam paratam. In medio posuist *Præmia* & *Pœnas*, maximo, ut arbitror, consilio: in medio dixi, *Religionis* & *Armorum*, qu à dextris; *Precum* & *Opificum*, qui à sinistris Num Tuam mentem capere possim, tentabo sequenti hebdomade: Iam claudo, quia literis modus servandus, Tuæq; valetudini parcendum, quam ut cures, quæso. Salve à

Rever. Tuæ Dign.

Guelpherbyti, 7. Martii, Anno 1645.

Observantissimo

EPIST

Epist. LXXXVI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine clementissime,

Literis Tuis elegantiarum & favoris in me plenissimis, nihil mihi est vel pretiosius, vel jucundius, nihil etiam in sublevanda mea animi & corporis ægritudine opportunius. Nam utut sæva, quæ Patriæ meæ imminet tempestas, me graviter concutiat, morbusque per intervalla recrudescens duriter exerceat, videor tamen, ex Clementiæ vestræ aura, & Zephyro mihi blandiri, & vel post naufragium, salutis portum polliceri posse. Noli igitur, optime Princeps, *scribendis iis literis fatigari, in quibus cùm publici tum privati mali solamen egregium mihi positum est. Accedit Informatorum Tuorum, quem in literis tuis deprehendo, in me amor, qui nisi magni à me fieret, injurius meritò & ingratus audirem. In* Getione *verò, ne qua scribendi materia desit, explicando, nisi molestum sit, obsecro, perge. Nam cùm non tantùm mentem meam exactè assequaris, quàm plura etiam pro sagaci ingenio, eruas, non potest non summoperè hæc Tua industria, piumque & cordatum studium, mihi vehementer probari, quod absolutum nobis aliquando Principem, Patrisque æmulum polliceatur. Quod ut Germaniæ post superatam cladem feliciori & placatæ ex* Triplici Vestro funiculo *contingat, DEUM propitium adoro, qui Te,* Princeps inclute, *cum* Germanis fratribus *sospitet, servet, atque salvet. Vale & fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutgard, 19. Martii
Anno 1645.

humillimo Clienti.

Epist. LXXXVII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

ITa dempta suspicio est de non continuando *Gerione*, literis nostris tandem acceptis. Quæ quidem laudem non merentur, qua dignaris, sufficit nobis, prima hæc Iuventutis nostræ tyrocinia digna videri responsione. Diei *Natalis* mei memorem fuisse ultimis in literis, habeo gratias. *Munus*, quo ornas gratulationem Tuam, acceptissimum fuit, pro quo summas gratias meritò refero, & si forsan talis *mechanica theca* cum *Instrumentis*, confecta sit, peto pretium ejusdem transcribere velis. Valetudinem cura, & lætus acidulis utere.

Rev. Tuæ Dign.

Guelferbyti, 9. Iunii, Anno 1645. Observantiss

Epist. LXXXVIII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

AVditâ ex equi lapsu pergravi & dubiâ valetudine Tuâ, haud exiguâ, ut par fuit, & ipse, ex affectu meo conjicis, consternatione perculsus, & tristitiâ affectus sum. Ac licet filii charissimi, paternis insistentis vestigiis, literæ, ut novæ, & insolitæ gratæ fuerint, eâ tamen, fateor, fronte & alacritate non legi, quâ Tuas hactenus, veritus nimirum, ex hâc characterum & styli mutatione, diuturnæ nimis, aut, quod absit, insupportabilis, mutuæ literarum communicationis semper optatissimæ, carentiæ, *sinistrum omen*. Equidem non dubi-

dubito, quin temporum, in quæ servati sumus, calamitates, exulceratissima Patriæ Tuæ sors, adeoque morbus animi, corporis dolores, quanquam acerbos plus satis, aggravent. At cum illis inducias ineas necesse est, quæ providentiâ reguntur, nec otioso & domestico mœrore averti possunt, ut *Natura*, Medicorum & Chirurgorum *arte* excitata, suam in ægro corpusculo vim exerere valeat. Preces autem, quas pro incolumitate nostrâ, filiali Epistolio adjicis, pro *Tuâ convalescentiâ* ardentissimè refundo, qui Te, Virum Ecclesiæ & Reipubl. salutarem, & omni literaturæ perquam necessarium sospitet, & in multos adhuc annos paternè conservet. Hoc tam meo, quàm *Fratrum*, quorum causam nunc ago, nomine, unicè exopto. Postremò, filium, cui salutem, certiorem reddi cupimus, ejus studium in nos, & devotionem non præteritum iri, quam, quia dignissimus, competenti benevolenriâ, ubicunq; dabitur, prosequuturos nos esse pollicemur. Vale ad d. 11. Cal. Aug. Anno 1645.

Rev. Tuæ Dign.

Observantiss.

EPIST. LXXXIX.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

VT primùm ex ægritudine mea sanè quàm tristissimâ emersi, nihil æquè curæ mihi fuit, quàm ut ad scriptionis tecum commercium, quo mihi nihil est in vita jucundius, redirem, & pro illustri tua condolentia, ingentes gratias agerem, quæ mihi inter exquisitos dolores non minimum profectò levamen fuit. Nam cum gemino

 morbo,

morbo, animi sc. & corporis affligerer, illo à Serenissima Guelphorum *sedis aura recreato & erecto, hic facilius* medicinæ *locum dedit, hospitióque suo, domus molesta esse noluit. Sed & nunc elegantissimæ tuæ & humanissimæ literæ omnem, qui morbos sequi solet, languorem quasi abstersêre, quibus genuinum accessit gaudium ex Panegyrico* Nesselii, *Viri disertissimi, quod concepi maximum. Quod enim in votis erat unicè, hoc videor mihi assecutus, ut sive pietate mea allecti, sive temeritate provocati, sive balbutie irritati, quibus styli acumen, verborumque copia est, tandem prodirent, & Orbi nostro* Solem *suum ne nesciret, atque beneficium patefacerent, antequam Sol noster nobis occumberet. Indignum namque erat tantum Principem* Patrem vestrum incomparabilem, *qui vel Rethoram Ideas, vel Historicorum exempla superaret, à plurimis sui temporis ignorari, nec aliam virtuti præsenti, obambulanti & tot annis superstiti à literatis gratiam rependi, quàm ut ex oculis sublata fuisse aliquando dicatur. Ergò esse inter nos & (diu utinam) superesse sciamus, æstimemusque privati DEumq; tanti donarii conservatorem propitium seriò precemur. Pro clementia in* filium meum *unicum, cujus vicarias literas non es dedignatus, plurimū debeo, cumque ipsum hæredem obsequii mei & perpetuæ observantiæ in Domum Vestram Serenissimam constituam, vinculoque homagii Vobis obstringam, felicior nunquam esse poterit, quàm si non inutilem servum se omni fide, operâ animique contentione aliquando probaverit. CHRISTVS Vos* Illustrissimos Fratres *& magnæ domus magna decora dirigat, ut* Maximi Patris *ingentem famam continuetis, augeatis & vel superetis. Vale & clementer fave*

Stutg. VII. Eid. Aug. 1645. *humillimo Clienti.*

EPIST.

EPIST. XC.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

EX literis Tuis maximum percepi gaudiũ, certiorem me restitutionis Tuæ reddentibus, cujus pignus propria manus. Ob quod nuntium *DEO gratias* ago, ejusq; Omnipotentiam imploro, ut Te per multos adhuc annos Ecclesiæ ac Tuis incolumem præstare velit. Et si literæ meæ quid in reddenda Tibi sanitatẽ potuissent, meritò mihi gratularer. Benignum planè Tuum erga me animum agnosco, qui literas animâ veluti donat, cùm hæ interdum frigidæ adeò sint, ut apud alios morbum potius aucturæ, quàm lenituræ videantur. Vtut sit, ex animo profectas, Tibi persuadeas velim, cujus simplicitatem magnificis verbis anteponis. Memini, me nuper Filii literis *Tuas* prætulisse, non quòd illis lubens caream, sed quia conjunctas nonnunquam optaverim. Cui repeti cupio, quæ in præcedentibus scripsi Nihil de *Nördlingensi pugna* addidisti, si de iis, quæ apud vos geruntur, certiorem subinde facias, gratissimum erit officium. *Gerion* noster dormitat adhuc, quem brevi expergefaciam. Valetudinem Tuam cura quàm diligentissimè. Filium amanter salvere jubeo.

Rev. Tuæ Dign.

Guelferb. 25. Aug.
1645.

Observantiss.

Epist. XCI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

QVâ animi voluptate literas Cels. Tuæ legam, quantique eas faciam, nunquam satis explicavero, indices nempe continuæ Tuæ in me *propensionis, in* filium *etiam meum propagandæ: & fidejussores, nondum mearum quicquid insipidarum tædium obrepsisse, cum Tuis elegantissimis eas ultrò provoces, imò & filii, tantâ fortunâ indigni, sis admissurus: quo nomine cum filio gratulor, tum mihi ex animo gaudeo, gratiasque, utriusque nomine, quam maximas ago, certamque spem concipio, fore, ut hæc Domus Vestræ Serenissimæ claritas, quod in* Avo meo Doct. Iacobo, *p. m. cepit,* nobis *in tenebris versantibus, perennet, nostramque obscuritatem illuminet, cui posthâc, quicquid contingat lucis, obnoxii in solidum debeamus. Quod si etiam mihi DEVS contra summum & unicum meum desiderium, hoc neget, (ut valetudo mea hoc toto anni præsentis tempore valdè afflicta, & labefactata est) ut adire ad Vos, meumque obsequium coràm testari, minus possim, non tamen desperaverim, filium meum hoc facturum, quem voto meo, & decreto animi servitiis vestris consecravi, officiorum Proavi sui Iacobi in Ecclesiam vestram, nondum opinor, obliteratorũ, fructum aliquem Vestra munificentia haud dubiò capturum. Cui meæ in Vos pietati & gratitudini Christus benedicat.*

Cæterùm, quòd à me cruentæ illius ad Nerolingam *pugnæ, quæ victoriam utrique parti dubiam fecit, historiam expectâsti, si maximè mihi explorata fuisset, equidem ad Vos eam deferre minimè ausus fuissem, quod literis nostris viæ planè infestæ*

infestæ essent, & minima etiam vox in hanc, illamve partem propendens, nobis, qui utriusque imperio & prædæ expositi sumus, exitiosa fieri potuisset.

Quæ sævities in Incolas exercita sit, ex aliis tragœdiis, sive hujus, sive superioris seculi, per Te conjicies. Supersumus tamen miraculo potius divino, quàm humanis rationibus servati, & post tot mille capitum voraginem, unde vivamus tolerabiliter, superest, jamque utroque exercitu finibus nostris excedente, colonus, agrum in spem futuri excolit, quo nomine, Soteria *apud nos solennia decreta sunt. Scripsi aliquantò productius*, Illustriss. Princeps, *quòd videam, non Te mea fastidire, nec majus operæ pretium facere possim, quàm si Tuas, omni elegantia & generoso spiritu refertas prolixiores eliciam. Desino tamen, ne quid nimis, & munusculum levidense addo*, Cornelium, *cum voto Cornelianæ vivacitatis & sanitatis, quod idem precor*, Illustriss. Fratribus, *quibus me & filium* Gottlieb/ *nuncupo, dedico, & commendo. Valete* Illust. & generosissimi Principes, *& favete*

Ill. Celf. V. V. V.

Anno 1645. 10. Septemb.
qui olim *Calvæ* meæ Anno
no 1634. funestus.

devotissimo
Clienti.

Per officiosam salutem Dn. Dn. Gubernatoribus & Doctoribus adscribo.

Epist. XCII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

AB ultima literarum tuarum parte exordiar. Prolixitatem earum excusas, at nulla opinor ratione motus, ita enim easdem lego, ut prolixiores semper cupiam. Eo verò brevior nunc esse volo, quia nuper scripsi. Admodum verò dolet, *Ducatum VVirtembergicum* fuisse aliquamdiu utrarumque partium receptaculum. Exempla militaris licentiæ post *Victoriam* nota. Superbi namque Victores Victoriam prosequuntur, quamdiu possunt, Victi verò, qui absque ductore hinc inde vagantur, odium & iram, quam in hostes non potuerunt, in miseros paganos solent evomere. Damus profectò, grande documentum patientiæ, & sicut vetus ætas vidit, quid ultimum in *libertate* esset. ita nos quid in *servitute*. Filio scripsi, cujus literas libens perlegi. Et videtur equidem, ex paterna magis charitate, quàm quòd eo indigeret, commendatus esse, Virtus enim ipsius satis eum commendat. Nullum autem dubium, quin eximia tua, & Proavi ipsius IACOBI ANDREÆ dona, qui suo tempore, veluti Protestantibus omnibus, ita Ducatui Brunsuicensi potissimum, vir fuit salutaris, apud omnes pios, & Veritatis Evangelicæ asseclas, amplissimæ commendationis loco futura sint. Itaque repeto, quæ in filii literis: atque *Illustrißimus Dn. Parens*, ut erga te optimè affectus, de cæteris viderit. Ex *Septentrione* nihil, nisi quòd *Pax* ibi sancita sit, *Sueci* ex Holsatia in Imperium movent. *Cornelium* diligenter lego, & ex eo modum in ci-

bis

bis servandum disco. Nihil quod reddere possim habeo, nisi animum erga te benevolum. Vale. Dabam *Guelferbyti*, 7. Oct. Anno 1645.

R. T. D.

Observantiss.

EPIST. XCIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Vo animo in te ferar obnoxio, auspiciisque Tuis omnibus votis meis faveam, jam sæpè opinor in me animadvertisti, & nunc magis magisque testatum volo. Cùm enim abhinc octiduo (VIII. Eid. Octobr.) mibi ex filia Agnete Elisabetha, *Iohannis Riewlini conjuge, nepos Calvæ nasceretur, non tantùm Nomen tuũ* Rudolphi Augusti, *in lustrico Sacro, illi imponi, sed etiam sub Tua fide, & sponsione Christianæ Religionis professionem fieri, curavi, spe indubiâ fretus, fore, ut si excrescat puer, &* Patrem Te Spiritualem *indulgentissimum, &* Dominum *Clementissimum, &* Herum *benignissimum aliquando experiatur. Id ne ægrè feras, sed ab animo Tibi dedicatissimo profectum interpreteris, per animi Tui generositatem, & incredibilem humanitatem, quæ nos audentiores fecêre, precamur. Faxit DEUS, ut hic puer, & Christo Servatori suo, & Tibi fidejussori, & nobis parentibus in regni Christiani usum & incrementum excrescat, nos verò summi Tui beneficii gratiam aliquando referre valeamus. Flore* Princeps Inclute, *& fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutgard. 15. Octob. Anno 1645.

dedicatissimo Clienti.

Ill. Dn. Dn. Fratribus *salutem humillimam adscribo.*

EPIST.

EPIST. XCIV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

LIteræ Tuæ de 24. Septembr: cum mechanicis *Columnarum*, & *Propylæorum* figuris, eorumque insigni ornatu, & speciosis additamentis, redditæ sunt: Ob quæ magnas ago gratias. Miror evolvendo *Tuscam* ab Inventore *Frisio* omissam, cùm in *Doricæ, Ionicæ, Corinthiæ*, & *Compositæ* columnarum variatione & exornatione, tam scitè ludat, & artificiosè ingeniosissimi hominis industria; simul & *Græcæ Veteris* ingeniorum & luxus recordor, à quâ Italia, Gallia, Hispania, & cæteri, qui ædificiorum miranda ostentant, pleraque mutuati sunt, quorum gloriam, dum nostra ætas superare contendit, non imparem ardori industriam, & dexteritatem nanciscitur, nec omnia apud *antiquos* meliora, *novo* rursus *exemplo* contestatur. De cætero, supervacuas arbitror esse laudes, quibus literas nostras cumulas, quæ tantum absunt ab elegantiis, quantum tuæ ab omni adulatione. Iam pridem etenim agnovi, non Te laudando blandiri, (quod Viro bono indecorum, mihique suspectum foret) verùm ad *Virtutem*, quam id genus consequuntur encomia, velut adhibitis stimulis cohortari, idque reipsâ experireris, si coràm adesses; Neq; verò ingrata esse potest, quanquam crebra literarum communicatio, quod *Illustriß. Dn. Parens*, indulto isthoc inter nos commercii genere, duo à me flagitet, nimirum ut & Celsitudini ejus meam subinde comprobem *diligentiam*, & te quotidianorum profectuum meorum constituam *arbitrum*.

Quin

Quin à te, me contendere æquius est, ne, quam temporis cari particulam in hæc hactenus impendisti, porrò conterere dedignére. Vale, & filium meo nomine saluta. *VVolferbyti*, 21. Octobr. Anno 1645.

R. Tuæ Dign.

Observantiss.

Epist. XCV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Cum videam, Te neque legendis meis, neq; scribendis tuis ad me literis fatigari, equidem audentior fio, ut parere Tibi, vel si mavis continuare molestiam pergam. Quid de Pace *nobis ex* Martis *vicissitudine, sperandum desperandúmve sit, nondum perspicimus. A DEO ergò expectamus, quod ab hominibus impetratu difficilimũ putamus, qui ut hucusque Orbis regimen in suæ Ecclesiæ usum, diverso planè, quàm ex sententia nostra, tenuit, modo, ita porrò & suis & rebus nostris rectè prospiciet, & vel succumbendo Victorem se probabit. Pro Tua in* filium *meum Clementia plurimum debeo, in quem, si* Proavi *officia Ecclesiis Vestris præstita, Tuo favore auspiciisq; redundent, beatus erit, facileque Patriæ suæ amorem dediscet. Salutem* Illustriss. Fratribus *humiliter adscribo, & me Vobis totum commendo, quos Christus incolumes servet, augeat, ornet. Valete & favete*

Ill. Cels. V. V. V.

23. Octob. 1645.

Clienti dedicatissimo, Intercessori devotiss.

EPIST. XCVI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

EX literis lubens accepi, Te in eligendo recèns nati ex filia *Agnete Elisabetha* nepotis, *Susceptore, & Patre spirituali*, mei potissimum rationem habuisse, atque absentem propioribus amicis prætulisse. Inde enim, quanti *me* facias, quem in mysterio, quo Christianismo, atque adeò *vitæ sempiternæ* initiatus est sanguis Tuus, fidejussorem pro eo esse voluisti, quivis intelligit. Pro judicio igitur de me honorifico, meritò gratias habeo, Tecum precatus, ut hic *Tuus filiolus* sanguine Christi mundatus, & in hæredem cœlestis regni cooptatus, præsenti in seculo crescat, in gloriam Dei, Patris & Redemptoris sui; Parentum decus & ornamentum; Tuiq; senilem oblectationem. In cæteris, quæ benevolus in Te affectus imperat, & mos exigit, partes meas implebit *Illustriss. Dn. Parens*, cujus Cels. quod ego *Chartaceo* nunc facio, *pretiosiori* fortè pignore, quàm gratum sit, quod in Tuum commisisti, sacrum officium, comprobabit. Benè vale. *VVolferbyti*, 4. Novembr. 1645.

Rev. Tuæ Dign.

Observantissimus.

EPIST. XCVII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine clementissime,

VIdeor mihi nullum temporis punctum rectius collocare, quàm quod reciprocandis Tecum literis impendo. Sive enim ex usu hoc Tuo, ut scribis,

ſcribis, & literario exercitio ſit: ſive meo, ut ingenuè profitear, oblectamento, & ornamento maximo, video me illud Tibi debere, hoc ſponte ambiendum eſſe, tantum abeſt, ſtimulis Tuis licet humaniſſimis, indigeam. Friſii *figuras, de Columnarum ex* Vitruvii *regulis, proportione & ornatu, non ingratas Tibi fuiſſe valdè lætor, cùm quòd munuſcula mea non aſperneris, tum quòd animum hiſce rebus, quæ nequaquam Principem dedecent, adhibeas. Addidiſſem utique, quæ idem author de* Thuſca Columna *non minus ingenioſè in lapicidarum & ſtatuariorum uſum confecit, ſi ad manus fuiſſent, faxoque ut primùm comparuerint, ſequantur. Nunc verò in paranda Tibi* theca inſtrumentorum Mathematicorum peregrinatoria, *per ipſum inventorem* Furtenbachium, *ſedulò laborabo, ne quid fovendo ardori Tuo laudatiſſimo deſit. Nam ut Te ſublimi indole, generoſâque animi contentione, ita nos humili obſequio, & paratiſſimis officiis, certare par eſt: Principem ut aliquando obtineamus magno Patre, non minorem; Patriæ expectatione, inferiorem; Guelphicæ orbis ferendi, imparem; ſed de quo omnes ſibi Ordines ultrò, atque certatim gratulentur, Deoq; gratias ferant; Apud quem nos Tibi obnoxii, ſeduli interceſſores, præſtò erimus, ut ex cujus unius manu propitiâ boni Principes proveniunt, hâc nos ubertim & feliciter in Te beet. Ego ſc. & qui Te mecum colit filius, ac, quotquot ſalutem noſtram poſt* D E V M, Domui Tuæ Sereniſſimæ, *unicè debemus. Vale & fave cum* Illuſtriſs. (*quos ſalvos percupimus*) Fratribus,

Illuſt. Celſ. Tuæ

13. Nov. 1645. *Clienti humillimo.*

Epist. XCVIII.

Admodum Reverende & Chariſſime Domine Doctor,

SI gaudium aut ſolatium ſit, *ſocios miſeriarum habuiſſe*, aliquid perceperim ex ultimis, in ſumma fundi noſtri calamitate. Si enim vos veſtros, nos noſtros paſſi ſumus manes. Quapropter & eò magis nos veſtri miſeret, & velut ad commune incendium reſtinguendum, ardentiores ad Deum preces emittimus. De *Pace* ferè deſperandum eſſet, quia ſpes toties jam fruſtrata eſt, nî conſideratio, quam in Tuis ſuggeris, Deum in his mundi & Diaboli furoribus, ſemper Eccleſiam ſuam cuſtodire, pios in ſpe retineret. Ad quid enim amabò hanc mundi machinam conſervet DEVS? Forſan ut, velut in Theatro, *magna vitia* à Viris Illuſtribus perpetrentur, quò à minoribus ſpectentur? Nonne piis terra, ejusque bona promiſſa ſunt, quæ, ſi rectè utaris, & ad Benefactorem, à quo proficiſcuntur, reſpiciàs, ſubinde *majora*, & *nova* pace florente, ex abundantiſſimo divinæ largitatis penario promuntur; ſi verò DEI obliviſceris, & beſtiarum inſtar, quæ ubi ſaturæ ſunt, ſtertunt, ac oſcitantur, terrenis ſaltem incumbas, ab aliis rapiuntur, trahuntur, qui quidem haud meliores ſunt, ad id tamen utiles, ut illos *puniant*, atque hac ratione *in viam* reducant; Quid autem cum tanto Theologo hâc de re verba facio? Reſponſorias filio reddas quæſo, cum ſalute. *Fratres* Te ſalvere jubent, & valere optant, quod &

Rever. Tuæ Dign.

VVolferb. 18. Nov. 1645. Obſervantiſs.

Epist.

Epist. XCIX.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps, Domine longè clementiſſime.

QVòd fiduciam *de Tua in nos propenſione, benigniſsimè fueris interpretatus*, Patriniq*ue* *munus Chriſtianum non invitus ſuſceperis, Nepoti meo, Tibi cognomini, plurimum gratulor, nobis ex animo gaudeo, Tibi autem ingentes gratias debeo. Rectè verò, pro incredibili Tua ſagacitate divinaſti, velle me palmites meos in aliam terram æque patriam transplantare, Tuiſque auſpiciis dedicare, quod utinam tam ipſis ſit fœlix, quàm hujus Imperium Tibi feliciſsimum, & diuturnum toto pectore precor.* Chriſtum, *cui Nepos meus*, Te fidejuſſore, *Sacramentum dixit, eundemque viciſsim cum* S. Spiritus *arrabone induit, adoro, dignũ, utilemq; ſanctæ ſuæ Civitatis Indigenam reddat, qui Te*, Patrem *religione filiali*: Dominum *obſequio miniſteriali*: Principem *honore debito & ſummo veneretur, colat, proſequatur: in Cœlis verò, ubi perſonarum diſcrimina ſublata fuerint*, cohæredem *æternorum Bonorum habeat. Interea hoc unum ſummis, abs* Te Princeps Illuſtriſſime, *precibus contendimus, animum Tuum, hoc tanto beneficio in nos quàm benevolentiſsimũ teſtatum, integrum & continuum nobis ſerves, quo* pretioſius pignus, *nec in præſens, nec poſthac unquam dare, nos accipere, & æſtimare perpetim poterimus. Servet propitia* Trias, *Illuſtrem fratrum Ternionem, in Sereniſsimorum Parentum voluptatem, Antiquiſsimæ Domus propaginem, Germaniæ decus, Subditorum emolumentum, Reipubl. Chriſtianæ ſalutem. Ita voveo*

Ill. Celſit. Veſtræ

Stutg 19. Nov. 1645.
die Eliſabethæ.

Cliens humillimus.

EPIST.

Epist. C.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

Literarum reciprocationem tam gratam mihi quàm necessariam, recreationis loco habeo, modò non Tibi curis sacris & aliis negotiis occupato, molesta sit; Sic enim meæ comparatæ semper sunt, ut illis quid addi, vel demi, ne elumbes planè, vel tædiosæ sint, debeat; Tuæ ita elaboratæ, ut ab earum lectione non recedam nisi doctior, vel melior, & ad virtutem magis accensus. Perges igitur posthac, non Tui profectò, sed mei causâ, cujus studia excitas, & rubigine obduci non pateris. Vel hæ Tuæ, quas nuper accepi, quàm comptæ sunt, & exornatæ! Putabam *Frisium* ornatus columnarum inventorem fuisse, Tu doces, ex *Vitruvii* regulis, ab illo compositas. *Thuscam* autem videndi desiderio teneor, quia spem mihi facis, eam alicunde eruendi. Quo nisi operam mihi locare, non dedignatus fueris, ut & in parandâ *Thecâ peregrinatoriâ*, quam in somnis etiam cogito, constitues me Tibi debitorem, tum nomen hoc expuncturum, cùm à me quid proficisci poterit, quo memorem animum comprobare liceat. De cætero, quò melior Vir & religiosior es, eò magis preces, quas pro salute & incolumitate familiæ nostræ fundis, Deum exauditurum confido, qui Te vicissim omnibus bonis *corporis* & *animi* largè coronet, adprecor.

Rev. Tuæ Dign.

Guelpherbyti, 1. Decemb. Anno 1645. Observantiss.

EPIST. CI.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

Est ita, ut scribis, parum solaminis ex malorum societate, *ac potius duplicatum dolorem esse, bonosque ad commune velut incendium precibus restinguendum provocari. Nam qui in* iis oris, *jam diu* Marti furenti *tragœdiæ scenam præbuimus, dum à Vobis tutiore, ut rebamur, loco positis, vel egestatis subsidiū, vel oppressionis præsidium, vel denique exilii domicilium sperare potuissemus, ubi* Vestros *etiam parietes, aras, fo*rosque *ardere audimus, toto animo consternamur,* & Ilii excidium *metuimus. At cùm ea sit Ecclesiæ in his terris conditio, ut vix unquam ei commodum & firmum diu domicilium, sed non nisi tabernaculum vel tugurium sit concessum, vitæq; cujus blanditiæ magis, quàm ullæ Cruces, & proscriptiones obfuerint, credamus,* Pacem *quam* Vulgus *optat, non regni Christi incrementa polliceri, &* bellum *profectus pietatis minimè impedire, necesse est, si pro se quisque animæ suæ saluti recte prospiciat, terrarumque malis, ad cælorum desiderium evehatur. Fuere sanè nonnunquam Ecclesiæ Halcyonia, & nos* centenaria, *ampliusq; experti sumus, quæ propitii Dei indicia habita sunt: nec belli tam sævi ac diuturni flagellum, quo nunc exercemur, irati signum negaverim. At rem pressius perpendentibus, facilè occurret, illam* pacis diuturnæ *messem & vindemiam eam ipsam* infelicitatis *materiam, flammæque nunc flagrantis fomitem suppeditâsse: scilicet pietatem* prophanam; *literaturam* gentilem; *justitiam* iniquam; *mores* barbaros; *totumque illum* Hermaphroditum Christianum, *quem CHRISTVS*

pridem

pridem verbis, *per* Arndium *nostrum, felicissimi memoriæ, blandius; post* ferro *severius impugnandum sibi duxit, ut aliquos sibi sub Crucis vexillo assereret, lethargumque illum stertentis; stupitumque nugacis & pugnacis Christianismi illis excuteret, hinc compesceret, quæ invisa nostris* paradoxa, *fusius utique diducerem, nisi mihi excellens illustris Ingenii tui sagacitas perspecta prob esset, qua ad primum indicium, ad interiora huju mysterii facilimè penetrabis, cujus indagini locu nunc lubens concedo. Elegantissimam tuam h de re dissertationem expectans, DEO supplex, ea annis Tuis,* Celsissime Princeps, *regiminique po hæc futuro gratiam concedat, ut cum Salomon felicitate, regni Christiani incrementa conjungan tur. Vale, & salve cum* Inclutis fratribus, *qu optat*

Illust. Celsit. T.

Stutg 3. Decembr.
1645. *Cliens humillimu*

EPIST. CII.

Illustrissime & Celsissime Princeps
Domine longè clementissime,

A*Mo equidem literas Tuas, ut quàm maxim cùm ob eximiam Elegantiam, cùm exacto ju dicio conjunctam, tùm ob illam rarissimam i me propensionem, quæ ne Tibi molestum me su spicer, omnem metum solvit, ac propemodum ve recundiæ obliviosum facit, cujus culpam indul gentiæ Tuæ imputaveris. Vtinam verò felicic mihi scribendi materia foret, quàm ea, quæ e publicæ calamitatis intuitu, & contactu, nihil no inficeti, & dolentis contrahit, cujus contagiun procul abesse à Vobis terrisque vestris velim; Se pona*

ionamus ergò hunc infelicis seculi sensum, & *quod* labentis *hujus* anni *reliquiæ monent*, succe-dat ei *feliciorem cursum ominemur, quem equi-dem Tibi,* Illustrissime Princeps, *inclutis Fratri-bus, Domuique Serenissimæ, & Terris auspicatis-simum, felicissimum, & ornatissimum ex animo precor, beatus futurus, si Vos salvos, florentes, au-tioresque animi, corporisque donariis, & DEO caros, subinde ac toties quàm hoc anno, (factum autem id* decies septies) *ab Illustri Tuo stylo in-telligam.*

De thecâ peregrinatoriâ *securum esse jubeo, quæ ardentissimo Inventoris* Furtenbachii *in Te studio paratur, utinam tutò ad Vos per infestas vias (ut hic quidem loci sunt) deferenda. Frisii* Thuscæ Columnæ *jam ad manum sunt, & ba-iulum expectant, cùm veredarii talia non admit-tunt. Quicquid in me meisque est, id totum Tuum Te, Tibique deberi, nec feliciore, quam apud Te loco reponi posse, credito, cùm unum id mihi, pri-mumque sit in votis, ut quantum Vos in me Cle-mentiæ, Munificentiæ, facilitatis & confidentiæ confertis, tantum ego fidei, obsequii, operæ, & pre-tium, referre propitio DEO valeam, quo vinculo me iterum atque iterum sanctè obstringo; Vale* Princeps florentissime, *cum* Fratribus inclutis, *& quod soletis, favete*

Ill. Cels. V. V. V.

Stutgard. 17. De-cemb. 1645.

humillimo & dedicatissi-mo Clienti

Nobiliss & Clariss. Ephoris & Informatori-bus V. felicitatis votum cum officiosâ sa-lute adscribo.

Epist. CIII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

CVm per DEI Omnipotentis gratiam v[illegible]teri anno finem imposituri, & *novum* a[illegible]spicaturi simus, ut *divinæ bonitati* grat[illegible] agamus ex animo, quod hisce miserrimis tem[illegible]poribus, quibus tot vitam amittunt, fortun[illegible] cadunt, singulari tamen favore, protectio[illegible] suâ nos dignata sit, gratitudo exigit, & offic[illegible] nostrum. Et quia hoc planè singulare bene[illegible]cium est, cœlitùs in nos collatum, indè *pec[illegible]liares gratias & laudes* ei offerre æquum e[illegible] Idem porrò omnipotentem suam manum [illegible] nos extendat, & hoc novo anno, multisq́, i[illegible] sequentibus charissimos *Parentes* meos, & [illegible]*gnatos*, Teq; cum Tuis firmâ valetudine, pr[illegible]spero rerum successu, & aliis bonis donare v[illegible]lit. *Pacem* quoque tot millium suspiriis & l[illegible]chrymis exoptatam tandem concedat, quâ c[illegible]tera, quæ dicuntur bona edulcentur, & grat[illegible]ra reddantur; Hoc quia ab intimo corde e[illegible]surgit, audiet *DEVS ter Opt. Max.* votum, [illegible] has preces exaudiet, quia piæ & necessari[illegible] Vale.

Rever. Tuæ Dign.

Raptim *Guelpherb.* 23. Decembr. Anno 1645. Observantj[illegible]

Charissimi *Fratres* mei jubent Te salve[illegible] & novi anni primordium, successu[illegible] & finem, felicia Tibi exoptant, [illegible] meis votis sua addunt.

Epist. CIV.

Clarissime Domine Magister,

Literæ tuæ perlatæ, multis (quibus me dignum putas) laudibus cumulatæ, suntq; testes & pignora affectionis & benevolentiæ Tuæ erga me. Quod primum attinet, si mecum rectè considerem, huic potius adscribo, quàm rei veritati. Arbitror tamen, me decere ea, quæ laudas, & operam dandam, ut verè & meritò hæc de me encomia prædicentur. Gratias verò ago pro benevolo & amico Tuo in me animo, & opto, preces Tuas ardentes pro me, quas promittis. De meâ erga Te benevolentiâ haud dubites, velim. Hoc est, quod *VIRIS* Tibi *similibus* debeo, idq; nunc ob Domini Parentis Tui virtutes literis meis testor, quem Illustrissimus maximi facit, hunc salvere jubeo. Vale, beneq; vive, quod optat

Tibi amicus

Guelpherbyti, 7. Octob.
Anno 1645. *RUD. AUGUSTUS,*

Clarissimo Viro, M. Gottlieb Andreæ,
Diacono Cantstadiensi.

Epist. CV.

Clarissime Vir,

Proliziores literas Tuas perlegi, earumque contenta intellexi. Ignoscas quæso, Te breviorem esse me, quia multa invito accidunt, quæ, ut diffusius scribam, prohibent. Scribis autē de benevolo tuo erga me animo.

Quem si non referrem, honesti certè fin transgrederer, & ingratitudinis meritò inc sarer. Recte observâsti, me in ultimis liter meipsum depinxisse, & quomodo erga T Tuique similes affectus sim, aperuisse. Hu manitatem in doctos exigunt *studia communi* piorum precibus opus me habere, docet *De & propria indigentia*, mea autem mediocrit. Parenti Tuo, mihique adeò nota est, ut lau des non tam circumscribam, quàm recuser Fac autem, quod usque adhuc fecisti, prec Tuas pro me ad Deum effunde, quod & ip pro Te fecero, si quid mea opera Tibi effice possit, semper me pronum invenies. Val *VVolferbyti*, 18. Novembr. 1645.

Tibi amicus

RVD. AVGVSTV

Clarißimo Viro, M. Gottlieb Andreæ, *Diacono Cantstadiensi.*

III.

Cum Pr. FERDINANDO ALBERTO

EPIST. CVI.

Vir plurimum Reverende atq; Clarissime,

IN medio ferè Epistolæ, suavissimè ad n 21. Maii exaratæ, me in specie, ut vocan appellas mellitissimâ gratulatione, de nup ris DEI beneficio transmissis *Natalibus* mei quæ gratulatio, cùm proficiscatur ab eo, q me quasi in oculis gerit, & tam prospera quàm adversa mea anxiè observat, non pote

ne

non mihi accidere gratissima. Græcis auspicatissimus fuit ille dies, quo *Socrates* & *Alexander M.* hâc luce frui cœperunt; Reverendæ T. Dignitati recurrentes vitæ meæ annos gratè numerare, quoddam pietatis munus esse videtur. Cretenses lętiores dies *albis lapillis*, tristiores verò *nigris* notabant; facillimè adducor, ut credam, à Rev. T. Dignitate idem in fortunâ meâ observari. *Xerxes*, diem, quo Sceptrum cœpit, sacrum habuit, eoque Diademate cinctus Persas strenis prosecutus, Proceribus verò tam opiparam ac magnificam instruxit cœnam, ut Græci eam omnibus numeris absolutam prædicarent. Insistis vestigiis hujus Herois, *Vir admodum Reverende*, non tantùm enim sentio, Te sacrum habere illum diem, quo vitam cœpi, sed strenis etiam non alios, sed meipsum prosequeris, nec dubium, quin tertium experirer, si nobis unà esse contingeret. *Strena*, quam mittis, mirificè mihi arridet, adeò, ut indies vel decies oculos in illâ pascam, idque eò magis, quo acrius ex sedulâ Præceptorum meorum informatione, abominandas *Papicolarum* Traditiones, inanem fastum, damno & detestor. Affixi Ideam istam parieti, ut omnibus me invisentibus præbeat ludibrium. Quonam verò Te remunerabor, *Vir plurimum Rev.* Animum Pietati Tuæ addictissimum jam toties obtuli, ut pudeat, hujus injicere mentionem, totum totum enim jam tum in ære Tuo me esse libens fateor. Accipe igitur benevolâ manu, *Vir plurimum Rever.* id, quo maximè Tibi sum obstrictus, quoque Te indigere, literæ innuunt, ardentissimas sc. *preces* nostras, pro recuperandâ pristinâ valetudine Tua. Frueris jam *acidulis*, fruere saluberrimè, redi indè felicissimè, ac vi-

ve Ecclesiæ, nostroque bono, Phœnice viva-cior. Quod superest, venerabile Nomen Tui semper habeo, me ut pergas arctissimo affectu amplecti, iterum atque iterum rogo.

Rev. Tuæ Dignit.

Lycopol. 10. Iunii Anno 1645.

Observantissimu

FERD. ALBERTV
Dux Br. & Luneb

EPISTOLÆ ANNI M. DC. XLVI.

I.

Cum tribus Principibus.

EPIST. CVII.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

QVòd si omnis scribendi materia deesset, hæc sanè abundè mihi suffecerit, quòd de Natali Serenissimi Dn. Patris LXVIII. Vobis pio officio gratulandum, bonis verò omnibus gaudendum est, quem superesse vivido senio, integrisque sensibus, non tam sibi, Domuiq; Inclutæ, dilectissimæ Conjugi, & dulcissimis Liberis, quàm seculo nostro & Germaniæ labascenti, expedit, ne desit, qui Pietatem suffulciat, Mores efformet, Scientiis præsideat, Artes foveat, Literatos amet, Oppressos tueatur, fucos arceat, quæ singula in paucis obvia, in hoc Principum Principe congesta, Vobisq; propria, & hæreditanda, non possunt non vos plurimum afficere, nos obligare, terras Vestras beare, nostras in plausum allicere, seculumque nostrum inter tot nubila serenare. Oremus ergò omnes, singulique propitium DEVM, auspicatus sit X. ille Aprilis, solidaque sint nobis hæc gaudia, sæpius sæpiusque vivaci Nestore nostro recurrant, ut Orbem Christianum felicitent. Valete & favete Ill. C. C C. V. V. V.

Stutg. Cal. Apr. 1646. humillimo Clienti.

EPIST. CVIII.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

Fateor equidem, pro suavissimis Vestris me singulas debere responsorias literas ; at cùm Ecclesiis nostris, ad averruncanda Pacis tam desideratæ, tam fessis Germaniæ rebus necessariæ, impedimenta , Supplicatio *ex officio indicenda sit accedatque negotiorum, adeoque & scribendarum literarum concursus, compendii hujus veniam Vestrâ facilitate, in præsens facilè speraverim prolixiore aliâs stylo demerendam : quam fortassis conciliabit unum idemque literarum Vestrarum argumentum, pium nempe, in impetranda cœlitùs* Serenissimi Patris Vestri , *Domini & Heri mei Clementissimi, sospite & validâ vivacitate, nostrum mutuum certamen, cujus commodum Vobis peculiare & proprium : in me verò largiter redundans : Orbi Christiano quàm maximè est optandum. Felices verò Vos, qui intelligatis* Patris Vitam, Vitam Vestram *esse, in eâque totius salutis Vestræ res, spes, opes, viresque sitas omnes ; quod contrariis illustrium familiarum tristibus exemplis, juxtà positis, ut odiosum fortasse, aut tædii s[illegible] docere supersedeo.*

Cæterum quod pro indefesso Vestro studio, quo & exsuccum meum calamum subinde exercetis, aridas literas meas excitatis, Vobis debeam, nec animo satis concepero ; nec verbis facilè explicavero ; nec opere unquam ipso præstitero. Mihi quidem iucundissimum est, nunc Principis mei RVDOLPHI AVGVSTI maturum judicium ; *nunc Principis mei ANTHONII VLRICI* artifices manus ; *nunc Principis mei FERDINANDI ALBERTI* adolescentiæ

ausu

ausus *introspicere, mirari, & hinc maxima quæque in Reip. usum divinari : At quid ex rancidis meis, obsoletisque Epistolis, voluptatis capere Vos possitis, sperare nihil ausim, planeque scriptione abstinerem, nisi illa Vestra promptitudo eas ultrò provocaret, hujusque fructus, silentio meo, longè desideratissimus, mihi interiret. Quod Generosi Vestri* spiritus : *excellentis* indolis : *& felicis* profectûs *indicium, majoris, quàm pudorem meum æstimandum duco,* gloriosum *olim Vobis; Reipubl.* utile; *Inspectori verò Vestro, Nobili Cramio; Informatoribusque Dn. Marconetto, Dn. Schottelio, & quem nunc primùm amicissimè saluto, Dn. Betulio,* honorificum *futurum, FELICITATI SECULI Vestri conferendum. Valete & favete*

Ill. C. C. C. V. V. V.

devotissimo Clienti.

Addidi ad excitandum Mechanicæ amorem, Carmen Germanicum *non adeò insipidum.*

Stutgardiæ, 6. Maii, 1646.

EPIST. CIX.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

R*Edii huc Calvam post thermarum Cellensium usum, 20. hujus mensis die, non pro spe meâ, & Medici fiduciâ, sed quà corpus, quà animũ, totus languidus, illud, quòd stomachi imbecillitas, nihil suffulta, potiusque afflicta magis est; hoc, quòd ad negotiorum molem, quæ me domi operitur, cohorrescam, inutilior & rebus agendis, & itine-*

 ribus

ribus (quæ animo agito) conficiendis redditus, nisi melior, quem à DEO sospitatore expecto, medicatarum aquarum effectus succedat. Interim seren. Vestræ Epistolæ, clementissimo in me affectu, & perelegantis stylo scriptæ, incredibili voluptati, & recreationi mihi fuêre, non tam, quòd munuscula mea levidensia, alicujus pretii, quod non nisi ab amore Vestro accedere ipsis potuit, habeatis; sed meipsum inter illos numeretis, Vestros, qui omnia sua Vestræ Dignitati, Voluptati, Studiis & Commodis post Inclutum maximum Patrem, debere, & paratissimo animo collaturum lubens meritoq; profiteatur. Quod judicium de me Vestrum, ut generoso animo continuetis, hancque abruptam brevitatem, dum in meo Elemento non sum, clementissimè condonetis, obnoxio animo precor. Valete Illustrissimi Principes, & *favere pergite*

Ill. C. C. C. V. V. V.

Calvæ, 24. Iunii 1646.

Humill. Clienti.

Epist. CX.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

QVas nuperrimè ad nos direxisti, *Calvæ* datæ sunt, in agro VVürtembergico, ubi è *thermis Cellensibus* reducem hærere Te cum Generis & familia scribis. Vt autem hactenus Tibi, homini Reip. & Ecclesiæ necessario, firmam corporis *valetudinem* animitùs optavimus; ita sperabamus, aquarum medicatarum usum, ad eam, quam quereris amisisse, recuperandam, plurimum profuturum. Qua in re cum Te & nos spes sit frustrata, meritò

meritò condolemus, Deum precati, ut quod per thermas nondum licuit, id aliâ ratione Omnipotentiæ suæ perfacili adsequaris. Cæterum Thermarum mentio nos admonet fontium nuper in *Halberstatensi diœcesi* (Hornhausæ) septimo ferè abhinc milliari, detectorum, de quibus, si vera sunt, quæ narrantur, miraculosos illos jure censeas, sanè famâ compulsi exteri eò advolant, inter quos & Illustres nonnulli. Miraberis ex arido solo, ubi nuper mapalia, ebullivisse, ac quanquam sibi sint proximi, & velut contermini, non unius tamen saporis, sed singulari, singulos esse distinctos; Medicorum varia sunt de iis iudicia: Modestiores Naturam, ut non prodigam *miraculorum*, sic nec earum prorsus exsortem esse sentiunt. Constanter nobis nuper asserebatur, *surdæ* redditum auditum, fæminæ *gibbum* detersum, quin & *Podagricos* eorum usu esse curatos: qui verò nullâ graviori infirmitate laborant, *concoctionem* juvari, & *appetitum* excitari sibi animadvertant. Horum fontium fama num ad aures quoque Tuas pervenerit, ignoramus, indè hanc scribendi materiam arripuimus, ut si de iis nihil audiveris, à nobis, ut proplioribus, accipias, si majora, (qui famæ mos esse solet) quantùm sit illi tribuendum, intelligas. *DEUS Opt. Max.* Te incolumem præstet. *VVolferbyti*, 14. Iulii, 1646.

Rev. Tuæ Dign.

Observantiss.

II.

Cum Pr. RVDOLPHO AVGVSTO.

Epist. CXI.

Jesus Auspicium nostrum!

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

QVam hujus anni *mutuam precati sumus felicitatem, indulgentissimus Pater, cœlorum, terræque rector & arbiter nobis concedat, invitis* Astrologorum *oculis, qui dira se prævidere jactant, &* Politicorũ *naso, monstra nova dissensionum olfaciente, & unguibus Harpiarum* Bellonæ filiorum, *continuam ex nostro sanguine saginam, poscentium,* Paceq; *restituta, unitisq; & compositis Christianorum animis,* Ottomanni *illam sobolem, quam jam olim discordiis & petulantiæ Christianorum flagellandis & cohercendæ adhibuit, à nostris finibus procul arceat, imprimis verò terrarum Vestrarum bono* Serenissimi Dn. Patris *annos, sanitatem, vigoremque producat,* Vestro *autem flori, & incrementis, cum omnigenâ* Illustrissimæ Domus *prosperitate, ex alto benedicat, Amen.*

Strenulas quasdam pertenues Norico tabellioni ad Fortenheuserum deferendas, imposui, quas propediem vos accepturos, ac quo estis generosissimo animo Germani tres fratres, *æquiorem in partem admissuros speraverim. Exhaurit* Mars *prædo omnes cistulas nostras, dum per latus nostri hinc* Bavari, *illinc* Galli *mutuum se feriunt, imaque nostra perfodiunt, ut quicquid fuit elegantiarum*

tiarum nostrarum Pyreneos montes transvolasse, dici queant.

Me cachexia continua exercet, mediumque diem, id est, post cibum sumptum, domi, stratoque defigit, nec alia mihi languoris optatior, quàm ex literis tuis elegantissimis recreatio est, quam ut porrò mihi pro incredibili tuâ humanitate & facilitate concedas, quâ possum animi observantiâ contendo. Vale sospes Illustrissime Princeps, *in plurimos annos cum* Inclutis fratribus, *quibus me totum dedico.*

Ill. Cels. V. V. V.

Stutg. 7 Ianuarii
Anno 1646. *Cliens humillimus.*

Epist. CXII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

PRæteritis diebus festis binas à Te literas accepi. In *primis*, Tuam de *bellis* sententiam aperis, quæ Christianismo utiliora, continuâ pace arbitraris, illâ potissimum impulsus ratione, quòd durante bello Christianos mundi pertædeat, cujus aliâs delitiis, & fallacibus blandimentis irretiti, ad cœlos cogitationes suas vix convertunt, cùm illorum cupidinem nimia prosperitas, & præcox felicitatis caducæ usus soleat suffocare. Quâ in re Tibi planè adsentior, nec quod nuper deproperabá, aliter accipi velim, quàm quod Christianis pacem lubens, & maximi beneficii loco DEVS indulgeat, quamdiu quo pax paratur & retinetur, ab iisdem colitur, & præ cæ-

teris habetur. *Sequentes* literæ complectebantur congratulationem, ob *novi anni* Exordium, quod feliciter D E I gratiâ auspicati sumus. Preces Tuas exaudiat DEVS, Tibique, quæ in meis optavi, vicissim concedat. *Theca* illa *peregrinatoria* me Tibi maximè obligatum reddet, ut & authori ejusdem *Furtembachio*. Neque omittet *Dominus Parens* ipsi operam suam compensare. In quo finio; Benè vive, meque hoc anno exercere perge, & literarum nostrarum *numerum*, si lubet, duplicato: semper, qui respondeat, paratum habebis.

Reverend. Tuæ Dign.

Guelpherb. 11. Ianuar.
1645. Observantissim.

Clarissime Vir, dum has ad Te literas paro, oblatæ sunt Frisii *Columnæ Thuscæ*, quas desiderabam. Adsutæ sunt *Perspectivæ*, (ut vocant) ingeniosissimæ, quarum contemplatione haud parum recreatus fui. Gratias pro diligentia & cura, quâ in transmittendis usus es, habeo, & cùm dabitur tempus & occasio, referre conabor; Vale iterum atque iterum.

EPIST. CXIII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

CVm literæ Tuæ me lætû reddere soleant, novissimæ tristitiâ affecêre, è quibus ægritudinem Tuam intellexi, quæ Te lecto affixit. Quod nuper scripsi, nunc repeto, ut sc. rebus Tuis ita incumbas, ne valetudini noceas.

ceas. Quòd si meæ dolorem Tibi lenire, ut scribis, possent, quàm sæpissimè scriberem, nos enim Tibi, Tuorum, & Ecclesiæ causâ, firmam ex intimo corde optamus valetudinem. *Astronomorum*, ineunte anno, *Divinationes* parvi æstimamus, haud enim nescimus, fundamenta eorum incerta esse, quæ cum tempore dilabuntur, & evanescunt. Pullos autem suos Mars alet, quamdiu DEO Exercituum visum fuerit, quo dirigente, è *Monasteriensibus tractatibus*, non spem modò, ac votum, sed ipsius voti fiduciam, ac robur securitatem publicam assumpturam speramus. *Strenæ*, quas misisti, oblatæ sunt, & quòd à Te profectæ, acceptissimæ. De cætero valetudinem Tuam cura, ut porrò scribere, & exercere valeas eos, qui omnia Tibi fausta cooptant. Datum *Guelpherb*, 27. Ianuarii Anno 1646.

Rev. Dign. Tuæ

Observantiss.

EPIST. CXIV.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

Quo major est Tua ad scribendum alacritas, hoc mihi respondendi officium evidentius incumbit, ne rustico pudore, elegantias Tuas ipse mihi invidisse videar. Malo igitur intempestivi, quàm oscitantis nomen mereri, meásque nænias Tibi obtrudere, dum Te iis fatigari minimè, intelligam. Frisiana *Tibi arridere, valdè placet, fuitque is Vir ingenio cum paucis sui temporis comparandus: cujus aliqua adhuc apud me supersunt, per occasionem transmittenda. Furtenbachius in paran-*

paranda theca, *in nullâ morâ eſt, queritur autem de manuariorum opificum cunctatione, & lubricitate, quam ignorare vix ipſe poteris, ego nimis frequenter ſum expertus. Supereſt, ut omnia Tibi mea officia, ac ſtudia, quantula ea cunque in me ſunt, deferam atque pollicear; proinde ſcito, me nullo abs te majore beneficio affici poſſe, quàm ſi occaſionem mihi dederis Tuis incrementis, atque honoribus operam, curam, laboremq; omnem meum ponendi atque impendendi, in quo ſcilicet clientis tibi deditiſsimi fides requiratur. Etſi enim, qui majore ingenio & feliciore opera Tibi affuturi ſint, multos habiturus es, tamen qui pari ardore & contentione id agat, habebis profectò neminem, ſicut tamen excellens Tua indoles, & admirabilis humanitas, meaque perpetua de Tuis auſpiciis ſpes magnifica, requirit & poſtulat. Vale, & favere perge*

Illuſt. Celſ. Tuæ

Stutgard. 28 Ianuarii
Anno 1646. *humillimo Clienti.*

Epist. CXV.

Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps,
Domine longè clementiſſime,

CVm Divina mihi diſpoſitio per invaletudinem ferias indixerit, vacandum Tuæ Celſitud. putavi, cujus literario commercio, mirum quàm in languore meo afficiar & reficiar. Sed materiâ mihi opus eſſe video, quæ aut Animum oblectet Tuum, aut Ingenium erudiat, quorum illud vix ab homine corpore & ſpiritu pariter dejecto, expectabis: hoc abundè præſtiterit, cùm Nobiliſsimus Eques à Cram, tum eruditiſsimus Marconettus,

tus, uterque formandis moribus & Studiis Tuis feliciter probati. Supereſt felicitatis *Tuæ, & in ea,* modeſtiæ *Te admoneam, currentique calcar, quod ipſe fers animo generoſiſſimo & æquiſſimo admoveam. Quanta verò ſit* illa, *nemo facilè explicaverit,* Tanto *ſcilicet* Patre, *& ad tot terras, populosque regendos natum eſſe, & quàm* rectiſſimè *educari, quæ tamen interdum ita ceſſêre infeliciter, ut Salomoni* Roboam, *Hiskiæ* Manaſſes, *Anthonino* Commodus *ille incommodus ſucceſſerit.* Hæc *quàm neceſſaria ad humani generis ſalutem, ſuique ſeculi felicitatem deſtinato, ſit, omnes boni facilè intelligunt, & unanimi ore profitentur; Huic* Pietas *prima adſiſtit, quæ Te communis per Chriſtum adoptionis & fraternitatis admoneat, ut pretioſius ſit Tibi eorum ſanguis, quos ſanguine ſuo carè redemerit Chriſtus.* 2. *Accedit* Iuſtitia, *quæ non niſi, quæ ipſe Tibi velis, aliis diſtribuat. Subſequitur* 3. Miſericordia, *delicti ſui conſcia, & alieni indulgens. Ancillatur* 4. Temperantia, *corpus inſtar adyti DEO purum & immaculatum ſervans. Succollat* 5. Liberalitas, *cœli donaria in Te unum congeſta, per tubulos derivans, ut alias Virtutes taceam, quæ in decoramentum Tuum libentes concurrent, quas* 6. Fortitudo, *conſtanti recti tramitis decurſu, invictaque adverſus vitia ſoliditate, coronabit. His comitibus ſive ſatellitio, cùm Te ex bonis aliquando optimum futurum, vereque alterum* Auguſtum *augurer, qui ſeculum ſuum & ornet, & beet, non me contineo, quin acclamem,* Vivat: Vivat RVDOLPHVS AVGVSTVS Princeps & Dominus meus, *cum* Inclutis fratribus, *orbemq;* Lunæ *impleat, faveatque*

Ill. Celſ. *Suæ*

Stutg. 4. Feb. 1646. *humillimo Clienti.*

EPIST.

Epist. CXVI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Dum me corporis infirmitas, & animi languor ab omnibus officiis absolvit; unum hoc adhuc dum mihi incumbere intelligo, quod dandis, mutuum accipiendisq; literis Tuis, quibus nihil mihi est desiderabilius, impendendum est: quarum ne unquam tædio afficiaris, quicquid etiam incompositi, & marcescentis à me accipies, quàm possum enixissimè rogo. Me *jam à* 26. *Ianuarii cubiculum meum tenuit, videor tamen mihi nonnihil morbo levari, cujus non minimam gratiam sapidissimis literis Tuis & debeo, & tribuo. Hoc verò quàm rectissimè facis, quòd* Astrologorum *næniis nihil tribuis, sed potius ad Deum omnes sortes nostras refers, malas, bonasque, prout vel meriti fuerimus, vel ipse ex usu nostro sciverit expectandas & accipiendas. Est autem genus illud hominum, si ulla, hac ætate nostra, effrene plurimum, & impudentissimum, cujus petulantiæ* legibus Imperii *modum imponendũ censeam, doletq; ex animo,* Sacri ordinis *homines inter eos jam ferè funem ducere: quod olim* Argentoratenses *severè prohibuisse memini. Quò igitur fallacius* Magnatum ordini *hæ pestes insidiantur, hoc Tibi generosiore animo cavendas & aspernandas eas suaserim, ne unquam curiositate futura prænoscendi, follibus Te suis impleant, quin magè rectius* Studiis, *salubribusque* Consiliis *Te ad mentem* DEI *compones, à quo ut omnia bona, ita* Pacis *quoq;* publicæ *confectionem & stabilimentum expectabimus. Sed nec nimis audies, illos* arcanorum Status magistros, *orbis movendi, sistendique, ut videri volunt, arbitros, qui postquam*

ad

ad quantillum temporis histriones in scena apparuerunt, fabulæ nomen, orbi risum, sibi infamiã, pœnas verò dant DEO, & evanescunt. Tu verò Princeps florentissime, *rectissime feceris, si ad æquitatem, justitiam, pacem populorum, & erga Deum religionem omnia Tua conferas, firmumque hinc Tibi fundamentum in omnem posteritatem subjicias ad dignitatem & gloriam nominis Tui quotidiè augendam, altiusque extruendam, quam nunc & magnam admodum, amplamque esse vehementer lætor, & majorem in dies futuram esse confido. Vale, cum* Illustriss. fratribus, *& fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 11. Feb. 1646. *humillimo Clienti.*

Epist. CXVII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

ETsi quàm gratæ mihi sint literæ Tuæ, non ignores, excusas tamen perpetuò, quâ in respondendo uteris, quâq; cum primis afficior, promptitudinem & alacritatem. Vt verò nulla istiusmodi excusatione opus, sic, ut eam impòsterum omittas, rogo. Ad quem enim illud pertineat officium, cum mutuarum reciprocatione literarum Tu fatigeris, ego exercear, dijudicatu difficile non est. *Furtembachii* moram placidè fero, quia ferre necesse est, tum ob eam, quâ se tuetur, opificum cunctationem, tum fortè viarum difficultates. Sat citò adveniet, si cunctis instructa partibus, & Ablativis intacta advenerit. Quòd autem in fine Tuarum, officia omnia tam liberaliter & enixè adpromittis, habeo gratias. Nihil enim Tuâ, Tuique similium amicitiâ jucundius,

cundius, nihil utilius esse videtur, quam ut reciproco studio & fervore, quanto possum opere, colam, Virtus Vestra, consilii indiga ætas, & bonorum exempla me commonent. De quo quoniam non dubitas, argumentis id confirmare supervacuum. Est enim Tibi, opinor, persuasum, me, ut *Magnorum* in literis *Virorum* decoris & ornamenti, ita Tuæ cumprimis Dignitatis studiosissimum esse. Vale. *VVolferbyti*, 16. Februarii Anno 1646.

Epist. CXVIII.

Admodum Reverende & Clarißime Domine Doctor,

Elegantissimas literas, quibus me decoras, simul & *felicitatem*, quâque comparatur, *Virtutem*, extollis, accepi, non languentis sanè in ægro corpore, sed validæ mentis fœtum; quanquam & ex corporis contagio, animo Te dejectum scribas. Cujus adversæ valetudinis Tuæ causâ, meritò doleo, Deumq; oro, vitæ authorem, ut Te Virum salutarem Ecclesiæ, & Tuis quàm diutissimè servet, nobis etiam, quos monitis & literis, ad Tuum, hoc in studii genere, præcellens exemplum, informare pergas. Rectissimè utique, & planè ex animi mei sententiâ, *modestiam* exigis in Illustri fortunâ, quam alii felicitatis nomine dignantur, ego ni modestia, moderatio, animusque sui potens, & cæteræ, quas laudas, Virtutes adsint, eamque certatim ex: & coornent, summam miseriam esse statuo. Nec paradoxum hoc habeatur, cùm nemo *vitioso* sit *miserior*, improbitas autem, & protervia, po-

tentiâ

tentiâ inſtructa, pravarum cupiditatum, flagitiorum & ſcelerum omnium ſit coagulum. Cupiditatibus dum laxant habenas *Roboami, Manaſſes, Commodi, VVenceslai, aliique*, & à Majorum virtute degenerant, & educationis memoriæ dum eos pudet, magnam illius, majorem indolis & naturæ vim eſſe ſuo exemplo comprobant. Quorum nomina, ut poſteritati ad infamiam tantùm nota ſunt, ita facta, qui ſanæ mentis eſt, toto pectore deteſtatur. Sed abrumpo, ne dum modeſtiam in vitâ laudo, modeſtiæ fines in ſcribendo transgrediar. Valetudinem tuam cura diligentiſſimè. *VVolferb.* 24. Februarii, Anno 1646.

Rever. Tuæ Dign.

Obſervantiſs.

EPIST. CXIX.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps, Domine longè clementiſſime,

D*Ebeo hoc profectò, cùm elegantiſsimis* Literis *Tuis, tum ſuaviſsimis* imperiis, *ut confidentius hoc literarium iter teram; qui enim non amem, quantillum eſt in me feliciſsimis profectibus conferre, cùm Tu ultrò incredibili ardore diſcendi id provoces. Ac cum nuper acceperim, Te cum* Illuſtriſs. Fratribus, *in exploratione incrementorum pietatis & eruditionis, non tantùm Vosmetipſos, ſed Magni etiam Patris expectationem & ſpem ſuperâſſe, dici non poteſt, quantâ ſim animi voluptate perfuſus, reputans non niſi maximam eſſe potuiſſe, ſi cum ea rerum ſacrarum prophanarumque excellenti cognitione, quæ olim* Sereniſs. Patris *adoleſcentiæ adfuit, & Germaniæ Athenæa in admirationem rapuit, conferatur.*

Quòd

Quòd si eadem in publicum Ecclesiæ & Politiæ usum, pari cum celebratissimo Patre, *exemplo & documento redundet, seculumque Vestrum, & beet, & ornet, quis non* Christi *&* Patriæ germanæ *rebus gratuletur, hoc magis, quò pauciores sunt Vestri ordinis, qui laudi sibi pias, & bonas literas, non vituperio & dedecori ducant. Ergò favente Christo, & applaudente Incluto Patre, perge* florentissime Princeps, *& ad votorum nostrorum apicem enitere, Majoresque Tuos omnes, famosissimos quidem illos, & historiâ celeberrimos, Virtutis & Eruditionis laude transcende, Terrisq; Tuis salutem, à probatissimo* Patre *fundatam & auctam, auspicatissimè continua, quo in cursu, ego Tuorum minimus, calidis apud D E V M precibus, faustisque votis nunquam Tuæ Celsitudini decro.*

In Furtenbachio nulla est mora, hoc enim nunc agimus, qui Theca *ista à rapacibus manibus, quæ infestas vias faciunt, tuta ad Te deferatur, quæ si Tibi placuerit, usuique erit, me planè beabit, ut qui studia mea, officiaq;* Domui Vestræ Illustrissimæ *probare, in maximâ felicitatis parte ponam. Vale* Celsissime Princeps *cum æmulis* Fratribus *& fave*

Illustr. Celsitud. Tuæ

Clienti humillimo

Nobiliss. à Cram, & Clarissimo Marconetti perofficiosam salutem adscribo.

Stutgard. IV. Non. Martii,
Anno 1646.

EPIST. CXX.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

IN hoc reciprocantis morbi mei æstu, literæ Tuæ, cum generosi spiritus, tum docilis & tractabilis ingenii, solatio mihi maximo, & voluptati sunt: Cùm enim non tam blandiora verba & popismos, quàm asperiora, ac quæ delicatiores aures radere possent, ames, facis, ut & confidentius, & negligentius ad Te scribam, nihilque indignationis aut fastidii abs Te mihi metuam. Scilicet nihil ad Te ista pertinere, aliisque dici, rectè judicas, & ut scopulos intueris, non ad quos jam impegeris, monstratos, sed ne unquam impingas, cautè cavendos. Sic Herculem in bivio positum, fingunt Virtutis *horridum, & incultum sermonem*, Voluptatis *modulationi prætulisse, quippe naturæ melioris instinctu à molli, strataque floribus insidiosâ viâ, ad arduum felicitatis collem, avocante, muliebresque cantus, virilium factorum studio & amore, repudiâsse. Quàm rectè hoc*, Illustrissime Princeps, *sapienter, ac planè ad* Serenis. Dn. Patris *genium, cui in vitâ nihil durum aut acerbum visum est, quod ad eam Virtutis, qua nunc repositus ovat, regiam sedem conduceret, & promoveret; nihil delicati admissum, quod obliquare gressum, aut tardare cursum unquam posset. Nam ut in magna fortuna mellitis adulatorum vocibus nihil* venenatius, & nocentius *est; ita in magnis ingeniis formandis, molli semper, & indulgente nimis brachio vix quicquam* pestilentius, *quod nunquam ingenium Tuum corrupisse, illa liberiorum admonitionum, stiliq; securioris patientia, argumento mihi, sed & certioris innocentiæ testimonio est, cujus Te nomine plurimi, quod debeo,*

beo, facio, & ut perpetuum Dignitatem Tuam co-mitetur, Deum precor. Homines enim sunt, hu-manisque obnoxii, quicquid in excelso positi, au blanditiis servilibus supra humana elati, recteque Alexander verè Magnus *adulatoriam vanitatem risit, cùm sanguinem suum saucius videret,* Vo me Deum facitis, at hic sanguis hominis equi dem est, *inquiens. Sed desino, ne dum probare Tuam illam Generositatem contendo, exprobrare nescio quam culpam obliquè videar, quam in T nullam me invenire, ingenuè profiteor. Potiu DEUM oro, quæ in* Te, Fratresque inclutos *& florentissimos, ornamenta contulit largâ manu cumulatissima, porrò propitiâ, servet salva, au geat viridia, propagetque incorrupta, & in Eccle siæ, Reique-publicæ salutem cum æterno nomini Domusque Vestræ encomio convertat. Valete Pa-rentum* gaudio, *subditorum* commodo, *omnium bonorum* plausu, *meoque* voto, *& favete*

Ill. C. C. C. V. V. V.

Stutg. 11. Martii 1646. *devotissimo humillim Clienti.*

EPIST. CXXI.

Admodum Reverende & Clarissi-me Domine Doctor,

MOrbum Tibi adhuc molestum esse, sum mo cum dolore ex ultimis percepi. Re peto, quod dudum petii, ut se commu nicationem literarum tamdiu quiescere ju beas, donec Deus tibi pristinam valetudinem iterum concedat. Hoc verò ut fiat, intimo e corde opto

Tuum de *Astrologiâ Iudiciariâ*, hancq; ar tem callentibus, judicium verum esse reor, ne

m

me movet Tacitus, (cui aliâs ſæpè aſſentior) ſcribens: [Annal.6. cap.22.] *Primo cujusque ortu futura deſtinari*; ſed quædam ſecus, quàm dicta ſint, cadere fallaciis ignara dicentium, ita corrumpi fidem artis, cujus clara documēta, & antiqua ætas,& qua ipſe vixit, tulerint: ſed magis placet, quod in Hiſtoriarum libris [1. cap. 22.] de iis ſcribit: *Genus eſſe hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax*; Similiter quod Cicero [in 2.lib. de divinatione] ſcribit: ubi ex profeſſo rationes eorum, tam aliis fundamentis, quàm experientiâ refutat. Et num Tacito credendum ſit neſcio, quod de *Thraſuslo*, *Tiberio*, & *Agrippinâ* memorat, ac licet factum fuiſſet, nonne tamen dicere licitum, Diabolū incredulis pro lubitu imperare poſſe? Locū ex Cicerone hîc adſcribi curavi, ne eum evolvere opus haberes. Hunc,qui rectè intelligit, ſecumque ruminat, facilè ſibi cavet, & unde habeant, qui poſt eum de *hâc materiâ* ſcripſerunt, perſpicit. Aliud autem adhuc hominum genus evitandum doces, (quos *Staticas* vel *Hyperpoliticos* nominamus) à quibus eò majus periculum metuendum,quia hi non ita irridentur, ut illi, ſed potius ſectatores & admiratores nanciſcuntur, non ſunt etiam adeò *impudentes*, nec arte ſuâ alimenta & panem quotidianum quærunt, ſed ſub prætextu *prudentiæ* irrepunt, &, quia ſecundum opinionem ſuam ſoli in arcana & conſilia,eorum,qui orbem regunt, penetrant, præ cæteris excellere, & magni haberi volunt; Illi pro vero profitentur, quòd ipſi veriſimile vix eſſe credunt, quod *impudentiæ* ſignum: Hi loco veræ prudentiæ, quâ Deus Reſp. conſervari vult, illicita remedia admittunt, quod *malitiæ*: Illi Creaturis inhærent, hominesque Numinis ſe-

G curos

curos reddunt, quod *idololatriæ*: Hi veram virtutem rejiciunt, ut rem lippis & tonsoribu notam, sed *astutias* & *mendacia* docent, animosque novarum rerum cupidos efficiunt. Quòd cùm ita sit, quotidianaque experienti satis doceat, eum oportet, qui *DEVM authorem Politiarum esse*, easque à principio conservâsse, immotumque oculum, in Principes earundem fixisse, consiliisque eorum, quæ Verbo ipsius, rectæque rationi innituntur, benedicere, omnes è contra fraudes damnare credit, tales homines odisse, & detestari, qui s & alios astris fatoque subjiciunt. Multi adhuc inveniuntur *Machiavelli, Campanellæ, Gaurici*, & *Nostradami*, multi *Aloysii* & *Catharinæ* sunt & *Ante-Machiavelli*, & multi eâ opinione, quâ fuit *Senatus* [Tac. Annal. 2. cap. 32. tempore Tiberii, qui has artes non saltem odio habent, sed & graviter in earum Professores animadvertunt, & qui, dum agnoscun potentiam suam se à Deo obtinere, ei se submittunt, usumque illius non in perniciem, se multorum millium commodum impendunt. At de his satis. Vale & Salve. *Guelpherbyti* 17. Martii Anno 1646.

Rev. Tuæ Dign.

Observantiss.

EPIST. CXXII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

Literæ tuæ nunquam non acceptissimæ redditæ sunt, è quibus præter alia, famam etiam habitæ nuper mecum, ex literarum studiis, collocutionis ad Te pervasisse intelle

xi

ri. Qualescunq; profectus nostros Tibi quoque placere, Viro longè eruditissimo, gaudeo, felix utique futurus, si Serenifs. *Parentis* nostri spei & expectationi hac in parte potuerim respondere, sicut omnia jussa legis instar habeo, & summâ animi observantiâ revereri teneor. *Furtenbachianam thecam* Augustam ad *Hainhoferum* perferri cures, rogo: ab indè Clementifs. Dn. *Parens* illius curam benigne suscipiet. Vale, scribo enim nunc brevius, quia nuper, occasione ex Tuis arreptâ, copiosior fui solito. Iterum vale & salve. Postridie Palmarum 23. Martii Anno 1646.

à *R. D. Tuæ*

Observantissimo.

Dn. Præfectus meus, & Marconnet multâ Te salute impertiuntur, hic & à Te scire exoptat, quid agat *Dn. Zellerus*, & an suas acceperit?

Epist. CXXIII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

NOvissimæ Tuæ de 11. Martii eò acceptiores fuêre, quia benevolum & syncerum Tuum erga me animum ex iis perspexi. Gratias ob transcripta *monita* ago, quibus, quem Deus cæteris prætulit, maximè indiget. Et licet non sim ex eorum numero, neq; adulatores, (quorum quisque suum, neglecto Patriæ commodo, quærit) ullam mihi arrependi causam habeant, hæc tamen admonitio, ob quorundam hominum inscitiam, &

præcocem ſpem, ac præpoſtera judicia, maximè neceſſaria. Quod, ſi evitare quis neſciret, via ad virtutem & perfectionem ſine dubio ei obſtrueretur; Ipſi enim malè de rebus judicant, ſententiæque ſuæ aſſeclas & defenſores petunt. *Taciti* verba [Hiſt. 1. 15.] mihi pro regulâ & normâ ſunt, ubi ſcribit, *ſuadere Principi quod oporteat, magni laboris & periculi, aſſentationem erga Principem quemcunque ſine affectu peragi*. Hanc additis Tuis monitis, cum exemplo *Illuſtr. Dn. Parentis* ſequar. De cætero credas velim, me rectè monentem, ſemper maximi feciſſe, literasque Tuas mihi gratiſſimas quoquo tempore fuiſſe. Vale *Guelpherbyti*, 7. Aprilis, Anno 1646.

Rev. Dign. Tuæ

Obſervantiſſimus.

EPIST. CXXIV.

Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps, Domine longè clementiſſime,

Quas ad me breviores 23. ſuperioris Martii dediſti, iisque ad prolixiores octiduo ante ſcriptas, remittis, illas quidem rectè accepi, has verò nondum vidi, fecit enim nimia Heinhoferi diligentia, ut Auguſtano cuidam ad nos profecturo, crederentur, ſed qui nondum comparuit, quibus remoris, an viis infeſtis, incertum impeditus. Magno itaque deſiderio eas expecto, ac quod in cariſſimis rebus fieri ſolet, ne mihi intereant, *admodum ſum ſolicitus. Quantum enim mihi voluptatis generoſus ille ſtilus, & maturum judicium, magni olim proventus præſagia, adferant, nunquam ſatis citra adulationis, quam abhorreo, ſuſpicionem explica-*

plicavero. Nunc succinctius ad praesentes Tuas respondenti, veniam dabis, dum ad eas, quas solito copiosius scriptas, avidè operior, me accingam. Theca peregrinatoria, *jam dudum in manibus Heinhoferi fuit, cujus curâ, non parum itineris ad vos confecisse, mihi facilè creditur, brevi utinam pro expectatione Tuâ, comparitura, elegantissimisque Studiis Tuis servitura, quibus vel tantillum operâ meâ accessisse, gloriosum mihi duxerim in eam Nobiliss. Dn. Praefecti, & Clarissimi Informatoris Tui societatem laudatissimam venisse, ut quod ipsi coràm, feliciique profectu, ego foris omni studio, votisque calidissimis, conferimus ex usu Orbis Christiani, salutisque publicae factum, cum Tuâ gloriâ aliquando dicatur. Et quis dubitet hoc liberale Tuum & nobile ingenium, cui exercitatio adhibetur, informationisque copia non deest, maturè ad perfectam Virtutis frugem evasurum, quibus si perrexeris gradibus, nihil quod ad perfectam beatitudinem pertinet, desiderabis,* Christus *verò omnia Tua coronet. Vale* Illustriss. Princeps, *& fave*

Illustriss. Celsitud. Tuae

humillimo Clienti.

Proprid. Natalis Serenifs. Dn. Patris, *LXVIII. qui faustus nobis omnibus illucescat*; 8. April. Anno 1646.

Nobiliss. à Cram, & Clariss. Marconetto, salutem cum officiis remitto, & huic rectè curatas ad Zellerum, literas suas, cur verò foro, thoroque implicitus non respondeat, ignotum mihi esse refero.

EPIST. CXXV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Cum jam meæ abiissent, Tuæ advenerunt, quæ triduo in via retardatæ, tantò verò acceptiores, quantò meam expectationem superârunt. Nam quas Tibi duas aulæ pestes, Divinatores, *puta, &* Statistas, *vitandas indigitavi, Tu eas jam antea, monitorum Tuorum indicio, non cavendas tantùm, sed odio habendas & detestandas cum ratione, & authoritate meliorum intelligis, quem equidem sensum, sagaxque judicium Tibi ex animo gratulor, ad omnia rectius cùm suscipienda, tum peragenda profuturum: quotquot enim exclusa (quicquid tandem nugentur* Prestigiatores) *DEO, orbis regendi, rotandiq; partes sibi sumunt, & falluntur ipsi turpiter, & fallunt alios nequiter, ut* mirum, (*cum Cicerone repetam*) & permirũ videatur, quemquam extare, qui etiamnum credat iis, quorum prædicta, (*addo & machinata Machiavellica*) quotidie videat re & eventis refelli, ac ab ultore Deo everti. *Quod tamen neque in* sobriam Astrologiam (*cujus hodie modestissimus Interpres* Abdias Trevv *Altorphensis Mathematicus est*)*neque* Politicam rationabilem (*individuam illam consiliorum magistram, & Magnatum sociam,*) *dictum velim, tantùm illa Diva Sophia, quæ Davidi, Salomoni, Iosaphato, Ezechiæ, Iosiæ, & similibus, quales in Tua etiam Domo numerosos habes, adfuit, istis præsideat, spuriasque & impostorias illas procul arceat, quarum odium si semel* conceperis, *in omnem ætatem &* vives & imperabis tutius. *Illos ergò temeritatis & impudentiæ: hos fraudum & nequitiæ fabricatores; illos Idololatriæ hos*

impo-

impostararum reos; *illos curiositatis*: *hos tyrannidis instrumenta*; *illos lucri*: *hos licentiæ aucupes*, *suis suppliciis*, *quæ merentur*, *mittamus*. *Nos in* DEI unius *providentiam intenti*, *obsequii & gratitudinis gloriam relictam nobis putemus*, *cum nullo præcognitionis ludibrio*, *aut supercilii lubricitate*, *scilicet evanida vanitate permutandam*. *Illa Te* Princeps Illustrissime *regat*, *servetque*; *hæ ornent*, *atque beent*, *omnibusque nominibus absolutum reddant*. *Salve cum* Inclutis fratribus *& fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 15. Aprilis
Anno 1646.

Clienti humillimo.

EPIST. CXXVI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

LIteræ Tuæ de 1. Aprili oblatæ sunt, quibus nobis de LXVIII. *Natali* Illustr. Dn. *Parentis* nostri gratularis. Tuam ex illis benevolentiam animadverto, & quod sæpius nobiscum omnipotenti DEO gratias agas, quòd *Illustriss. Dn. Parentem* integrâ corporis animique valetudine, conclamatis istis temporibus, singulari beneficio nobis & patriæ conservet. Exaudiat ILLE imposterum quoque preces nostras, & concedat benignus, quod Reip. necessarium & utile est *Fratres* literas suas meis jungent, inde brevior nunc ero solito. Gratissimum esset de restitutione Tua nuncium, quo si possis, rogo ut me quàm primùm bees. Raptim *VVolf.* 21. Apr. 1646.

Reverend. T. Dign.

Observantissimus.

Epist. CXXVII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Gratulor Tibi hunc animum, qui Adulatoribus generi hominum Aulis proprio, sit inaccessus; hasque aures, quibus subdolis & infidis blanditiis aditus sit obstructus. Est enim divini planè ingenii, raræque felicitatis, has insidias cavere posse, quæ diligenter observatis affectibus, & cupiditatibus, ejus, cui adulantur, hinc argumentū, & fraudem sui operis moliuntur: Sed pereant sanè fumo, qui fumos ejusmodi vendunt. Te Illustrissime & florentissime Princeps, *nunc ætatis Tuæ, & anni tempus amœnioris argumenti admonet, Nam qui proximus est* Majus, (16. *Maij*) Tertium *Tibi, ab eo, quo primam lucem feliciter vidisti,* Natalem solennem (1. 1627. o.); *Secundum* Scalarem (2. 1637. 1.): *Primum, quâ positâ prætextâ,* Virilem togam, (3. 1647. 2.) *faustis auspiciis sumis, adfert, cui merito, quotquot inclutæ Domus Tuæ, incrementis, Serenissimique Patris Tui gaudiis favemus, acclamamus; Hæc enim illa ætas est majorum curarum, seriiq; actus, ipsiusque imperii capax, quæ Te* alterum Herculem, *fessos* Atlantis magni *humeros recreantem substituat, & jam fructus exactæ formationis elegantisque doctrinæ protrudentem, terris, seculoq; nostro ostendet. Quod ut* Ecclesiæ, *quæ Te lactavit;* & Reip *quæ nutrivit;* & literis, *quibus excultus es;* artibusque, *ingenii excellentis Instrumentis proficuum sit, toto animo Deum precor. Perjucundum autem mihi est, ex quo tempore Vobis innotui, subinde aliam, atque aliam ex felicitate Vestra, gaudii & gratulationis materiam natam esse; jam ob* Pueritiæ *Vestræ florem: jam*

Ado-

Adolescentiæ *vigorem* : *jam* Iuventutis *ardorem* : *jam* Senii *gloriosissimam viriditatem, quæ publici & privati plausus argumenta esse nobis meritò debent. Enitere ergò* Inclute Princeps, *& Te mox* Virum-Iuvenem *præsta, & Annis, & paribus Tuis, & Teipso semper Majorem, inter Maximos aliquando cum bono DEO, numerandus. Vale & fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 22. Aprilis
Anno 1646. *humillimo Clienti.*

Epist. CXXVIII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

A *Mori* tuo potius, quàm *merito* meo tribuo, quòd meas adeò extollis literas, quas enim jam transmitto, raptim scribere soleo, Tuæ humanitati fidens, & quidem hac de causâ potissimùm, ne studiis meis nimium temporis abscedat; Prolixioribus illis, quas nondum accepisti, literis, de *Genethliacis* egi, de quibus à Te plura expecto, si petere liceat, & occupationes permittant.

Quod *Thecam* illam *peregrinatoriam* attinet, mox hîc futuram spero, quâ non saltem Studiis meis Mathematicis maximè inservies, verùm & me Tibi obligatissimum reddes. Et quia non hoc tantùm officio, sed literarũ gratissimarum commercio veluti in Collegium *Informatorum* meorum dilectissimorũ intrare velle videris, ob id gratias Tibi ago maximas, Illi verò societatem sibi utique honorificam amplectuntur, Tibique *primas*, quas mereris,

in eadem concedunt, ac Te reverenter & officiosè salvere jubent. Vale. *VVolferb.* 28. Aprilis, Anno 1646.

Rever. Tuæ Dignit.

Observantissim.

Epist. CXXIX.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

SI quid fortè literarum ad me dedisti, adhuc in via impeditas hærére sciveris, quas in proximum secundum Maji, avidè expecto. Nunc de officio meo, non nisi vota ante octiduum facta in Natalem tuum XX. *auspicatissimum, repeto, eaque munusculo per se levidensi, ab arte tamen nonnihil æstimando, sancio, scilicet ut ipse* Rosæ *fragrantis & purpurantis, qua odore, qua specie omnes ordinis tui flores anteeas, hortumque Germaniæ illustrem, quàm maximè ornes. Cumque is in pridianum* Pentecostes *diem* 16. *Maji incidat, precor*: Veniat Auster, perfletq; hortum Guelphicum, ut fluant Aromata Tua. *Vale* Generosissime Princeps, *& fave*

Ill. Celſ Tuæ

Stutg. 29. Aprilis Anno 1646.

dedicatissimo humillimo Clienti.

Epist. CXXX.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

QVò plures à te literas accipio, eò sæpiùs miror earum elegantias, &, quæ illis continentur monita, libentius amplector.

Quidni

Quidni enim mirer, Te quamvis aliis curis occupatissimum, meis tamen literis ita vacare, ut totus in iis esse videaris? Quod de *Astrologis* & *Statistis* repetis, percepi, & quæ de *sobriâ Astrologiâ*, ejusque Professoribus, ac *prudentiâ Politicâ*, sine qua nullum potest esse regimen, scribis. Addo autem ad ea, quæ nuper, Astrologos, & Statistas *novo* rursus, & antiquitati *inaudito exemplo* refutatum iri, si quod hactenus patrocinante famâ publicâ, speravimus, *Monasterii* coalescerent animi, *Pax*que Germaniæ redderetur. Quod ut in gloriam sui nominis, & Ecclesiæ, quam in terris colligit, levamentum, faxit Deus, oro. Idem Te, cum Tuis præstet incolumem. Dabam *VVolferbyti*, 5. Maii, 1646.

Rev. T. Dignit.

Observantiss.

EPIST. CXXXI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

Literas tuas, quibus de *Natali vigesimo* mihi gratulari occupas, accepi. Tecum & alii gratulantur, & ego DEO OPT. MAX. gratias toto pectore ago, qui me non corpore tantùm sanum & valentem præstitit, sed & animi cultum, ac quibus indiget, instrumenta, sub oculis, inspectione, & disciplinâ paternâ, singulari quod agnosco, largitus est. Atque optarem profectò, ut cum naturæ & corporis, ambularent interna, quæ habentur incrementa, illa siquidem jugiter operatur, & ad perfectionem contendit, hæc plerumque tempus,

& temporum caſus, aliaque, quæ in vita incidunt, remorantur. Quanquam enim ſciam, *laudare* ſeipſum, & *contemnere*, æquè vitio dari, quia tamen mearum mihi ſum virium conſcius, quæ perexiguæ ſunt, malo easdem deprimi, quàm extolli. Id verò dum facis, quod aliâs ſcripſi, videris intendere, ut *monitis* nimirum, & *exemplis* maximorum virorum, quos memoria recolit, propoſitis, ad eximiam *Virtutem* accendas, ut ſi illud faſtigium, quò conſcenderunt, attingere non poſſim, ut non poſſe ingenuè fateor, enitar tamen, ne inter infimos conſiſtere neceſſe habeam. Quòd ea inprimis causâ nunc repeto, quôd veteri tempore, ætatem, quam, Deo annuente, ingreſſus ſum, magnorum negotiorum capacem fuiſſe, ſcribis, & legiſſe me memini. *Furtenbachiana theca* nondum advenit, accepi heri Authoris iconem, & alias; quam ſpero ſubſecuturam. Vale optimè, & ſalve ab Educatoribus & à

R. T. Dignit.

Guelpherbyti, 12. Maii
Anno 1646. Obſervantiſſimo.

EPIST. CXXXII.

Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps, Domine clementiſſime,

CVm ambitioſius ſit in ſocietatem Informatorum Tuorum, quos omnibus numeris abſolutos habes, referri velle, hoc mihi abundè ſuffecerit, ſi omnibus votis & ſtudiis in Tua incrementa intentus, officioſius audiam, ſummaque cavea applaudam, quòd ſi verò me iis annumeres, per quos profeceris, glorioſum id mihi profectò foret, nec invi-

invidebunt opinor, egregii Tui Doctores, quorum in me humanitatem & benevolentiam dudum sum expertus. Matheseos *verò* amorem *plurimum in te laudo, quæ unà oculos reddere eruditos potest, ad introspiciendam Universi hujus pulchritudinem, & Symmetriam, nec aliam scio, quæ post* Pietatem & Iustitiam, *Principem magis ornet. Cui subsidio erit Theca illa Furtenbachiana, sed magis ipse* Author, *si, quod optarim, Tibi aliquando innotescat. Brevior sum, ne studiis tuis incommodem, meque Tibi totum dedico*

Ill. Celſ. T.

Stutg. 13. Maii
Anno 1646. *humillimum Clientem.*

EPIST. CXXXIII.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps,
Domine longè clementiſſime,

E*Tsi in ipso hoc otio meo; mihi minimum est otii, ob valetudinis, quam suscepi, curam, & extra Museum meum, tanquam in alio & strepero mundo versari mihi videor, tamen ne elegantissimarum Tuarum literarum iter, quo mihi jucundius nihil esse potest, interrumpam, reponendum, quicquid hoc est inconditi, & turbulenti putavi, ac hoc quidem tecum sentio,* Aſtrologaſtris *nostris* nugatoribus, & *ipsis inter se* contrariis, *nullum majus & evidentius ludibrium, sive vanitatis exprobrationem, quam à* Pace Germaniæ *(utinam!) reddita fieri, opponique posse, qui quod communi conjectura verisimile putant, aut ex prudentiorum judicio accipiunt, tanquam* cœli & fatorum conſcii *nobis annunciant. Nos modò* precibus *instemus, aut ipsum Cœlorum rectorem,*

pacis bellique arbitrum, propitium & placatum habeamus, isque Turcam, *ut olim dissidentis Græciæ, ita Germaniæ secum irreconciliabilis maximè metuendum domitorem, procul arceat, sapereque tandem nostro malo & periculo doceat, cujus clementiæ* Illustr. Celsit. Tuam *commendo*

Calvæ inter strepitus

30. Maii, 164-. *humillimus Cliens.*

EPIST. CXXXIV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

P*Erincommodè accidit, ut eodem propè momento, & Tuæ hic mihi redderentur, & meæ reposcerentur, ubi minus erat otii, & strepitus plurimum, quod fieri necessum est, ubi non certis & conductis, sed fortuitis tabellionibus utendum est, veredarii verò abitus fixus manet. Ne itaque ad elegantissimas Tuas, surdus apparerem, substitui* Recupitum Iesuitam *satis vocalem, hic in acidulis erronem, quem dignum putavi lectione tuâ, quà materiæ gravitatem, quà styli politiem, quâ Physicæ etiam indaginis solertiam. Admitte hominem, & quid tibi de eo videatur, per otium, nisi est molestum, explica, ac cum* Illustriss. fratribus *feliciter vale.* Calvæ 27. *Maii* 1646.

Ill. Celf. Tuæ

humill. Cliens.

EPIST.

EPIST. CXXXV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime.

Scripseram nuper ad Te & brevius, & tumultuosius, cujus culpam utcunq; per Recupitum *sum deprecatus, hominem non indisertum, etsi, qui societatis Character est, minus pudentem. Sed eam silentio Tuo ultus es, quo in me supplicio nullum decernere potes durius, cùm Literis Tuis nihil mihi sit, ut dulcius, ita desiderabilius. Mitigavit tamen meum dolorem cùm* Cl. Dn. Goskius, *tùm quisquis is est* VVedemannus, *quorum ille unico disticho Rosam eam transmissam pro ingenii solertiâ plus ornavit, quàm ego integrâ Epistolâ potuissem: hic de fatali natalis tui felicissimi, in Pentecostes Parasceven, & Ill. Harmoniae exortum incursum ominosum, edocuit: uterque de me clarissimè meritus. At nunc, quod fortè mireris, aliũ Iesuitam ad Te ablego, in quem hic fortè incidi, Philosophiâ quàm Theologiâ meliorem,* Casparũ Ruthardum, *Cosmologum, cujus libelli in quartâ formâ editi titulum, summamque exscripsi, cùm ipsum exemplar obtinere non licuerit facilè Francofurti, ni fallar, impetrandum. Visus mihi est, non insulsè paucis complecti, quae alii magnis voluminibus obtrudunt, illustribusque ingeniis, quae obrui nolunt, consulere. Ubi videris, probabis opinor, certè non improbabis consilium meum, quod commodis tuis, unicè est intentum, & devotum. Capsam itinerariam tardius ad Vos deferri, aegrè fero. Dabam è* Thermis Cellensibus, 3. *Iunii, Anno* 1646.

Ill. Celf. Tuae

Cliens humillimus.

EPIST.

Epist. CXXXVI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

A 29. Aprilis ad 20. Maii, quatuor ad me emisisti epistolas. Quod postpositis gravioribus negotiis tuis, meas non tantùm legeris, verùm & mox responderis, habeo gratias. Vltimæ Tuæ *Calvæ* datæ, quam recreationis & amicorum causâ petiisti. Hoc iter, ut ipsis lætum, ita Tibi ad confirmandam valetudinem, conducat, ex animo opto. Generos quoque Tuos cum uxoribus, & liberis, inter quos & nepos, cui *meum nomen* dedisti, te convenisse ex penultimis intellexi. Non equidem dubito, quin hæc conjunctio maximo cum gaudio celebrata sit; nihil enim Patri acceptius esse potest, quàm illos videre, qui aliquando ejus vestigiis insistere debent, & in quibus perpetuò vitam prorogaturus est: nil liberis, quàm ejus affectu recreari, à quo non *vitæ* tantùm *originem*, sed & *rectè vivendi exemplum* acceperant: cujus rei considerationem, morbum, quo hactenus vexatus fuisti, maximâ ex parte sustulisse arbitror, & ominor. Pro transmissâ ROSA, ut & *Guilielmi Schickardi* Astroscopio ago gratias. Illa exhilarat visum, & in memoriam revocat Ægyptiorũ antiquum scribendi modum; hoc non tantùm commendat authorem ingeniosissimum, sed Illas potissimum, quæ appendicem addidisse dicuntur. *Furtenbachiana theca* nondum allata est, quotidiè autem eam expecto, maximum in me excitabit gaudium author, cui per literas innotescere haud ingratũ erit. De cætero, quid de *Pace Germaniæ* sperandũ, (quod

(quod ultimarum argumentum eſt) eorum judicio ſubmitto, quibus abdita negotiorum nota. Nobis, qui eò penetrare non poſſumus, eſt *ſpes pacis* inſtar Solis, tecto *nubibus* cœlo, nunc enim elucet, modò obſcuratur. *Vbi autem deſinit humanum, divinum incipit auxilium.* Cæterùm quòd tardiùs ſcribam, febriculæ imputes, quæ aliquot dies me lecto affixit, poſtquam ab eâ Dei beneficio mox ſum liberatus, ad hoc ſcribendi exercitium rurſus me accinxi, quo cùm maximè delecter, nec parum erudiar, ut nec in poſterum defatigeris rogo. DEVS Te cum Tuis ſalvum præſtet, & incolumem. Vale *Guelpherbyti*, 9. Iunii 1646.

Rev. T. Dignit.

Obſervàntiſſ.

EPIST. CXXXVII.

Admodum Reverende & Clariſſime Domine Doctor,

LIteras Tuas in *acidulis Tainacenſibus* datas, unà cum libello accepi. Valetudinis Tuæ gratiâ hunc locum petiiſſe Te, libenter audio, utque hæc medicina Tibi ſalutaris ſit, ex animo opto. Pro transmiſſo *libello* gratias ago, quem perluſtravi, meamq; de eo ſententiam ſequenti hebdomade tranſmittam. Nunc eò ſum brevior, quoniam ante octiduum perlongas tranſmiſi literas; benè adhuc DEI gratiâ valemus, gratum nobis eſſet, ſi & cum Tuis ipſe valeres. Raptim *Guelpherbyti*, 16. Iunii, 1646.

Rev. Tuæ Dignit.

Obſervantiſſ.

EPIST.

EPIST. CXXXVIII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

GRatissimum mihi est, quòd in *acidulis*, ubi valetudinis causâ, ordinarios labores intermittere oporteret, me non tantùm exercere, verùm &, quæ nova ibi & non vulgaria offendis, communicare memineris. *Recupitum* Iesuitam accepi, ut ex meis intelliges, lectionem exorsus, principio statim deprehendi, eum communi Papistarum lue, superstitione sc. infectum: quod impudentiæ, suæ Societatis Characteri, attribuere videris. Alter *Ruthardus* nomine, (quod mihi nomen usque adhuc ignotum fuit) multa in titulo transmisso promittit, optarem esse inter meos libros. Dum hæc scribo, mentem subit nuntiũ, quòd è *Lutetia* modò accepimus, *quatuor* nimirum *Iesuitas* Societate suâ desertâ, *alium ordinem* prætulisse, promittentes, se *arcana Iesuitarum*, hactenus abscondita, quibus suam Societatem stabiliendo, Christiano Orbi imponere non desinunt, in lucem edituros, & fallacias eorum *prodituros*. Nos quidem fratres valemus, Tu quoque ut valeas, optamus. *Guelpherbyti*, 23. Iunii, 1646

Rev. Tuæ Dign.

Observantissimus.

EPIST. CXXXIX.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

QVamobrem nullas hâc occasione literas à Te acceperim, nescio, haud sperans, valetudinem Tuam in morâ fuisse; causam,

quare

quare ante aliquot hebdomadas non scripserim, notam tibi jam esse arbitror, ideoque & Tuam scire expeto. *Furtenbachiana theca* dudum expectata tandem feliciter advenit, gratias itaque Tibi pro navatâ operâ ago. Vale, Raptim *Guelpherbyti*, 30. Iunii Anno 1646.

Rev. Tuæ Dignit.

Observantiss.

Scripsit nuper Dn. Schottelius in causâ aliquâ civili, responsum expectat ab eo, quem negotium tangit, quâ in re, ut illi gratificeris, rogo.

EPIST. CXL.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Cum domum bis æger, & flaccidus rediissem, in Tuas incidi, quæ mihi suaveolentiâ suâ, quasi spiritum reddidêre. Breviores quidem illæ, sed cum Compendio Clementissimi Tui sensus, qui sive pluribus, sive paucioribus verbis offeratur, plenam ubiq; fidem apud me obtinet, maximasq; gratias meretur. Hoc unum dolet, tardius Tibi apparére Thecam illam Mathematicā, quàm voluerim, cùm ut Studiis Tuis conduceret, tum ejus fabricatorem Furtenbachium magis Tibi conciliaret, qui totus in obsequia Tua fertur. Me totius corporis laßitudo & virium dejectio tenet, laborumque tædium duplicat. At nihil est, quod libentiùs agam, & faciliùs perficiam, quàm, quod Tibi, fratribusque Inclutis, non ingratum esse putem. Videor enim mihi, hoc nunc uno vivere, si nec inutilis Vobis, nec injucundus appaream, qui mihi ipsi propè

propè sum oneri, ne dum aliis tædio, & terræ superfluus. Te vividum servet Christus, Generosissime Princeps, *& ad maxima quæque accingat cùm Ecclesiæ & Reipubl. ornamento atq; usu perficienda. Vale & fave*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 1. Iulii 1646. *Clienti humillimo.*

Epist. CXLI.

Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps, Domine longè clementiſſime,

Etsi in literarum nostrarum reciprocatione me Tibi omni ex parte inferiorem libenter agnosco, nolim tamen sedulitati Tuæ succumbere, quæ cùm me afficiat, & reficiat incredibiliter, tum excitat etiam, veternumque illum excutit, quem adversa valetudo suffundit. Recupitum *ad Te misi, non ut Iesuitam, quo hominum genere nihil est nequius, & pestilentius, sed* horrendi caſus non indiſertum deſcriptorem. *Haberes etiam ex me* Ruthardum *Cosmologum ingeniosum, si impetrare eum licuisset, quem tamen Nundinæ Francofurtenses facilè dabunt, lectione Tuâ non indignum. Quæ de Iesuitis desertoribus, & suæ societatis proditoribus addidisti, in mentem revocarunt dicterium:* Malum tunc eſſe peſſimum, cùm bonum ſimulet. *Iam antè orbi tot tragicis actibus proditum est, hanc Societatem sub religionis & literarum larvâ, omnium Aularum, ac propemodum hominum exploratores, Regnorum concussores, & sanguinolentæ Scenæ actores intimos esse, ac ad eam Iniquitatis magnitudinem excrevisse, quæ non tam Orbis Capitibus, quàm ipsi Pontifici formidanda sit, non nisi mole suâ ipsa everten-*

tenda. Sed reservetur haec potius gloria Christo, fortaßis cum totius mundi periodo & interitu, qui Te Principem Illustrissimum *cum* Inclutæ Domûs *felicitate, publico & nostro bono incolumem florentemq; quàm diutißimè servet. Vale & fave*

Illust. Cels. Tuæ

Stutgard. 8. die Iulii, 1646. *humillimo Clienti.*

EPIST. CXLII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

QVòd *rationes silentii mei poscis, plurimum Te laudo, & maximas gratias debeo.* Facis *enim id meo commodo, ne ipse mihi sim fraudi, dum meâ negligentiâ Tuam egregiam alacritatem retardem. Fateor autem me* 10. & 17. *Junii à scriptione abstinuisse, quòd tum temporis magna pars diei molestæ lavationi impendenda, reliquum refocillationi virium dandum fuerit, cujus meæ mollitiei nunc demum veniam humiliter peto. Furtenbachianam thecam tandem advenisse lætor, magis etiam, si eam Tibi usui, atque pro expectatione esse, intellexero, quod officii mei pretium unicum atque maximum habeo. Si quid aliud erit, quod imperes mihi, faxo neque fidem meam, neq; diligentiam meam desiderare unquam poßis; Salve iterum cum* Illustriss. fratribus, *& ad Virtutis axioma enitemini, ac favete*

Ill. C. C. C. V. V. V.

Stutg. 15. Iulii 1646. *humillimo Clienti.*

EPIST. CXLIII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

DOmum te bis ægrũ rediisse, quantâ compunctione acceperim, facilè intelligis, qui nec ignoras, quanti Te Tuasq; Virtutes, & præclara merita faciam. Iam cùm *Calvæ* esses, scribebas ire in deterius valetudinem, quo nuntio, ut par erat, affectus, omnipotentem Deum orabam, ut Te virum Ecclesiæ & Reipubl. perquam necessarium, reddita incolumitate, diutissimè nobis conservaret, quas preces ex animo repeto, & ut exaudiat Deus, rogo. Quæ de *fontibus* haud procul hinc detectis narrentur, è nuperrimis meis accipies; eos, si, ut alios juvisse dicuntur, certus essem conducturos valetudini tuæ, optarem Te nobis quàm primùm esse præsentem; *Thecâ Furtenbachianâ* jam utor, quod aliunde intelliges; Brevior sum, ne labores Tuos augeam, nam quanquam literis Te meis recreari scribas, affectui scio te indulgere, ego tuis oblector, & erudior, indè firmissimas tibi corporis & animi vires animitus opto. Dabam raptim *VVolferbyti*, 21. Iulii 1646.

Rev. Tuæ Dignit.

Observantiss.

EPIST. CXLIV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime.

CVm tam exquisitus sis literarum mearum exactor, quo nomine ingentes gratias debeo, non mihi licet emansorem esse, aut tuo Exemplo, quod

quòd jam nihil scripseris, me tueri, cùm alia sit atque validior occupationum tuarum, ac mei torporis excusatio. Ne tamen à materia inanis Tibi accedam, en novam atque integram Vrbem sisto, Guerve-Stadium, *Furtenbachii industria fabrefactam, cujus nunc formam & elogium audias, paulò post etiam imaginem expressam videas. Præstat autem* Matheieos *studium cum* Politiæ *combinare, ut quas mutuum sibi operas conferant, contemplationemque per se jucundißimam, in publicum usum adducant, intelligas, quo in genere* Furtenbachius, *per multas terras cum judicio versatus, planè mirificus est, cujus libris valdè delector, eorumque copiam tibi optaverim. Magna namque utilitas, magnaque laus est* Architectonicæ, *quæ non modò domicilia nobis condidit, sed etiam rationem muniendi, magnos cœtus ostendit, quæque machinas omnis generis utilißimas, molas, naves, portus, aquæductus fabricat. Hortantur autem Te domestica Exempla ad has artes amandas, quæ Domus Tuæ splendori necessariæ sunt, nec monitor deerit, nobilis formator tuus Cramius, quem in oculis semper gero, & reverenter salutò; Horum Te accendi exemplis, moveriq; stimulis convenit, ut possessionem hujus laudis in familia retineas. Vale* Illustrissime Princeps, *& fave*

Ill Celf. Tuæ

Stutg. 22. Iulii
1646. *Clienti humillimo.*

Epist. CXLV.

Admodum Reverende & Clarißime Domine Doctor,

Valetudinis cùm in postremis non memineris, spero, (ut quæ optamus, facilè credimus)

dimus) Te convaluisse, atque suam tandem virtutem acidulas exeruisse; *Recupiti* & *Ruthardi* Iesuitarum perdoctæ lucubrationes, ut & desertores illi sui ordinis *Parisienses*, ansam tibi præbuerunt, de eorum secta in Tuis disserendi. Ac quia querelas Tuas non *Protestantes* tantùm, sed plerique omnes, qui se *Catholicos* vocant, ipsâ experientiâ adducti, confirmant, Tibi in eo prorsus assentior, ex animo optans, ut à fraudibus & imposturis, quibus *ovile Christi* circumveniunt, Omnipotentis DEI virtute quamprimum liberetur. Iungam utiliter cum Tuis, quæ *Thuanus*, de isthoc hominum genere histor. libr. 37. annotavit. Cæterùm in qualemcunque compensationem novum hunc tractatum à Papistâ conscriptū simul transmitto, quem ut boni consulas, & Tuam de eo sententiam, quando commodum erit, aperias, peramanter rogo. Vale & salve. Raptim *Guelpherbyti*, 28. Iulii, 1646.

Rev. Tuæ Dignit.

Observantiss.

Epist. CXLVI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Cum nunquam Tuæ non sint longè mihi gratissimæ, tum hæ nuperæ jucundissimæ lectionis fuere, quæ Hornhusani salutiferi fontis *famam apud nos dubiam, tanquam ex propinquo, confirmarunt, quem utique miraculo propiorem, quàm ut Naturæ sit beneficium, putaverim. De confluxu hominum nihil miror, multorumque restitutione, quorum illud fama insolentis rei sæpius supra*

supra verum, facilè concitare potest, hoc fiducia & persuasio, sed & aptum fortè malo remedium, conferre, cujus duo meæ ætatis Exempla in agro nostro habeo, unius testis oculatus, quod audire non pigeat. Anno Æræ Christianæ M DC. XXXII. Capfenethi, *loco meæ Inspectionis, triborio* Calvâ *distante, fons dudum notus, sed ignotæ virtutis subitò innotuit, sanatione* Opilionis, *qui diu quasi leprâ obsitus & corruptus, cùm fortè ex eo lavâsset, corrigique malignam scabiem sensisset, repetitâ aliquoties lotione, rectè convaluit, quem restitutum integrè, sæpè vidi. Secuti exemplum alii in consimili defectu, eandem virtutem sunt experti, sed & aliis morbis adversum adhibita aqua in multis profuit; hinc fama, & inde accursus, mox in majus, ac supra* Naturæ *etiam* vires *Pandora hæc elata, hominum jam non turbam, sed propè exercitus concivit, qui castra in densissimo querceto locarunt, (nam præter villulam & molendinum domicilia procul absunt) suaque scenopegia habuerunt. Numerata sunt aliquando* Sexmille *hominum, magnam partem muti, surdi, claudi, stupidi, manci, cæci, ex quibus unum vidi, erutis oculis, qui visum reposcebat. Veni enim & ipse illuc, miratus hominum Credulitatem, & ut fontem coràm explorarem. Ebullit is ex radice quasi magnæ* Quercus *magnâ vi aquæ, ita ut statim rivum efficiat, qui tamen tot hominum usibus, & perpetuæ in omnes oras transvectioni minimè sufficit, unde mihi difficilis ad eum aditus, sed reditus per obsidentes mendicantes longè difficilior fuit. Aqua sanè limpidissima est, & frigidissima, sed potus lenti potius, vel lutulenti, quàm alacris. Cùmque manus lavarem, sensi eam peracrem in exiguo, quod fortè habebam, vulnere, nam & Medici plurimum aluminis & calcis in ejus decoctione repererunt. Hinc factum, ut cùm curandis*

vulneribus, & siccandis pituitosis multum confer- ret, tabidis & siccis compendiosam ad mortem vii faceret; Magna post exiguum temporis interval- lum, hominum strages facta est, non levi incola- rum damno, quibus sepelire defunctos, ne aër cor- rumperetur fœtore, necessum fuit. Exemplo, & malo suo edocti diffluxere multi, tandem vix ver- tente anno, omnis miserorum exercitus evanuit silvâ vel cæsâ, vel ramis spoliatâ nobis in memo- riam rei superstite. Chirurgis tamen hæc medici- aqua minimè neglectui est, quam & nostri Cive- saluberrimam in multis affectibus sunt experti Addam autem quod rideas. Ancilla *quædam juss- situlam medicatæ aquæ adferre, cùm reditu* Vrb *proxima, lapsa esset, & aquam effudisset, anxi- rerum, &* viæ *pertæsa, ex proximo fonte vas re- plevit, Heræque medicinam substituit, quâ felici- ter est curata, dolusque Ancillæ in ludibrium ver- sus. Hæc succurrerunt, quæ Tuis reponerem, non ut fidem* Hornhusanarum scaturiginum, *quæ quinque numero jam prosiliisse diversi saporis au- dio, elevem, sed ostendam, summa etiam & præ- stantissima Dei beneficia, humani ingenii vitio vel superstitione contaminari; vel ignorantiâ ne- gligi; vel errore impertinenter adhiberi; vel im- posturâ in abusum converti; vel credulâ famâ i- majus extolli; tandemque fastidiô abjici posse, n- unquam non fabula actâ esse videatur. Sed desino ne dum nimis officiosus esse contendo, sim tædio Hospites Aulæ nostræ habemus Illustriss. par fratr* Principum VVirt. Montispelicardensium, *li- teris, linguis & rerum usu supra ætatem, & com- munem sortem instructissimum, à quo salvete. Sal- vos vos* Inclutos & Illustrissmos Fratres, *Ger- maniæ bono natos, vestrisque terris donatos, mih- præstet Deus, donisq; adaugeat, quæ supplex adoro*

Ill. C. C. C. V. V. V.

Stutg. 29. Iul. 1646. *Cliens humillimus*

Epist. CXLVII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

QVanquam quid hâc vice ad Te scribam, dubius sim, Illustr. tamen *Domini Parentis* mandatum ac studium, quo in Te feror, vel aliquid in speciem cogunt excogitare, quo pagellam istam dieculæ unius pensum compleam. Evenit enim nunc mihi, quod iis, qui diu sermones invicem commutârũt; Nam ut seriis, & quorum gratiâ convenerant, expositis, ad ludicra, & vagas confabulationes vertuntur, ita cùm literis destinatus iste dies nihil Te dignum suppeditet, partibus tamen meis deesse nolui, ne literarium nostrũ commercium remoratus esse videri possem. Illud enim Tibi certus sum persuadere, non tam Paternorum jussorum reverentiam, & tui æstimationem; quàm Naturam meam, quæ tota in Tui similes propendet, istud à me debitum officium quàm facilimè impetrare. Benè valere perge, sic enim scribo, quòd Te restitutum confidam, cùm in Tuis jam bis valetudinis mentionem sis prætergressus, & salve

à *Rev. T. Dignit.*

Raptim *Guelpherb.*
4. Augusti, 1646. Observantissimo.

Epist. CXLVIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

P*Ro illâ Tuâ sollicitudine & condolentia de afflictiore mea valetudine, & plurimas gratias debeo, & maximas ago, hoc magis, quod* pre-

ces *etiam Tuas polliceris,quas à sincerâ mente profectas, omnibus salutiferis fontibus præstare, facilè crediderim. At quanto ego pro Tua salute vota, precesque ardenter, assidueque ferre, obnoxius sum magis, in quem illud Iohannis Baptistæ rectè aptaverim*: Oportet Te crescere, me verò minui. *Nam cùm in spem restituendæ Germaniæ natus, magni Patris æmulus, Domûs columen, tot populis, terrisque beandis & regendis destinatus sis, seriis precibus nobis contendendum est, ita omnes gressus, progressusque Tuos, studia & actiones suffulciamus, ut præclaram de Te, publicamque expectationem impleas.* Fontibus *Vestris* salubribus *utique lubens accurrerem, non tam valetudinis curandæ, quàm explendi, Vos visendi, desiderii causâ, si per dejectas vires, & intuta itinera liceret. Dum itaque carceribus meis teneor, literæ Tuæ suavissimæ mihi solatio sunto, quas ne mihi porrò, quantum studia Tua magis seria permiserint, deneges, omni animi observantiâ rogo. Secundo hujus*, trigesimum secundum *unius Concordis* Conjugii *annum deposui. Decimus septimus* sexagesimum ætatis *cum* D E O *absolvet. Quid mihi porrò vita anxiè & laboriosè pridem peracta, fastidiosè & calamitosè amplius continuanda, quin potius de meis Annis Tibi addat Deus, utilèmque Te Ecclesiæ suæ reddat, servetq; Christus Iesus. Vale cum* Inclutis fratribus, & *favete*

Ill. C. C. C. V. V. V.

Stutg. 5. Augusti,
1646. *humillimo Clienti.*

EPIST. CXLIX.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

REverendæ Tuæ Dignitatis literas non exigerem, nisi mutuum isthoc commercium, & quam ex eo capio, insignis utilitas, mirè me afficerent; Abundant enim & monitis mihi perquam necessariis, & rerum varietate, quâ non parum recreor, ut ex illis erudiar. De *Furtenbachii Neapoli* intellexi, atque sic arbitror, Authorem, mihi pridem, & aliis commendatum, nihil non se dignum in lucem editurum esse. Vergent in Reipubl. utilitatem ipsius *labores*, nostro præsertim tempore, quo, quæ à Majoribus, magnis sumptibus, & laudandâ industriâ exædificata sunt, Martis furor absumit. Faxit autem DEVS, ut *Pax alma* redeat, qua ejus partes vigeant, floreantque, atque eorum *cultores* dignum *Virtutibus* suis præmium accipiant: Idem Te cum Tuis præstet incolumem. *Guelpherb.* 11. Augusti, Anno 1646.

Rever. Tuæ Dign.

Observantissimus.

EPIST. CL.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Valetudinis meæ ea est ratio, & conditio, quæ nec pessima sit, nec optima, & intra patientiæ & fiduciæ confinia me suspendat, atq; ad Dei beneplacitum totum componat: Tuæ verò Celsitudini pro ejus curâ & indagine quas debeo ma-

ximas gratias ago; Numenq; Tibi ad quævis optata propitium ex animo precor.

Moralem Iesuitarum Theologiam, *ut primum abs Te accepi, perlegi, jam antè per partes cognitam, at nunc brevi fasciculo comprehensam. Quàm verò suaviter in sinum ridens, perfrictæ frontis homines, ad has chartas, sueti totum in se provocare mundum, & præstigiis suis, versutiisq; eludere. Aliis armis atque facibus Herculeis contra hanc Hydram multiplicem opus est. Nec enim* Papa *in-finis nocentiores serpentes metuendos habet: nec* Catholici *hirudines insatiabiliores: nec* Evangelici *cunicularios intimiores: nec* Orbis terrarum *furias infensiores. Ac mihi ex cunctis, quas legere contigit contra hunc* infestum *humano generi* ordinem, *accusationibus planè persuasum est, prima ejus mobilia esse* Theologiæ *Atheos*: Philosophia *Necromantas*: Literatura *Corruptores*: Politia *Turbatores*: Oeconomia *Impostores*: Commerciorumq; *omnium pestes, cunctis mortalibus detestandos & vitandos. Sed nostro vitio fit, ut dum Religionem propè omnem cum literis ac moribus bonis proscribimus, illi pietatis, eruditionis & modestiæ larva insultis mentibus imponant, aliudque agentes, sua agant, scilicet ad hunc omnibus ordinibus formidabilem molem, ac quasi Equum Trojanum se extollant,* Ilium *posthac eversurum. Hoc ergò rectius Tu facis* Inclute Princeps, *qui cum florentissimis fratribus, magni Patris æmulus. cum Religione, probitate & literatura connubium inis, tanquam* Gorgonium scutum *omnibus larvis, planis cuniculisque feliciter opponendum: Vale* Princeps Generosissime, *& ad maxima enitere, ac fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 12. Aug. 1646. *Clienti humillimo.*

Epist. CLI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

Rev. Dignit. Tuæ Literas, quibus de fonte salutifero, anno M. DC. XXXII. in agro VVûrtembergico exorto, *Hornhusanus* ferè consimili, non injucundâ refers, accepi, pro quibus ago gratias, certiorem te faciens, magnum illas à Medicis nostratibus applausum meruisse, quibus suspecta sunt pleraque, imò omnia, quæ de illis hactenus fama vulgavit. Sanatos quidem aliquos negare non audent, sed & eorum mortes numerant, qui post aquarum usum in *graviores morbos* incidunt, ex iis repente extinguendi. Iam eorum vis aliquantum remittere dicitur, nec minuitur tamen *superstitio* hominum, eò undiquaque confluentium, non è vulgo tantùm, sed potentioribus. Neq; absimilia ancillari relationi Tuæ narrantur, de *Cive* quodam *Goslariensi*, sive finguntur hæc ab otiosis, seu eadem semper hoc in Orbe agitur fabula, mutatis tantùm personis. Illustriss. *Parens noster* communi persuasione abripi nequit, nec qui ex nostris, aquis usi sunt, valetudinem in melius mutatam, in melius firmare possunt. Affirmant tamen Medici non vulgaris eruditionis, & experientiæ, vidisse mutos earum beneficio loquentes, & surdos audientes, paralyticis membrorum usum redditum. Quæ si vera sunt, *miraculo* res *propior* erit, ac si non omnes, qui iis utuntur, easdem operationes experiantur, morborum generi, victui, immoderato esui, & aliis imputandum potius esse videbitur; Quod, in recentibus optimum, suspendo ju-

dicium, & futura expecto. Interim vale optimè, *Vir Reverende, & Clarissime*, & salve à *Reverend. Tuæ Dign.*

Raptim *Guelpherb.* 18. d. Augusti, 1646. Observantissimo,

Epist. CLII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Vò familiariores Cels. T. & planè extemporaneæ sunt epistolæ, hoc mihi sunt jucundiores, non, quod stili Tui copiâ & elegantiâ non maximoperè delecter, sed ne Tibi literarum hæc reciprocatio vel sit tædio, vel melioribus studiis impedimento, cùm tantæ sis diligentiæ, ut hoc tantùm vertente anno, vigesimam *jam Epistolam ad me dederis. Sufficerit igitur, si, quicquid in liberiorem animum fortè inciderit, in chartam sine curâ & solicitudine conjicias, dummodo hoc literario commercio non fatigeris. Nescio verò, an tanti facias meas, ut aliquid earum asserves. Ego certè tua omnia in maximo precio, & in cimeliarchio reposita habeo, producturus ea aliquando in lucem, si* Patris Serenissimi, Tuâq; Indulgentiâ *id mihi liceat. Cui fini mearum etiam sterilium, & exuccarum exemplum per amanuensem retineo, cum ut quid discriminis sit inter* Rosas & Vrticas, *tum quibus nugis meis Tuas elegantias elicuerim, mihi constet, & in memoriam redeat. De restitune valetudinis, quid mihi pollicear, vix habeo. Nudius tertius, qui XVI. Kal. Septembr. fuit*, sexagesimus *peregrinationis meæ peractus est, pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ, neque attigerunt dies annorum vitæ Patrum meorum,*

[Gen.

[Gen. 47. ℣. 9.] *quæ me res complicare vela, & vasa colligere jubet. Ac olim quidem pertenuis corporis constitutio, vix ad trigesimum annum pertingendi spem fecerat, nunc familiæ meæ, Sodalibus, & amicis, vi vidis quondam & robustis, superstes propè unicus hæreo; Consignavi autem quædam ipso Natali meo LXI. quæ tecum communicarem,* Vitæ meæ breviarium, *cujus fabulam per transennam inspiceres, ne inanes planè literas adferrem. Addidi verò serium quid aliud,* Institutiones historicas, *Viri perdocti Tobiæ VVagneri Th. D. Eßlingensium Antistitis, sub prælo sudantes, cujus jam primas pagellas mitto, reliquas successivè submissurus, quibus ingenium Tuum nobile oblectes. Ab incluti Fratris Tui* D. Anthonii Vlrici *artifice manu, jam diu est, cùm nihil vidi, quod tamen in amabili ingenio illo indignationem contra me interpretari non ausim: In teneriorem Fratris* D. Ferdinandi Alberti *ætatem importunus esse nolim. Sufficit mihi florere eos, & ad Domus Vestræ felicitatem & decus accrescere. Sed redeo ad Epistolas meas, ex quibus omnium prima mihi periit, ab hinc triennio scripta,* [An. 1643.] *qua de XVII. Natali Tuo, sum ex animo gratulatus, quæ si fortè inter rejectanea Tua deliteat, vellem ad me, vel per exemplum rediret, cæteris præfigenda: Sin in tenebras, quibus digna fuit, abiit, facillime alia substituetur. At de tabula manum, sùm jam nugarum sit satis.* D E V S Illustriss. Ternionem Guelphicam *annis, donis bonisque augeat, ornet, & conservet. Vale & fave*

Ill. Cels. T.

Stutg. 19. Augusti,
Anno 1646. *humillimo Clienti.*

EPIST. CLIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Etsi vix spes est chartis hisce per obsessas & infestas vias penetrandi, tamen ne fiat officii intermissio, paucis lineis & salutem omnigenam à Deo precatur: & obsequium suum perpetuum defert, atque cum Inclutis Fratribus *vigére, florere, & valere jubet*

Ill. T. C.

26. Aug 1646.
Stutg. *Cliens humillimus.*

EPIST. CLIV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Binas Tuas 11. *&* 18. *præteriti Mensis scriptas, ego* 30. *demum ejus accepi, eò avidius exceptas, & majore voluptate lectas, quò Martis carceribus inclusus, intolerabiliore earum tenebar desiderio, metuebamque, ne impedito literarum nostrarum commercio, diutius iis sit carendum, quibus tamen ad reficiendum animi mei languorem nihil esset præsentius, & expeditius. Nunc reseratis utcunque itineribus, ad officium redeo, maximasque gratias, quas debeo, dico, quòd diuturniorem meam expectationem geminatis atque prolixioribus literis, expleveris, humanitate, elegantiâ, & judicio plenißimis.* Hornhusanis fontibus *nihil temerè detraxerim, nec Dei sub illis, sive insigniora Naturæ beneficia, vel etiam Miracula elevaverim, quin tamen dies multorum errores, credulitatem, adde & imposturas detectura sit,*

sit, etiamnum dubito, citra profectò impietatem, & Capfenetensis mei fontis exemplo edoctus. At nos, an miremur, an misereamur in tanto hominũ confluxu subitaneo, corporis nostri tam insolentis & indomiti afflictissimam conditionem, quod malorum suorum, morborumque conscium, hoc ingens Ptochotrophejum, *momento quasi excitavit, ubi & coronæ, & sceptra, & fasces, & purpuræ, & syndones, & fasciæ, & involucra alia, quibus* infelix hoc lutum *obtegitur, pingitur, & suffulcitur, sponte se ponant, & ad has aquas se homines fateantur, quantò rectius facturi, si in munere suo, quod Dei jussu & beneficio gerunt,* humanæ sortis *semper meminisse, & ad conscientiæ rationes actus suos referre omnes, quàm immortales, nullisque morbis obnoxios Deos mentiri mallent. Te animo hæc aut similia versare,* Generosissime Princeps, *cùm Tua sponte, tùm Informatorum monitis, & contemplatione humanæ imbecillitatis, ad Virtutis robur amplectendum, excitari, ut minimè dubito, ita Deum precor, cum mente sanâ, sanum Tibi corpus, nullisque infirmitatibus obnoxium propitius concedat, quò ad* Aquilæ (*Patris*) vivacitatem, *vel ultra etiam cum Reip. Christianæ utilitate pertingas. Furtenbachis* Neapolin *nondum vidi, haud dubio Martis, qui nos obvallat, injuriis exclusam, cujus Architectus de Tua in se propensione plurimum sibi gratulabitur, Dignitatis Tuæ homo observantissimus.* Schorndorffium *ex Oppidis nostris munitissimum, post octidui obsidionem, deditione in* Gallorum *manum convenit, dimisso Cæsaris præsidio, quod nescio, an non cum invidia, noxam nobis adferet, nisi* Pax alma, *ad quam suspiramus omnes, succurrat. Extorsionum, direptionum, & deprædationum nullus est modus. Sed hæc ab iis expectes, qui arma sequuntur. Nos* pacatam *Militiam sectemur, adeoque*

Christi castra, *virtutibus dedicata, & vitiis adversa, quo in genere & vigilem, & strenuum Te militem, ut lubens ovansque intueor, ita inter Christianos Equites olim adlegendum, & Insignibus* S. Crucis *condecorandum ominari non desinam. Vale* Illustrissime Princeps, *& cum* Inclutis fratribus *salve favens, quod facis, æternùm* Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 2. Septemb.
Anno 1646. *humillimo Clienti.*

Epist. CLV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

MEas non immeritò nimiæ familiaritatis incuso, quas plerūq; deproperare soleo, non ut par Tuis reddam, quæ certè semper sunt elegantissimæ, sed ut Paucis etiam verbis, quàm gratum mihi sit hocce literarum commercium, singulis ferè hebdomadibus contester. Atque ut id in istis quoque agnoscas, ad tres Epistolas, quarum prima 5. secunda 12. tertia denique 19. Augusti mensis scriptæ sunt, ruditer, & brevibus respondeo, non quòd non singulæ singulari responso sint dignissimæ, sed ne præter morem, quem hactenus servavi, quemq; probas, nunc agam. Primò autem animitùs Tibi gratulor tam de felicis, ut prædicas, *Conjugii* diuturnitate, quàm de *Natali LXI.* Faxit Deus omnis boni dator, ut hic annus feliciter Tibi decurrat, eumque quietorum & feliciorum annorum longa series subsequatur. Idem & sociam, quam hactenus in solatium habuisti, istius Tuæ, quam vocas, peregrinationis perpetuam velit

velit esse comitem; Elogium verò *Iesuitarum* quod attinet, equidem quod in illos dixisti, verissima esse arbitror: sed quò minus ab iis liberemur, obstabit, ut mihi videtur, *Sagacitas* illa mira, quâ *filii istius seculi* in secretissima quæque *Principum* Secularium & Ecclesiasticorum penetrant, atque eorum abstrusissima Consilia rimantur, ut nihil ferè in eos decerni queat, quod non certè prævisum, *arte*, quâ in omnibus utuntur, *mirabili*, declinare facile illis sit. Sed quos ob *scelera* pœnæ Deus destinavit, iis mentem & consilium prius solet adimere. *Vitæ* breviarium *Andreanæ*, quàm volupe fuerit perlegere, ex affectu, quē in omnes, qui benefactis se nobilitarunt, fero, intelliges: Oblectavit in primis *Tuarum peregrinationum*, quas per *Galliam* & *Italiam* florentissimas regiones, impetu quidem, ut scribis, & ardore juvenili ex incogitantiâ profecto, sed nunc fortè non pœnitendo Consilio olim suscepisti, jucunda memoria. Quod ut in nostri seculi Ecclesiasticis Viris rarum, ita Te tantò commendat impensius, cui domesticam rusticitatem externo sale mutare contigit. *Institutionum historicarum* Antistitis Eslingensis *D. Tobiæ VVagneri* opus ex Tuo consilio succisivis horis evolvam, ideoq; ut quum posthac excudentur, datâ occasione mittere non graveris, amanter rogo. *Literas*, quas Tibi *periisse* scribit, inter meas inveni. Nec enim minus diligenter Tuas asservo, quam Tu nullâ certè de causâ meas. Illas hisce jungo, plura proximâ hebdomade scripturus. Cæterùm, ut vivas, & optimè valeas Tibi, Tuis, & Ecclesiæ, ex animo precor, quin & sum

Rev. Tuæ Dignit.

Guelph. 10. Sept. 1646. Observantiss.

Epist. CLVI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Quanto mihi dolori sit, literarii nostri commercii eclipsis, incredibile dictu est. Præterquam enim, quòd literis Tuis nihil mihi est sapidius; qui in iis elucet in me affectus propensissimus, omnes delicias superat. Itaque omnes vias pertento, quâ ad Te usque iterum pertingam, quantumvis earum circuitus sit productior, & responsionis mora diuturnior. Iam autem ab 18. Aug. nihil Tui vidi, quod anni instar mihi videtur, etsi non dubitem, unas alterasq; Tuas sive interceptas, sive cum optimo nostro Heinhovero, *arctè obsessas* Augustæ, *esse, quam utinam liberatam brevi citra lanienam innoxii popelli audiremus, pro quo ardentes preces meritò fundimus. Quæ indè facies, quæ spes rerum nostrarum fiet, cùm scribere minimè sit tutum, pro Tuâ excellenti sagacitate ipse conjicies, scilicet uno complexu, certissimam nobis paratam servitutem esse, cui ne* Pax *quidem* restituta, *subsidio venerit, tantum abest sub* Martis *furiis, interspirationis quicquam expectari à nobis possit, qui utriusque partis arbitrio, & prædæ expositi sumus. Quicquid verò tandem accidat, (quod minimè est ad humanæ rationis modulum exigendum) id in nostram salutem eventurum, ut certò constituamus, procul dubio, rerum præteritarum exempla abundè demonstrant quandoquidem DEUS opus suum minimè sit relicturus imperfectum. Et quoniam non est* privata *hæc causa, nec ad* singulares *homines pertinet, sed* communis *toti Ecclesiæ Dei, non dubitamus, Vos etiam afflictionum nostrarum sensu permoveri, nostri ut verè misereamini, Vestraque consilia eò dirigatis, ut*

dum Vobis sunt integræ vires, & conjunctæ, nostris fractis & dispersis; *non omnis malorum moles nobis incumbat, novumque & impotentiorem Dominum imponat. Utinam verò miseræ Patriæ instauratio, aliam scribendi rationem tandem aliquando sumministret, nunc autem opinor patienter feres, audire ea, quæ nos perferre ac pati indigna cogimur.* Christus *Vos Vestraque omnia salva præstet, & ad summa quæque producat. Vale.*

Illustr. Celsitud. Tuæ

Stutg. 7. d. Octob.
Anno 1646. *humillimus Cliens.*

Epist. CLVII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Misit *ad me Furtenbachius Architectus nobilis*, Emporii sui *ideam, eleganti manu delineatam, & accuratâ descriptione partium explicatam, quam eruditis oculis Tuis ut subjicerem, & favori commendarem, quæ cum veredario committi commodè non posset, Noribergensi tabellioni, fortè præsenti, credita est, ad Forstenheuserum nostrum transferenda, à quo utinam quàm brevi accipias, nec judicium de ea meum præcipito, ne exquisitum Tuum, quod avidè expecto, antevertam. Hoc Te nescire nolui, simulque, quam impotenti Tuarum desiderio, jam à 18 Aug. tenear, scire vel maximè volui.* Christus Te *cum* incl Fratribus *servet, augeat & ornet. Vale.*

Ill. Celf. T.

Stutg. 14. Octob.
1646. *Cliens humill.*

Epist.

EPIST. CLVIII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

AVgustanæ urbis obsidionem, quò minus invicem commearent Tabellarii, quorum ministerio literarium istud commercium exercemus, obstitisse hactenus non dubitavi; quâ (ut fama fert, mihique constat) solutâ, quas à d. 18. Augusti complures scripsi, ad Te tandem, procurante Dn. Hainhofero, pervenisse mihi persuadeo.

Quòd autem hac obstructâ *compendiosiore* viâ, aliam licèt *productiorem* interim quæsiveris, inveneris que, ne hebdomadario penso meo quid decederet, quàm gratum Tibi sit hoc officium tuum, ut certè onerosum & prægrave, indè intelligo, ac si illud, quod indicâsti iter, incidisset, occupati gloriam non contempsissem.

Neminem autem, *Vir optime*, & *patriæ amantissime*, non tangit publica, quam deploras, calamitas; publica inquam, non &, quid perpessi simus, novimus, & malorum vestrorum, non nuncium tantùm, sed & sensum ad nos pertingere, velim Tibi persuadeas. Quod fatum posthâc *Germaniam* maneat, pauci prævident, plures exhorrent, omnes arrectis animis expectant. Piæ sunt autem cogitationes Tuæ, & falsi nescia spes, quam in Deum collocas, qui *Ecclesiæ suæ* in Terris curam nunquã deponit, sed eam inter seculi turbas, & Diaboli, ejusque organorum insultus mirabili prorsus providentiâ & virtute tuetur. Quòd si tantis malis medicinam ipsi adferre possemus, si consilia, si vires imminentem patriæ pestem

pestem avertere possent, profectò, ut precibus, votis & supplicationibus Divinum Numen propitiare hactenus piâ devotione studuimus, ita lubentes ad patriæ sarciendas ruinas, quicquid à nobis jure exigit illius vinculum, conferemus. Sed ut coadunentur omniū animi, jungantur opes, audiantur consilia, efficere, non hominis opus, sed *Dei solius* esse puto. Is ad reddendam *Germaniæ*, imò *Europæ* tranquillitatem destinatos regat, & ad Nominis sui gloriam, omniumque salutem, acta & cogitata ipsorum secundet. Cujus protectioni etiam Te commendo, permanens

Rev. Tuæ Dignit.

Guelpherbyti, 3. Novemb.
Anno 1646. Observantiss.

Epist. CLIX.

Illustrissime & Celsissime Princeps,

Domine longè clementissime,

Quod Viatori fesso, & siti fatiscenti, oblatus gelidæ aquæ potus, hoc mihi fuerunt sapidissimæ Tuæ literæ, quas 10 *Sept. ad me dederas, Martis verò intemperies ad* 3. *hujus Novemb usq; mihi intercluserat, id eò mihi durius accidit, quòd posteriores* Serenifs. Dn. Patris, 15. *&* 22. *Sept. scriptas, mihique rectè traditas, nullæ Tuæ comitarentur, nunc etiam ab eo termino nihil Vestri hîc apud nos comparuerit. Nunc etsi, ut appares, deproperatis, tamen cùm aliorum lima comparandis, hoc sanè effecisti, ut si quæ aliæ, ut quidem spero, in viâ hærent, earum adventum patientius operiar, cùm Te salvum esse, quæ mea* salus est, *& propitium, quæ summa* voluptas, *constet. Pro*

gratu-

gratulatione *provectæ ætatis & conjugii, ingentes gratias debeo, cui si corporis etiam* valetudo, *& firmitas accederet, possem me beatum prædicare. Sed non permittit Deus quicquam rerum nostrarum esse perfectum, ne* futuris præsentia *unquam anteferamus. Quod excursiones meas in* Galliam & Italiam *non improbas, facis id pro ingenii Tui alacritate, quæ Te affigi uno loco, & arceri à spectandis egregiis humanæ industriæ monumentis, ægrè se patiatur. Ego ut de iis gloriari minimè possim, cur tamen earum pœniteat, necesse non habeo, cùm & innocenter peregrè vixerim, & elegantissimarum rerum recordatione, valdè delecter.* VVagneri *opusculũ, præter jam subinde alias atque alias pagellas, brevi se integrum sistet, & Patrocinio Tuo dedicabit cum Authore in Te observantissimo. Literas meas tam negligenter, & sine sapore scriptas abs Te asservari, ut reddere mihi Gratulationem olim factam, quiveris, sperare vix, expectare nunquam poteram, quàm Tibi cum fœnore aliquando ex* Serenissimi Dn. Patris *indulgentia restituam. Nec ulterius Te detinebo, cùm alia Tibi sint, ubi ingenii aciem exerceas. Mihi in Tuo favore omnia sunt contenta, quem ætatem mihi præstes, quâ possum animi observantiâ precor. Vale.*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 8. Novembr.
1646. *Cliens humillimus.*

EPIST. CLX.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

QVoniam literis meis ad Te rursus iter patet, quas hactenus bellum interclusit, & intervertit, novâ resarcire diligentiâ constitui.

ſtitui. Inde non expectato ad nuperrimas reſponſo, præſentes deproperavi, partim tui ſtudio, partim etiam officio,& miſſione Hiſtoricæ Continuationis, & *urbis Furtenbachiæ* perfectioris ſchematis impulſus. Nam cùm agere me tibi gratias ſit æquum, eas diutius differre non ſuſtineo; hæc enim diligentia non grata tantùm erit, ſed ut cætera quoque, quæ huic libello deſunt, quàm primum licuerit, mittas, efficiet; Tibi autem faceſſere negotium indies non vereor, quia de tua in me voluntate ſecurus, nec gaudii expertem eſſe Te, mihi perſuadeo, ſi eorum, quæ probas maximè, cupidum me eſſe reipſa experiaris. Benè vale. Dabam *Guelpherbyti*, 10. Novemb. Anno 1646.

Rev. T. Dignit.

Obſervantiſs.

EPIST. CLXI.

Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps, Domine longè clementiſſime,

Andem meas per anfractuoſas licèt vias ad Te uſque penetraſſe, Tuasque viciſsim obtinuiſſe, cùm inſigni mihi voluptati, tum in publicis malis, & domeſtico dolore meo, ſolatio fuit. Neſcire enim non potes, quo in luctu verſer, ob Sauberti *mei, cujus unum nomen plurima amica, & neceſſaria continet, properum obitum,*(2. *Novembr.* 1646.) *qui omnibus bonis, & rei Chriſti amantibus luctuoſus eſſe debet: Mihi verò inprimis, ut qui jam à viginti duobus annis* (1624. *menſe Iunio*) *iſtum habuerim,& amicum ſuaviſsimum, & ſocium ſtudiorum conjunctiſsimum, & agonum*

Chri-

Christianorum parastatam fortissimum, & adversitatum complicem constantissimum, & commodorum participem integerrimum, quæ vincula nos per varias fortunæ vices arctius subinde constrinxerunt, tandem etiam liberos utrinque nostros (1643. 19. *Iunii*) *conjugârunt, quo ablato, omnis mihi porrò vita tristis duraque videretur, nisi Vestro favore, qui unus terrenorum commodorum, subsidiorumque apex, terminusque est, suffulciretur. Ac* illum *quidem beatus, ac ut ad me à fidis testibus perscriptum est, inter Angelicos intuitus, lætus obitus malis cum præsentibus & præteritis, tum venturis exemit, & in tutum reposuit*, me *verò tot luctis exercitum, plagisque fessum, tum corpore etiam ægrum, & fatiscentem alia & alia certamina expectant, ad quorum cogitationem, malorum non ignarus, cohorresco.* Publica *insuper* noſtra, *post tam frequentes* pacis *elusiones, & tristissimam rerum præsentium faciem, nos totos exhauriunt, lentâque tabe conficiunt, quod Mortis genus Medici* moleſtiſſimum *judicant. Nunc etenim post* armiſtitium, *si quod futurum est*, Combibones, & Comedones *importunissimi nobis imminent, quibusque hyemem transigamus, & æstatis, autumnique durissimos labores comburamus*; Auguſtani *quid pertulerint, ab aliis haud dubio accepisti, & tamen atrociora jam metuunt ab iis, qui se* amicos, & auxiliares *jactitant. De* Veſtro *in communem firmamq; salutem Germaniæ* ſtudio *sincero, & pervigili, fortique operâ ecquis dubitet? Nos tamen, ut ille ajebat*, Medicorum multitudo perimit. *Sed quò me abripit æstus? Tibi potius* Illuſtriſſime Princeps, *fratriq; incluto* Antonio Vlrico *gratias dicam quàm maximas, qui & literis elegantissimis & artificiosâ industriâ fermentum hoc, in quod seculi calamitate & patriæ meæ desolatione conjectus sum, detergeatis,*

geatis, & ut respirare, imò & recreari interdum liceat, efficiatis, cujus pretium, cùm omnes meas facultates longè excedat, fons ille gratiarũ *omni felicitatis genere, uberrimè rependat, in quo Valete, favituri porrò*

Ill. Celf. V. V.

Stutg. 25. Novembr. 1646. *humillimo Clienti.*

EPIST. CLXII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

PAucioribus nunc tecum agam, quia ád plures meas vel jam respondisti, vel respondere paras. Nec enim obruendus es, qui tempus multò rectius collocare, quàm in scribendis literis id genus, vales. Vnum ex gratissimis Caput, quod de *peregrinationibus* Tuis est, ut penitius inhæsit animo, ita reassumere in istis visum est. Ac te earum nec pœnitere nunc, neque pigere facilè assentior, qui talem ex iis fructum retuleris, atque ubivis locorum sanctè & coram Domino ambulaveris: Existimo enim *Vitæ* quondã *innocenter* actæ memoriam validissimum senectutis esse sustentaculum, ut locorum faciem quantumvis mutes, malè consultorum, & perperam admissorum conscientia atque imago subinde, inquieto animo recurrit. Quòd autem literas, quas hactenus ad Te, jubente Celsiss. *Dn. Parente meo* dedi, dignas judicas, quæ *typis* aliquando cum Tuis excudantur, ut de Tuis assentiri possim, meas tamen quod attinet, planè à Te dissentio. Sunt enim pueriles pleræque, ac animi

animi magis & exercitationis causâ depropera tatæ, quàm gloriæ captandæ, & publico inserviendi studio conscriptæ. Quare cùm in tanta librorum omnis generis hodie copia, nihil publicari oporteat, quod non limatissimum, & undiquaque elaboratissimum sit, utut satisfaciam Tuo affectui, aliorum tamen maligna, aut severiora judicia formido. Et quamvis Tua me hac in re satis tueatur authoritas, vix patiere tamen, fabularum simplicitatem, quas familiaritati hactenus tribuimus, vulgari, & nobis velut interverti. Vale & salve *Vir Clarissime,*

à *Rev. T. Dign.*

Guelpherb. 1. Decemb.
Anno 1646. Observantiss.

EPIST. CLXIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Etsi dura sunt apud nos, tristiaque omnia, ac morbus meus aliquandiu remissior, recruduit, tamen silentio Tuo nihil mihi est durius, non equidem ab animo alieniore, sed quovis alio impedimento profectus, quod utinam non sit cum Vestro incommodo conjunctum; Tertius Novembris fuit, cùm ultimas Tuas dedisti, quas 21. ejusdem accepi, interea annus mihi periisse visus est, quo literariâ dulcedine, quam ex Tuis capio Elegantiis, carendum mihi fuit. Vix diligentius Pater Tobias *supputabat dies reditus filii, aut Mater* Hanna *foras circumspiciebat de adventu ejus, quàm ego veredarium operior, delicias meas ferentem.* Augustanum Iter *planè interclusum est;* Vlmam *itur atque*

atque reditur, sed cum magno periculo; Noribergam *non nisi per ambages. Nostræ viæ diversorũ armorum stationibus, velitationibus & excursionibus, omnes sunt infestæ. His malis premimur, sed longè magis metu, ne* Pacis compositio *evanescat, nimbo calamitatis publicæ haud dubio in nos exundaturo, & desævituro. Atque sic nobis* annus *inter spem metumque, malorumque & bonorum vices transactus, cui ut mitior, meliorque succedat, Deum arduis precibus fatigemus: Scio tamen non semper* Ecclesiæ *prodesse Halcyonia, ut quæ exercitio fameque crescere, sagina & otio deficere sueverit. Itaque* Christum *precemur, suas res ipse agat, qui jam olim per carceres & vincula in libertatem emersit, per cruces & mortes ad vitam, per opprobria & infamiam ad gloriam rediit. Tibi verò*, Illustrissime Princeps, *fratribusque inclutis & Toti familiæ annus proximus illucescat ad corporis, animi, fortunarum, floris & virtutis incrementa, longè auspicatissimus, quo Majorum Vestrorum famam, & patris recentius incomparabile exemplum, non attingatis tantùm, sed & transcendatis. Mihi verò Deus Vos ut salvos diutissimè, ita faventes & propitios æternùm servet. Valete.*

Ill. Cels. V. V. V.

9. Decemb. 1646.

humillimus Cliens.

Nobiliss. & Clariss. Moderatoribus & Informatoribus Vestris annum succedaneum quàm felicissimum precor, & officia paratissima defero.

EPIST.

Epist. CLXIV.

S. P. C.

Et Anni insequentis felicitatem.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

NOlo Te literis meis obtundere, quarum jam tres his præmisi, nondum abs Te repensas, sed nec votum auspicatioris post hunc, anni repeto, quod ante octiduum pro Te calidius fudi, certus rata à Deo haberi, quæ ab integro animo, & devoto proficiscuntur. Furtenbachianam ideam *per intutas vias, salvam Te accepisse, valde lætor, ne authori, Viro ingenuo & industrio, de Te benè merendi, & studium suum probandi, opera perierit.* D. VVagneri *libellum*, Tibi, & Principi meo Ioh. Friderico *destinatum, integrũ & compactum, nuper ad Te misi, elegantioris ligaturæ aliud exemplum, cum pagellis adhuc deficientibus brevi submissurus. Rectè verò intelligis mihi gaudio, atque summo esse, Te cupidè ea accipere, quæ à me studiosè, & obsequenter ad Te proficiscuntur, quod ut porrò, quâ es generositate, facias, gaudiumque hoc magis magisque perficias, omni observantiâ rogo. Vale & fove*

Illust. Celf. T.

Stutgard. 17. Cal. Ianuarii Anno 1646.

humill Clientem.

Epist. CLXV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

Tuas sub anni exitum 25. Novembr. scriptas accepi, ob amissum, aut verius præmissum *Dn. Saubertum*, & temporum calamitates, patriæque Tuæ desolationem, certè mœstissimas. Neque valetudinis adversa retices, quam ex concatenatorum malorum cogitatione, & desperatione remedii Tibi quotidie ingravescere, haud difficulter credo. Ac Beato *Dn. Sauberto* casibus & adversis nostris exempto Tecum simplicius gratularer, nisi Christianæ rei damnum, quod è præmaturo optimi & religiosissimi Viri, (quem *Illustriss. Dn. Parens meus* magni, merito suo, semper fecit) obitu capit, ut omnes bonos, ita me quoque afficeret, optare magis & precari rectius videtur, ut Te tuique non absimiles, fidos & probatos Verbi sui præcones, in fœda hâc mundi fatiscentis colluvie, electis diutissimè Deus velit esse superstites; Quod sane animitus facio: idem facturi sunt omnes, quibus religio & pietas cordi, quique non ignorant, quam necessaria sitis illarum instrumenta & sustentacula. *Patriæ* verò repetitam *devastationem* ex animo lugeo, hortor tamen & rogo, non publicam tantùm calamitatem, sed & quod ex eâ sentis domestꝭcum incommodum constanter perferre, & malorum aliquando finem expectare contendas. Nec enim *spem Pacis*, quamvis eludant, qui bellum malunt, amittimus. quæ enim tot annis involuta sunt, & velut inexplicabili nexu implicita Regnorum, Rerumpubl. & populorū negotia, tem-

pore opus habent: quò expediantur & extricentur. Notæ sunt rerum vices, Omnibus inesse quendam velut orbem jam prudentes olim adnotarunt: Atque utut infausti fuerint hactenus Germaniæ plures anni, *feliciorem* spero, quem *brevi* auspicabimur. Feliciorem inquam Reip. privatis domibus, singulis. In cujus beneficii jucundissima expectatione finio, & protectioni Te divinæ commendo. Raptim, *Guelpherb.* 28. Decembr. 1646.

R. T. Dignit.

Observantissimus.

Epist. CLXVI.

Qvintum & ultimum epistolarũ *Melanchtonis* tomum, quem *Reverende & Clarissime Vir*, Illustrissimo Dn. *Parenti* meo dedicare voluisti, accepi, & tam ex præfatione, quàm lectione quarundam epistolarum intellexi, Te erga Illustriss. Dn *Parentem & me* optimè adhuc, uti hactenus fuisti, affectum esse, quamobrem Tibi gratias ago, & fateri cogor, hac editione historias illius temporis haud parum illustrari. Ac sicuti *Melanchton* apud omnes ob scripta sua laudatur, ita & Tu laude dignissimus, qui ejus jam editos libros non tantùm quàm plurimi facis, sed & iis *vitam* dare voluisti, quos injuria temporis nobis intervertisset. Hunc Tibi laborem honore, amore & re ut remunerentur, qui de eo rectè judicare norunt, exopto, Tuoque favori me commendare pergo Vale. *Guelph.* 21. Ap. 1646.

Tibi amicus

RVD. AVGVSTVS.

Reverendo & Clarissimo Viro, Dn. Iohanni Sauberto, *Noribergensi Antistiti &c. Dilecto nostro.*

Cum

III.

Cum Pr. ANTHONIO ULRICO, EPIST. CLXVII.

Plurimum Reverende & Clarissime Domine Doctor Ioh. Val. Andreæ,

TOt bonis *repuerascens noster Annus* Tibi vernet, intimius voveo, quot florum gemmulis repente Vere conspici prata solent, & conseri. Nimirum, post diuturnius, quàm solebam, literarum silentium, hasce daturus, *Voto* ordiri me jussit, & mensium decursus, & animus in Te meus, ut fas est, propensissimus. Quid enim aliud possem, quàm amore amorem remetiri? *Amorem* autem, quem non tam remetior, quàm cordicitus veneror. *Memoriam* Tui recrudescere, [quæ tamen nunquam apud me callum obduxit; nunquam, dum spiritus traham, obductura] voluisti dono, (pro quo Tibi gratias debeo ingentes) omni arbitratu elegantiori, & ob idipsum omni alio mihi gratiori. Sed, dum uno obtutu in sculpturâ adcuratissimâ defixus hæreo, facilè in eam sententiam accingor, *Donum de Datore* quasi loqui, & me, ut non à manu chariore, ita ne charius quicquam fore nacturum. Mactè autem eo in me affectu tenerrimo; nec aliquando officiis priorem certâsse pœniteat. Vale.

Reverent. Tuæ

Dabam *Guelpherbyt.*
d. 11. Jan. 1646. Obligatissimus.

Epist. CLXVIII.

Reverendiſs. & Illuſtriſsime Princeps, Domine longè clementiſſime,

Calami Tui infrequentiam, cælum tuum abundè compenſavit, in quo ſtudium & operam feliciter poſuiſti, cujus aliqua ſpecimina Sereniſs. Dn. Pater, *mecum communicavit, quibus plurimum ſum delectatus, meique putavi officii, ut ſi qua rariorum* Artificum, *quorum facilè* Princeps *noſtrâ ætate* Rubenius *fuit, opera in manus meas inciderent, ea juvandis generoſis conatibus Tuis, ad Te transmitterem, quod equidem frequentius facerem, niſi locorum diſtantia, viarumque pericula difficiliorem translationem redderent. Interim de illa generoſi animi Tui facilitate mihi gratulor, qua levidenſia munuſcula mea non aſpernaris, nempe intelligis per hæc ſimulacra, animum meum Tibi exponi, ut maximis meritis* Dn. Patris *obnoxium, ita incrementis* Domus ſuæ *omnibus votis, & officiis dedicatiſſimum. cuiq; in terra felicius contingere nihil, quàm Virtutis & in me Clementiæ hæreditaria continuatio, queat, quæ* Chriſtus, *ut annorum, ita benedictionis & felicitatis progreſſione, longâq; ſerie ubertim compenſet. Vale* Illuſtriſſime Princeps, *ac niſi moleſtum eſt, calamo cæloque Tuo alternatim me bea, favens*

Rev. & Ill. Celſ. T.

Stutgard. 28. Ianuarii 1646. *humillimo Clienti.*

EPIST. CLXIX.

Admodum Reverende & Clarissime
Domine Doctor Ioh. Val. Andreæ,

LIteras tuas, quovis melle mihi dulciores, cum voluptate legi, & gratulantem te mihi, & Dnn. meis Fratribus, de felici *Dn. Parentis nostri Clementissimi & Amantissimi Natalis* repedatione percepi. Nimirum verò tuus in nos, quem foves, amor nova semper tibi indicia suppeditat, quibus in obtutum nobis dare eundem possis quàm luculentissimè. Habe autem tibi grates maximas, pro impensissimo & affectus & voti indè illiciti donario. Tu me non adeò degenerem reputare, quod scio, induceris, quin facilè voto huic absolutissimo sim subscripturus. Præterquam enim, quòd cultus debitus, quo Clement. & Amantissimo Dn. Parenti meo sum obstrictissimus, & emolumentum etiam proprium, quod diu superstite *tanto* Iuventulæ meæ *Numine* mihi perennabit, hoc mihi præcipiat: Tuo exemplo monitus mihi videor, ut qui in veneratione ejus Celsitud. certare mecum, imò palmam quoque mihi præripere non nihil audes. Illud utut sit, viriculæ meæ me non deterrebunt, quin in hoc certamine, si non effectu, saltem affectu & voluntate, vinci piaculum putarem; Salvo tamen utriusque nostrûm certamine. Interim tuis me, quod soles, scriptionibus delectare pergas, rogo. Vale.

Tuæ Rev.

Dabam *Guelpherb, in arce* d. 21. Apr. 1646.

Devinctissimus.

Epist. CLXX.

Reverende & Clarissime Domine Doctor Ioh. Val. Andrea,

ARdentiori in me amore Tuo semper fit, ut nunquam ad respondendi munus accingar, nisi Gratiûm debito tibi obstrictus, quas referre me iubes *Donariis* tuis elegantissimis. Elegantes autem adeò sunt eæ, quas nuper misisti, cælaturæ, ut in eis pascere jam dum & oculos & mentem consueverim. Iam me tenent *Labyrinthi* involucra intricatissima, jam *hortorum* apparatus amœnissimi, jam *fontium* eructationes artificiosissimæ, maximè tamen eorum *montis* Decalogi sanctione & Numinis frequentia olim celebris, hodierna inhabitatio, quæ omnia tamen si propius, & reipsâ intueri liceret, quin adspectu longè gratissima forent, nullus dubito. Vtut sit, gratias habeat *T. Rev.* pro talium exhibitione, quæ spectatorem typo & imagine movent, magis motura corporum ipsorum intuitu. Cæterùm amoris perspicillis te erga me uti, facilè persentisco, qui in nuperis, manus eas artifices nuncupas, qua rudi penicillo levia quædam chartis solent appingere. Equidem veneror judicium *T. Rev.* in conatibus meis: ab eo autem persuaderi me non patiar, ut de meis talia cogitem, qualia tu prædicas. Mihi etiam gratulor de *Conamine isto Poëtico*, quum non inelegans doctissimo palato tuo visum sit. Tu verò stimulasti me, ut continuare talia, posthâc nihil erubescam, duce præsertim in hoc non infelici Præceptore meo, à quo officioso cultu resaluraris. Vale. Dabam *Guelpherbyti*, 9. Iunii, 1646.

T. R. Addictissimus.

EPIST. CLXXI.

Reverende & Clarissime Domine Doctor,

TAndem, quod diu feci, calamum frenare desisto, & silentio meo metam pono, quod fermè Pythagoreum tibi visum forte. Solet usu venire iis, quibus literarum longa sit intercapedo, ut per istud otium, materiarum scribendi acervum accumulent, atque ita tarditatem prolixitate compensent satis superq;. Tali cùm & ego otio aliquantisper indulserim, effusius mihi in literarium huncce campum excurrendum putem, & validissimis argumentis utendum, quo te, nihil hactenus *Amorem* in Te *meum* Tui observantiorem decrevisse, persuadeam. Sed quid opus eorum? nosti tu mentem meam, novi tuam: nempe uterque utramq; in amore reciproco semper invariabilem novimus. Quid ergò scribam? scribam, ut rescribas. Sed ipse scis, manum Tuam mihi exoptatissimam, & doctricem esse, scis etiam pro otio tuo Tuis me oblectare. Hoc ergò scribam, *ut benè valeas* & *mei memor* sis. Vtrumque in votis habeo, non ignarus, te valente, multa, quæ in Te sita sunt, valere ingenii invidendi pervigilia; & te mei memore apud Deum meum etiam mei memoriam non delevi, quod suspiria Tua juncta meis non patientur. Vale & sospitare

T. R. D.

Dabam *Guelpherbyti,*
d. 8. Sept. 1646.

Devinctissimo,

EPIST. CLXXII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

E*Tsi verecundiæ meæ nunquàm fuisset, literas Tuas exigere, tamen quòd non rogatus, ultrò eas ad me dederis, quàm honorificæ sunt eæ mihi, tam fuerunt acceptu longè gratissimæ. Ac utinam aliquid ab artifice Tua manu ac cœlo addidisses, quo soleo oblectari mirificè, & de profectibus exindè Tuis quantum quidem mihi fas est judicare. Cl. Viro,* Dn. Schottelio, *Studiorũ Tuorum duci de felicibus* nuptiis *ex animo gratulor, & quòd iis, cum* Illustriss. fratre maximo *ornamento fueris, valdè probo, fidei, solertiæque Viri, & literis ipsis hanc à Vobis gratiam & pretium esse factum, quod in* exemplum *hoc infesto Musis seculo, eat velim. Quantò enim hoc generosius, quàm ubi bonæ literæ non tàm squalent, quàm sunt* possessoribus invidiæ *&* damno. *Scilicet ubi imperitia imperat,* artes liberales *indignè serviunt At Vobis hunc animum Deus servet, ut Magni Patris imitatione eruditis supersint* Nutricii *&* Tutores, *qui jam magnam partem apud Germanos in* Martis *ferociam, fastiditâ* Minervâ, *degenerârunt.* Eustachium *Dureri, nuper Tibi dono missum, qui inter summi Artificis opera antecellit, accepisse Te crediderim; Nunc alia Tibi oblectamenta apud me parata sunt, quæ idoneum Bajulum expectant. Videor enim mihi fomenta igneo Tuo ingenio, & ad omnia versatili debere, quòd ea in Reip. usum redundatura facilè credam, non enim, ut blandiar tibi, aut me insinuem, sed ut profectus tuos qualicunque opellâ meâ juvem,*

id

id mihi omni contentione ambiendum & curandum puto. Vale flos Principum, *& fave*
Ill. Celſ. T.
Stutg. 8. Novembr.
1645. *humillimo Clienti.*

Epist. CLXXIII.

Fortunam reſpicientem!

A Quo primùm Nomen meum Tibi innotuit, *Vir admodum Reverende, Clariſsime,* nullus, credo, dies abiit, qui me Tibi aliquo pacto non devinciret; Beaſti me iterum novo munere, *ſculptura* magis quàm æneâ, inſignis illius *pictoris Norici,* quod litera A. D. ad Baſin initiali incarceratâ innuit, cui facilè nihil deeſſe crederem, niſi ut Zeuxis aut Parrhaſius, aut alius aliquis, cui æquè prona favet Minerva, colores adderet, & nativam formã: Vtinam poſſem verbis declarare, quàm gratum acciderit; *benè de me, benè de re pictoriâ meâ meritus es*, cui nunc eadem quoque addita & recondita, ut inſigne ornamentum & amoris erga me tui luculentum teſtimonium, propter quod non levia me Tibi debere profiteor, ſed animum viciſſim exponas velim, quo me Tibi profuturum cenſes, de gratificandi voluptate, quâ ardeo, nullus dubita, ſed me Tibi addictiſſimum crede. Dabam currente calamo, d. 10. Nov. qui B. noſtro *Luthero* natalis, *Martino* autem Papæ emortualis fuit.

T. Rev. Dignit.

Obſervantiſſimus.

Salutem à fratribus chariſſimis addo, qui *Rev V. Dignit.* crebriores expectant.

EPIST. CLXXIV.

Benè Te!

FVnestus fortasse tibi non ita pridem advenit nuncius, *Vir Clarissime*, de obitu Beatissimi *Dn. Sauberti*, Amici nostri maximi, quem vehementer & ex animo tecum, uti par est, dolemus. Quid ominabimur? scilicet abeuntibus magnis literarum Atlantibus reditura *Gothica* illa, & *Hunnica* secula: quæ jam olim orbi terrarum, omnis elegantis doctrinæ, & ingenuarum artium omnium oblivionem invexerant. Nec est, ut voluntatem Dei Opt. Max. luctu & consternatione nostra multis sollicitemus: Arcum ille intentat, nos thoracem ponamus, & pervium vulneri pectus ostendamus. Petis, ut aliquid manu meâ elaboratum tibi mittam, quod non ita pridem à me factū, sed valde vereor, num ob lineas minus concinnè ductas, audeat subire conspectum tuū. *Sculpturam* illam attificiosissimi *Düreri*, uti in proximis quoque perscripsi, manu non minus obviâ, quàm lætâ & lætissimâ dudum accepi, & ut verum fatear, primo intuitu non satis cognovi *sanctum illum Venatorem*, qui coram *bestiâ* complicatis manibus, inque genua prostratus jacet. Quid de honore & submissione illa statuendum? miratur fortè, quòd *Christus crucifixus Cervo è capite* enascatur, cùm multi sint Christiani, quibus nunquam in *cerebro*, rarius in *corde*, vel in *ore* pullulare soleat. Ita omninò mihi videtur, quis tuus super hac re animus sit, mihi communicare velis. Interea cum omnibus Tuis quàm optimè Vale, & me tibi commendatum habe. Dabam, paulò celeriori calamo, die 7. Decemb. 1646.

Clarit. T. Studiosissimus.

EPIST.

EPIST. CLXXV.

S. P. C.

Et Annum sequentem auspicatissimum.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

FOrtunam respicientem *mihi precaris, ego* Ianum *auspicato* aspicientem *Tibi reprecor; Illa patriæ meæ & his terris quàm maximè opus. Hunc utinam pacem nobis referentem intueamur, Ecclesiæque sub oneribus fatiscenti halcyonia reducentem, queis absque sit, mors ipsa, omni vitâ sive perpetuo languore præstabilior censeri meritò possit. Tibi verò, ut animi, corporisque incrementa, ita ingenii & solertiæ, quibus quàm maximè jam emines, augmenta feliciter addat, & qualem omninò futurū auguror, ad perfecti Principis apicem, suo progressu promoveat.* Eustachium *Düreri, si non à meâ, certè summi artificis manu non ingratum Tibi fore, facilè divinare potui, in quo Viro illud mirandum est, quòd ex rudi & barbaro seculo primus Germanorum, non tantùm artis suæ perfectione; ad Naturæ imitationem emerserit, sed nec secundum post se reliquerit, omnibus ejus partibus, scalptura, sculptura, statuaria, architectonica, opticâ, symmetriâ, & similibus ita absolutis, ut nisi* Mich. Angelum Bonarotum, *Italum, coævum & æmulum suum, parem non habuerit, iis operibus, (quorū maximam partem olim possedi) post se relictis, quæ unius hominis ætatem facilè superent, & paupertate in frugali etiam vitâ, perpetua comite. Hunc Itali hodie plurimi faciunt, nobisque succensent, qui domestica nostra bona & ornamenta non agnoscamus,*

mus. Sed hæc Tu Generose Princeps *acutioribus oculis, facilius judicaveris, & artifice calamo vel cælo solertissimè imitaberis, ac utinam ex Te aliquando elaboratius quid majoris formæ, ac sacræ alicujus historiæ accipiam, quod inter Cimelia mea reponam, ego verò strenulâ aliquâ, quam jam Tibi, illustribus fratribus, dum occlusæ viæ reserantur, paro, utcunque rependam. Sed amplius sum progressus, quàm volui, nec enim interpellare meliora Tua studia me decet. Vale* florentissime Princeps, *& ad optima & summa Herculeo gressu enitere, ac fave.*

Ill. Cels. T.

Stutg. 16. Decembr.
Anno 1646. *humillimo Clienti.*

Cl. Viro, Informatori Tuo cum voto felicissimi anni, studia mea, & officia defero.

IV.

Cum Pr. FERDINANDO ALBERTO.

EPIST. CLXXVI.

Reverende admodum & Clarissime Dn. Doctor Ioh. Valent. Andrea,

Diutinæ jam dum nobis intercesſêre induciæ ſcribendi, de quibus nuper felici omine à Te intercapedinatis mihi impensè gratulor. Fecisti equidem, ut soles, nempe, inviſere me *literis*, ſemper tamen aliquo *Donario* capſulas meas, quæ magis in oculis mihi ſunt, ditabundus, *Ieſuli nostri pueritiam*, ſculptìm delineatam, mihi transmittis, quæ quidem

dem in se, (ut omnia, quorum possessionem Tibi debeo) charum mihi est: ob id tamen magis, quia tacitis me monitis stimulant, ut ego quoque *Sapientiâ, ætate* ac *gratiâ* coram DEO ac hominibus corroborari me adlaborem, in eo faustus Iesuli nostri imitator extiturus. Pro quo autem, quas par est, Gratias ago, spondens obedientiam in talibus, & similibus monitis, quibus ætatulam meam ulterius, rogo, fulcias. Cæterum felicitatis omnigenæ votum, in *anni* hujus incunabula, retribuo, & Iuventulam meam Informationi Tuæ observanter subdo.

Rever. Tuæ Dignit.

Guelpherb. 11. Ianuar. 1646.

Obstrictiss.

EPIST. CLXXVII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine clementissime,

QVò *tardiores literæ Tuæ, eò dulciores mihi fuêre, tanquam post longam sitim, sapidissimæ. E quibus etiam hoc commodi mihi accessit, ut post aliquam moram, Tuorum in Studiis provectuum, evidentius specimen, capere potuerim, de iisque confidentius Tibi gratulari. Macte ergò* Dulcissime Princeps, *his incrementis, & quod ex strenulâ meâ (quam non ingratam, sed etiam utilem Tibi fuisse, multum gaudeo) proposuisti,* Iesulum *referre pietate, obsequio, modestiâque, sub auspiciis* Sac. Spiritus *& monitorum Tuorum stimulis annitere. Ita felicem habeas non hunc tantùm, quem ingressi sumus, annum, sed quotquot florenti ætati Tuæ propitius DEVS addiderit,*

quibus longævum Dn. Patrem *Virtute & famâ exæques aut superes. Vale* humani generis deliciæ, *& cresce, ac mihi fave*

Ill. Cels. T.

Stutg. 28. Ianuarii,
Anno 1646. *Clienti humillimo.*

Epist. CLXXVIII.

Admodum Reverende & Clarissime Dn. Doctor Ioh. Val. Andreæ,

SI nulla alia mihi causa restaret, ex tuis literis mihi delicias parandi, certè hæc satis prægnans esset, quòd semper illæ refertæ sunt specimine amoris in nos Tui exquisitissimo. Nuperæ, in quibus *Clem. & Amantissimi Dn. Parentis Natalitia* devotioni nostræ propinas, satis expressè de te loquebantur, nempe, multos quidem in Celsitud. ejus tum laudes, tum salutem, & manu scribente, & animo votante certatum ire, omnes autem à T. Rev. multis parasangis post se relinqui. Cui dicere volupe est, illum nec verba, nec dicendi spatia fugiunt. Ita nec Tibi de *Clem & Amant. Dn. Parente* vota dare gestienti, unquam occasio deest, nedum verba. *Verba* autem, quæ pro nervis, quibus pollent, & mentem & oculos quodammodo rapere, & in dulces moras vocare videntur. Quod non ita pridem de augustissimo isto Natali *Carmen* conscripsisti *tersissimum*, literæ tuæ in aliâ quasi scenâ, habitu duntaxat mutato, exhibere nobis visæ: etenim quæ antea vota in *publicū* dederas, Mundo crebrò repetenda, ea demum nobis *privato* literarum colloquio iterare animus fuit, ne &

nobis

nobis deesset monitio inculta stimulabunda. Quamvis autem nos nunquã debiti nostri oblivio capiat, per te tamen quæ debemus, facilius solvimus, dum solvendi ratione tuo exemplo docemur. Interim cùm non in aurem me monueris, pro voto isto, & voti stimulo, semper me habebis

T. R.

Datæ *Guelpherbyti in arce*,
21. April. 1646. Obligatissimum.

EPIST. CLXXIX.

Reverende & Clarissime Domine Doctor,

MVltum me juvant *Literæ* tuæ, quippe quæ nitore suo semper doctiorem me remittunt, multum autem me etiam delectant *Munuscula* tua, quæ semper talia sunt, ut diu & manibus & oculis eas usurpare, & versare coger. Ea ipsa, quæ nuper misisti & nunc in manibus meis hærent, & me jubent *Tuæ Rev.* gratias quàm maximas agere pro amore tali, qui & utilis & jucundus mihi semper vernat, etiamsi in seipso exoptatissimus mihi quoque contigerit. Gratias etiam quàm plurimas insuper Tibi debeo pro voto devoto, quod in *meos* etiam *Natales* expectorare voluisti, quàm enim Pietati Tuæ & Devotioni plurima tribuam, multum etiam valiturum votum istud in aure Dei confido. Quam & ego, loco retributionis, votis tuis ac commodis propitiam maximè opto, & optatam spero. Interim *Scriptionibus Tuis* me informare & dele-

delectare constanter pergas, rogo Vale. Dabam *Guelpherbyti*, 9. Iunii 1646.

T. Rev.

Devinctissimus.

EPIST. CLXXX.

Reverende & Clarissime Domine Doctor,

REdeamus denique in consortium literarũ, quod diu jam intermissum animadverto. Ego nolui hactenus injurius esse in negotia Tua severiora, & ea intercapedinare literis. Scio enim, & mecum non exigua pars Mundi, quantus Tu sis in Tuis otiis negotiosissimis, ingenii nimirum, quod, quando genio Tuo incalescit, mirum est, quas Tu Mundo delicias cœlicas paras, mixto *Præceptorum vitæ* sale uberrimo. Vtut sit, non imperare mihi possum, quin aliquod tempusculum tibi subfurer, lectioni literarum harũ impendendum: Quibus Tuæ R. apud animum meum memoriam, tibi itero, quàm si Tu hinc, quod soles, mei facias, amoris nostri jucundissima resonabit Echo inter nos. Neque verò, quando nihil ad Tuam Rev. perscribo, Tui sum immemor: Memoriam autem Tui tibi propinare, & mei tibi commendare literis, quid æquius putem? Addo quòd hæc confessio mihi sit pro epulis; cui si Tuam Tu addideris, felix audiam. Vale & me amare perge.

Dabam *Guelpherb.* die 8. Septembr. 1646.

Tuæ Rev.

Observantissimus.

EPIST.

EPIST. CLXXXI.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

QVotiescunque ad Illustr. fratrem Tuum Rud. Augustum scribo, Tibi eâdem operâ scripsisse, & omnia mea cum piis votis detulisse videor. Tibi verò pro incredibili in me affectu hoc non satisfacit, nisi peculiares ad Te meas provoces, & elegantissimis tuis literis prolectes. Vis nempe literarum inter nos mutuum Echo resonet. Placet conditio, sed eâ lege, ne alium pro Te mihi substituas magis vocalem, cùm Tuâ voce, Tuâ inquam, nihil mihi sit amabilius. Memineris autem senes sexagesimum supergressos, minus sonoros esse, & lateribus valere, Tuæ verò voci, quotiescunque volueris, quâ potero, contentione respondebo, quas enim delicias mihi vel imago corporis Tui, ad parietem exposita, vel character animi, in chartis expressus, pariant, nunquam explicavero. Scribe igitur Dulcissime Princeps audacter, nunquam respondentem, dum Tibi id probari videam, fatigaturus. Quàm verò Te amem, & colam, brevi munusculo aliquo levidensi, quod sciam, mea non ingrata esse, testabor Vale, & nisi molestum est, studiorum Tuorum conductorem ex me saluta,

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 8. d. Novembr.
1646. *Cliens humill.*

EPIST. CLXXXII.

Salutem Solidam!

ITa omninò putavi, *Vir Clarissime*, fore, ut incomptis meis negotia Tua gravissima interturbarem, & non sine impedimento eorum

rum

rum maximo, ad responsorias crebriores Te prolectarem. Verùm concedas in hoc aliquid ardori & audaciæ juvenili, quod paulo vehementius eos nonnunquam afficere solet, qui ab eâ quoquo versum sese abducere sinunt. Efflagitas subinde *vocem*, vocem non sublestam, sed claram, & ad aures propter mutuũ inter nos Echo resilientem, vocem non alterius, sed meam. Ast mihi concedas hîc aliquid velim; Omninò enim mihi persuadeo, ut si quàm *altâ* potero *voce*, clamavero, vix tamen propter locorum distantiam nimiam me exaudire possis: En tibi interea *manum*, *mentemque* ad omnis generis promptitudines paratissimam, quæ tibi tuisque faustissima quæque precatur, & quàm pulcherrime valere cupit. Dabam die 7. Decemb. Anno 1646.

Clarit. T.

Studiosissimus.

A Studiorum nostrûm Ductore charissimo plurimam vicissim Tibi salutem nuncio, qui se quàm officiosè Clar. Tuæ commendat.

EPIST. CLXXIII.

S. P. C.

Et felicissimum succedanei anni auspicium.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

CVm jam aliud nihil sit, quod feram, bona *tamen* verba *me sub adventum* novi anni *me Tibi debere facilè intelligo. Qui verò meliora* *adfe-*

adferam, quàm ut, *cùm* feliciter *natus sis*, felicius *progrediaris*, *&* felicissimè *ipsum* Virtutis culmen *transcendas*, *Deum precer. Cujus cùm perfectum Exemplum in Vtroque Parente Tuo alii mirentur & venerentur*, *Tu verissimus possessor habes sigillum*, *quod nobilis ingenii Tui ceræ imprimas*, *& hoc aliis inimitabile archetypum exactè exprimas. Quod ut cum annis semper evidentissima sua incrementa habeat*, *& toto animo voveo*, *& omni studio officioq; meo humillimo prosequi contendo*; *sic* annus hic *commodè effluat*, *&* proximus *omni felicitatis genere Tibi affluat. Vale & fave*

Ill Cels. T.

Stutg. 16. Decembr.
Anno 1646. *Clienti humillimo.*

Postscriptum ad Pr. Rud. Aug.

Antequam has ablegassem, *aliæ Tuæ accesserunt*, 1. *hujus datæ*, *quibus denuò* meas *olim* excursiones *approbas*, *dehinc* publicationem literarum nostrarum, *quam meditor*, *prohibere videris*, *iis rationibus*, *quæ nequaquam Tibi*, *in arena fiorenti & conspicuo*, *sed mihi tantùm veterano*, *& flaccido*, *formidandæ sunt. Ego tamen vel cum infamiâ meâ*, *generosi & animi & stili Tui radios*, *prodire in publicum*, *& mereri apud posteros memoriam velim*, *quod ut patiaris*, *Tuoque Clienti ad extremum usque halitum dedicatissimo indulgeas*, *per incredibilem Tuam humanitatem & facilitatem supplex oro*, *cætera ex imperio tuo obsequentissimè facturus.*

Stutg 18. *Decemb*, 1646.

EPIST. CLXXXIV.

Illustrissime, Serenissimeq; Princeps ac Dn. Dn. Parens Cl.

Exilii præ gaudio, postquam mihi relatum, à *Cels. V.* benignissimè concessum fuisse, ut crastinâ, Deo volente, luce animi relaxandi gratiâ cum *Cels. Dn. Matre*, ad unum vel alterum temporis spaciolum, exspaciarer, quod animo quàm gratissimo agnosco, & diligentiâ consuetâ compensaturum promitto, cùm *reassumpto petaso*, (ut cum veteribus eruditis loquar) & *propitiis Vialibus* ad Lares ac Musas meas relictas rediero, interea *Cels. V.* protectioni Divinæ ardentissimis votis commendans.

Cels. Vestræ

obedientissimus filius

FERD. ALBERT.

EPISTOLÆ ANNI M DC. XLVII.

I.

Cum tribus Principibus.

EPIST. CLXXV.

Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principes, Domini longè clementiſſimi,

QVòd ſi omnis ad Vos ſcribendi materia deeſſet, hæc tamen, quæ ſeſe ultrò offert, omnium dignißima, mihi jucundißima, Vobis haud dubio maximè grata dici mereatur; Ea eſt X. Aprilis dies, quo circiter hæ meæ ſe Vobis ſiſtent, Auguſtus *nobis meritò, & ſeſtus habendus, qui Sereniſsimo Dn. Patri Veſtro* Sexageſimus Nonus *auſpicatò illuxerit; Cui cùm meritò &* Germanus *&* Chriſtianus *Orbis, ac* Literatorū *omnis Chorus applaudat, & acclamet, Veſtrum tamen hoc proximum ac peculiare bonum atque gaudium eſt, pro quo, quantum Deo Datori debeatis, per Vos ipſi intelligitis; Quantum enim præſidii, ſubſidii, & fundamenti in longævitate D. Patris, viridique & vivaci ejus ſenio Vobis repoſitum ſit, explicare vobis, planè ſupervacuum eſt. Nam quem Virum omnibus Cœli donariis, inſtructißimum, & motus Germaniæ, & vulnera Eccleſiæ, & hulcera rei Literariæ, & vitia ſeculi poſcant, ipſa triſtißima facies clamat, quem verò cum Incluto Patre Veſtro comparemus, habemus profectò neminem, ergò ut quàm diutißimè illum habeamus, omnes comprece-*

precemur. At quàm hoc gloriosum, post superatum Magnum Climactericum, demum enatam illustrem illam Harmoniam, *quæ Ecclesiæ Cœlum irradiet, splendoreq; suo impleat. Gloriatur Longævus ille* Cornelius *Venetus, se post octogesimũ ætatis annum, anterioris vitæ totius pensum utilibus magis & ingeniosis scriptis, cogitatis, actisq; superâsse: Quid de Patre Vestro non expectemus, cui hoc nobile opus intra annum, eumque turbatissimum & occupatissimum, excrevit, quod fatigare otiosum quendam potuisset.* Mart. Crusius *noster, vir infatigabilis, vastum suũ* Annalium Suevicorum *opus inter labores Scholasticos Sexagesimo tertio major, post* triennium *confecit. Quid si Dn. Patris scriptiones, sive* unius biennii, *sive* triennii *appendamus, uter superaverit? Cujus igitur Vita, tam ad res gerendas necessaria, tam ad consilia danda proficua, tam in rei Sacræ & literariæ usum fœcunda, tam in Exemplum conspicua, tamque Domui Vestræ gloriosa est, ut diuturna amplius sit, omnibus bonis summoperè exoptandũ est. Mihi quàm maximè, cujus vita ab hac* vitâ, *salus ab hâc* salute, *bona ab hoc* bono, *fama ab hac* famâ, *commoda ab hoc* COMMODO SECULI *nostri pendent omnia, & quem Terrenum meum Numen unicum agnosco, & profiteor, & colo, quod ut citra invidiam & æmulationem patiamini, nec ægrè feratis, Vestris votis & gaudiis, mea conjungi, diemque hunc solennem concelebrari, per Generositatem, & in me Clementiam Vestram supplex precor:* Christus *verò desideria &* Dn. Patris, & Vestra, & mea *impleat, qui vos sospitet, & beet. Valete & favete*

Ill. Celf. V. V. V.

Ex Seleniano 25. Martii, Anno 1647.

humill. Clienti.

EPIST.

EPIST. CLXXXVI.

Illustrissimi & Celsissimi Principes,
Domini longè clementissimi,

QVò profundius in ære Vestro hæreo, hoc difficilius me hac Victoris Christi in Cœlum Adscendentis *solennitate expedio, quæ inter literas Vestras, quas quinque unà accepi gratissimas, & sacrum studium meum, totum me dividit. Veniam igitur pro pietate, & generositate Vestra mihi dabitis, si respondendi officium Vobis debitum, plausui* gloriosæ Ascensioni *Triumphatoris nostri postponam, uberiore obsequio paulò post defuncturus. Nunc enim animo devoto revolvere lubet sacra illa nostra* deposita, *quæ Christus secum Cœlo, nostro bono intulit, fartaque tectaque nobis in adventum nostrum esse vult, vades, placarius, & designator à Cœlesti patre nobis constitutus. Nempe ibi habeamus Orientem ex alto, Luc.* 1. 78. *Consolatorem, Hagg.* 2. 8. *Refugium, Ioël* 3. 16. *Splendorem vitæ æternæ, Sap.* 7. 29: *Summum totius mundi, Psal.* 97. 9: *Regem regum, Apoc.* 17. 14: *Regem gloriæ, Psal.* 24. 7: *Caput principatuum, Col.* 2. 15 *Dominum gloriæ,* 1. *Cor.* 2. 8: *Ducem salutis, Heb.* 2. 10. *Paratorem sedium, Ioh.* 14. 2: *Faciem Domini, Ex.* 33. 15: *Imaginem Dei, Col.* 1. 15: *Pulcherrimum, Psal.* 45. 3: *Ornatum Dei, Es.* 35. 2. *Speculum divinæ virtutis, Sap.* 7. 26: *Auctorem & Consummatorem fidei, Hebr.* 12. 2: *finem fidei,* 1. *Pet.* 1. 9: *Arborem vitæ, Apoc.* 2. 7: *panem cœli, Ioh.* 6. 32. *vivam scaturiginem, Ier.* 2. 13: *Sponsum, Ps.* 19. 6: *Fratrem, Ioh.* 20. 17: *Hæredem vitæ æternæ, Heb.* 1. 3. *Redemptorem, Iobis* 19. 25: *Amicum probatissimum, Cant.* 2. 3: *Gaudium summum, Luc* 2. 10: *Caput, Ephes.* 1. 22: *mercedem magnam nimis, Gen.* 15. 1: *Divitias,*

Sap. 8.

Sap. 8. 18: *Thesaurum Iacob, Ier.* 51. 19: *Benedictionem, Psal.* 21. 4; *Sortem nostram & portionem; Psal.* 73. 26 *& quis fando explicet, quæ nobis* in uno reposita *sint* omnia, *ut meritò sordeat cum omni suo mundo immundus* Mundus, *talium minimè capax. Alubescant verò* sentes & tribuli, *per quos præeunte Christo ad tam* beatas sedes *est nobis perrumpendum, omneque studium nostrum humi attollat, & ad sublimia elevet ea beatitudo, quæ in triumpho Christi comprehensa est, quæ mea meditamina hodiernæ festivitati sacra communia esse Vobis,* Illustrissimi Principes, *putavi, ne vel expectationem literarum mearum Vos frustrarem occupatior, vel indigna oculis Vestris adferrem, turbulentior Valete ad summa quæque elevandi, dum Christus Vos Cœlo suo cum Sanctis omnibus reponat. Favete interim*

Ill. C C. C. V. V. V.

Stutg. ipso die Ascensionis Domini, 1647. *humill. Clienti,*

EPIST. CLXXXVII.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

SI præter elegantias nihil ferrent Epistolæ Vestræ, optandæ eæ mihi forent, ut quibus erudirer, & ex tali loco, qui mihi maximè venerandus profectæ, ultrò ambiendæ, tum comitatis plenissimæ, quæ demulcendæ temporis hujus amaritudini sint aptissimæ At quod in hoc flore ætatis cum annorum & fortunarum progressu maximæ in publicum utilitatis, in me verò privatæ gratiæ spem egregiam, imò fidem faciant, vadesq; se mihi sistant, id profectò, quanti mihi sit faciendum,

dum, & cum qua voluptate animi mei conjunctū, explicatu est difficilimum. Accedit indefessum Vestrum continuandi hujus commercii literarii studium, quod me fidentiorem facit, & per alacritatem Vestram, veternum meum ex situ contractum excutiam, ut vel insulsissimis chartis apparere, lyraque mea delirare non verear, dum tædio nondum fuisse satis intelligam. Pergam igitur audentius nugari, ut deliciis ex vestris literis perfruar uberius; Librorum *meorum Sarcinas advenisse apud Vos audio, oneri an additamento* Paternæ Bibliothecæ *famosissimæ futuras, incertum. Ex iis qui abundabunt, servitio Vestro destinavi, ac inprimis quosdam munusculo. Tibi quidem Illustrissime P. D. Rudolphe Auguste*, Chalinotlipsin Seuteri; *Reverendissime verò P. D. Anthoni Vlrice* Salvianum de Piscibus; *& florentissime P. D. Ferdinande Alberte* Lipsiana opuscula, *& si qui alii authores Patris Serenissimi judicio & arbitrio inter Vos distribuentur; quæ æquiore animo & fronte sereniore admissuri quin sitis, dubitare illa toties facilitatis & humanitatis Vestræ documenta non sinunt. Mihi verò gloriosum sit, in manibus Vestris, & oculis versari, quæ mei, id est Clientis Vestri devotissimi subinde admoneant. Ego contrà* Imaginum *Vestrarum & Maximi Patris intuitu oculos meos pasco, animumque reficio, materiamque desumo Spectatoribus meis Vestram Virtutem, ingenii dotes, rarissimosque in hac ætate, & conditione profectus, prædicandi. Atq; en* Tabulam *in eam rem in* Seleniano *meo erectam, aliamque* Aulæ Vestræ Philosophicæ *encomio destinatam, quarum descriptionem, ne inanes literas mittem, addidi. Vtinam verò* Selenianum *hocce Museum, Vos* Hospites *aliquando honorificentissimos videant, quo spectaculo nihil mihi contingere posset & sublimius, & memorabilius. Interea Vos*

K sospi-

sospites & salvos Christus servet, donisque omni-genis ádaugeat. Valete & favete

Ill. Celſ. C. C. V. V. V.

19. Iunii 1647.

humillimo Clienti

Moderatoribus & Informatoribus Vestris officia paratiſſ. cum salute plurima appono.

Epist. CLXXXVIII.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

SErus literarum Vestrarum adventus, & matutinus veredarii abitus facit, ut nulla in promptu sit condigna comitati vestræ & elegantiæ responsio, sed in octiduum, si vitam proroget Deus differenda, cujus moræ haud opinor difficilem pretor. Nos in metu ob milites Germanos, qui finibus nostris magno damno imminent, quos Deus coherceat. Nunc literarum mearum loco Eucharistica *mea, nuper in* Seleniano *effusa, mitto, ut patientius hanc brevitatem meam feratis. Valete ex voto meo, & rei Christianæ bono, atque favete*

Ill. Celſ. V. V. V.

Stutg. 9. Iulii 1647.

humill. Clienti

Informatoribus V. officiosam salutem addo.

Eucharistica.

IHS.

VIxiſſe me inter mortales, cum plurimi hominum, quibus cùm vetus & consuetudo & necessitudo fuit, tum ipsa terrarum & incolat.

huju

hujus diversa spatia peragrata, maximè verò Ingenii *indefessi indagines*, Bibliothecæ *passim excussæ*, & *relicta* monumenta, *exantlatique labores*, *sed* & conflictus *cum invidia & calumnia variè suscepti*, Fortunæq; *vices probata*, vitæq; *spatium ultra* Duodecim Lustra *productum*, *tandem* Scholarum, Ecclesiæ, & Aulæ *aures*, *oculique aliquando testabuntur*, *quæ mihi animo perpendenti*, *utut multa*, *quæ infecta*, *vel aliter facta*, *susceptaque velim*, *occurrant*, *plurima tamen supersunt*, *quæ animum meum suaviter afficiant*, *canosque meos ea rerum recordatione demulceant*, *ut* vixisse minimè vel pudeat, vel pœniteat, *quin potius adferendas DEO immortales & infinitas* Gratias *accendat*.

Nam etsi nec splendidi mihi NATALES, *nec fortunarum affluentia*, *nec dignitatum & honorum amplitudo*, *suprà communem conditionem contigêre*, *quæ multis oneri potius quàm ornamento*, *damnationi quàm saluti cessêre*; *tamen in hâc meæ sortis mediocritate*, *plurima Divino munere concessa sunt*, *quæ singula si minus aliorum donaria accepta*, *excedant*, *conjuncta tamen*, *adeoque in unum congesta æstimationem*, *admirationem*, *summasque DEI propitii laudes mereantur*

Quas enim Tibi non debeam Triune DEVS, DEVS Creator *Sapientissime*, DEVS Redemptor *Amantissime*. DEVS Sanctificator *Indulgentissime*, *qui me* Hominem nasci, & Cœlo renasci, & Ecclesiæ *Tuæ* adnasci, & Optimis *quibusque Tuis* connasci *fueris dignatus*, *eosque* Parentes *concesseris*, *qui ipsi* rei Tuæ *ex paucis* utiles, *in terrenis verò curandis* innoxii, Benedictionem *Tuam in* progenie *sua evidenter sunt experti*; *inprimis verò eam* Religionem, *quam* B. Lutheri Tui *ministerio à fœcibus repurgâsti*, *illibatam mihi crediderint*, *quam firma* fide am-

plexus, *nullis* rationis *obloquiis convulsam, nullis* hæsitationibus *quassatam, nullis mundanis* scenis *labefactatam, nullisque* Sectarum *pigmentis contaminatam,* veram & sinceram *sum* confessus *ipse, & per* quadraginta amplius annos professus, *ad ipsum usque* Tribunal Tuum *imperterrito animo eandem adjutu Tuo ferre & probare Tibi paratus.*

Fuit sanè paterna Domus, *citra jactantiam* Pietatis *schola,* Artium *officina,* Afflictorum *asylum,* pauperum *Hospitale,* Fortunarumque *legitimum & laudatissimum impendium;* Mater *verò suprà sexum* Virtutum *omnium Exemplū, & per omnis sortis vices* invicta Virago, *cujus apud Te* DEVS *meus, omne quicquid est accepti boni,* conciliationi & intercessioni *facilè tribuerim, cuique* aliquam in terris gratiam *retulisse, in summis deliciis meis numeraverim.* Vidua *facta, me vix puerum egressum, œconomiæ suæ præfecit, & ad* Patris *scrinia admisit, majoribusque, quàm pro ætate, curis adolescentem adhibuit.*

INSTITVTIO *verò haud ea quidem primis initiis exquisita,* Davidis *tamen* Mageíri *judicio & solertiâ politior, & liberalior ea contigit, quæ à servili obsequio, & obnoxia imitatione absolutum, in rerum* varietatem, *veriorem que intuitum intromiserit, & cùm capax Ingenium, tenaxque memoria ei succollarent,* Bibliothecarum *insuper usus accederet, ingentem cognitionis* molem *potius, quàm* compositam formam *eruditionis contulerit. Hoc tamen beneficii indè consecutus fuerim, ut quantum* inane in rebus *inesset, &* quantum nesciatur *adhuc, propius intuerer, indè* animi liber, *alienæ jactantiæ admirator parcus, sectator lentus, propugnatorque difficilis factus, quòd* Tuo *mi* DEVS conductu *plurimis* viæ meæ *erroribus & tricis me feliciter expedivit;*

vit: *Hinc enim à* Curiositatis *tendiculis immunis*, *nec* Chymicis fumis *fuscatus*, *nec* Astrologicis Prognosticis *lactatus*, *nec* fatidicis Calculationibus *fascinatus*, *nec* fanaticis præstigiis *contaminatus*, *nec* Criticis argutiis *circumventus*, *nec* Cosmopoliticis *commentis occupatus*, *nec* erronum *turbâ abreptus sum unquam*, *aut diutius detentus*, *incredibili meâ* hinc *animi* voluptate, *cùm plærunque inanitatem eorum introspexerim*; inde horrore, *quòd omnis generis & conditionis homines tam ad lapsum & sequelam pronos & faciles deprehenderim*. Gratias tibi ago, ô Servator D E V S, *pro ingenti hoc munere, qui me indemnem inter tot Syrtes, scopulosque præstiteris, sagacesq; oculos & animum* Impostoribus *hisce diffidentem concesseris*, vana *etiam de me aliorum concepta* somnia *veritatis luce dispuleris*.

OE C O N O M I Æ *verò commoda*, *postquam auspiciis Tuis* DEVS, *maritus factus sum*, *qui enumerem?* Socer *namque* Socrusque *obtigêre*, *ex honestissimis familiis*, Ille *quovis* Patre *amabilior & indulgentior*: Hæc *præter morum elegantiam*, *Oeconomicis artibus instructissima*. Vxor verò, *præter cardinales Pietatis*, *Castitatis & Patientiæ virtutes*, *eâ animi* temperie, *in me* observantiâ, *frugi victu & amictu*, *Liberorum sanctâ* curâ, *& rei familiaris accurata* custodia, *ut* triginta quatuor, *& quod excurrit*, *concordis & fœcundi* conjugii Anni, *vix totidem dies*, *nobis videantur*, *vix ullis fribusculis*, *conspersi*, *tantùm abest rixis*, *litibusve maculati*.

Liberi *nullo suo facinore*, *alienâve injuriâ*, *gaudium meum turbârunt*, *aut labem familiæ aspersêrunt*, *aut infelici casu me afflixerunt*, *ex quorum* trium *honoratis* conjugiis, decimam quaram Nepotũ sobolem, *tuo dono*, *mi* DEVS,

lætus accepi, majoremque partem,cum Sex Liberis *Tuo Cœlesti regno non invitus reddidi.*

Res familiaris *mutuis nostri Conjugii operis sub Tuâ Benedictione plurimum crevit, & cum Tuâ Permissione &* Disciplina Crucis, Calvensi clade *subitò eversa penitus esset, indulgentia Tua* Duplo restituta *est*, conditionis incrementi *insuper adjectis, quæ sperare in vita, ne dum expectare unquam fuissem ausus. Nam postquam* rerum *peregrè visendarum*, hominumq *notitiæ &* Linguarum exoticarum *peritiæ desiderium diversis excursionibus per* novennium *circiter sic satis explevissem, nullo foris, quod Tibi, Matrisque haud dubio precibus gratum acceptumque fero, sceleris contagio affrictus, me* Tuæ Ecclesiæ *reddidisti usibus, Tuæ hujus indulgentiæ memor, illud unum curandum putavi, ut* religionis *mihi concreditæ sinceritati*, morum *innocentiam, combinarem, omnique studio, utriusque* concordiam *quà voce, quà stilo, quà opere, valdè urgerem, quo in studio, Tuo* DEVS *adjutorio ita sum eluctatus ut præter* conscientiæ *tranquillitatem plurimum* voluptatis *ex Ecclesiæ tuæ incrementis ceperim.*

Ita namque à Præceptoribus *meis, incorruptæ vitæ Viris, quorum facilè principem* Matthiam Hafenrefferum *Tuum dixerim* præceptis *edoctus, &* exemplis *assuefactus fui, ut seriò Tui* cultum *induerem*, conscientiam *teneram*, animum *fortem*, mentem *liberam*, corpusq; *adstrictum tenerem, ne offensioni cuiquam essem, & sarta tectaque Ecclesiæ Tuæ munera servarem.*

Morbis *quidem, non iis acutioribus & sævis sed lentioribus*, *ac* debili corporis constitutioni *intra septa disciplinæ Tuæ per omnem vitam me, me continuisti, ut imparem voluptatibus mundi* sobrietati & temperantiæ *assuefaceres*, *quibus* ferulis Tuis *effecisti, ut nec* Melancholiæ *fæce unquam*

unquam senserim, nec calculi *cruciatus tulerim, nec* podagræ *fidiculis tortus fuerim, ac ferè omnis* Medicinæ & Chirurgiæ *expers*, sola Diæta & Exercitio *ad hoc Senii sim productus, quod utut* Cachexiæ *vitio languidius, tamen sensibus & recto judicio tam publicis muniis, & privatis studiis etiamnum sufficiat, quàm pridem Cœli, Maris, Terræque injurias, labores, vigilias, pericula & casus, facilius quod robustiorum quisquam Tuâ ope sustinuerim.*

Interea, non defuêre mihi Vitæ delinimenta, *ex* Principum, Optimatum, Antistitum, Celebrium & Elegantiorum *quorumque notitia & familiaritate, quibus obligati* calumniæ *morsus, mitigata* fortunæ *iniquitas, suffultus* Virium *languor, succollati* Ingenii *fœtus, asserta* causæ *innocentia, cui ministerio* Erasmum Groningerum *præ aliis adhibuisti tandem in patriæ quasi funere ruptæ* invidiæ *compedes, dispulsæ æmulationis nebulæ*, Lux *demum in ipsis tenebris excitata est*; *Cujus hæc etiam pedissequa* domestica fortuna *facta est, ut pridem familiæ cùm ob invaletudinem rejectamentum, robustioribus extinctis, caput superfim; tum ab omnibus derelictus*, sortis meæ, *Tuo conductu Altor & Curator meus*, f[illegible]ber, *nemini ex ea magnus* debitor, *multorum* creditor, Duodecim *proximè* cognatos surculos *domi meæ aluerim, & ex pulvere extulerim. Non abstinuit quidem, ac nec hodie parcit infestus* Æolus *Superat vero cuncta hæc, & infinitum rependit infinita Tua, mi* DEVS, *bonitas*, Spiritusque Tui *principalis, Psalm.* 51. ℣. 14. *cujus robore invictus, quicquid est* malignitatum *humanarum* tacitus *concoquo, & ad* vacationem *ingratorum laborum, inanisq; obnixus & frustraneæ inclamationis, me totum compono*, Lampada, *cuicunque volueris, libenti animo traditurus Sufficit*

ficit mihi sub Te Sole *meo*, Lunæ *illius*, *inter cætera* Cœli Tui terreni *Astra eminentioris*, *quam mihi conciliasti*, Sapientia *planè insolita*, favor *incredibilis*, munificentia *inexhausta*, humanitas *inaudita*, indulgentiaq; *incomparabilis*, *quæ non uni homuncioni, jam jam expiraturo, posituro hujus scenæ peractæ exuvias, sustinendo, alendoque*, *in regendis terris*, *ornandis Ecclesiis*, *fovendis Artibus*, *& formandis* Moribus *Christiani Tui Orbis sufficiant, cujus factâ mentione*, *tanquam sacræ Anchoræ venerabundus hic subsisto*. *Tibique* DEVS *pater* Creator *meus*, *Tibi* FILI frater *meus*, *Tibi* SPIRITVS Sancte præceptor *meus iterum atque iterum*, *quas possum concipere* animo, *efferre* linguâ, *conscribere* calamo, *explicare omnibus* viribus, infinitas *pro infinitis*, immortales *pro immortalibus*, innumeras *pro innumeris beneficiis* gratias *ago*, *suprà omnes debitores debitor*, *& cunctis Tuis miserationibus minor*, *Gen.* 32. ℣. 10. *Quis enim ego ex* pulvere *concretus*, *&* luto *plasmatus*, *&* vitiis *coopertus*, *ut sim tot*, *tantorumque Tuorum Beneficiorum receptaculum? Tuum est, quicquid sum, possum, habeo, de Tua manu acceptum, cui quid retribuam non invenio*, *nisi omnia Tibi grata referam & reddam.* Recipe *quæ* Tua *sunt*, *&* meipsum *Tibi vindica. Mihi* Mundus *usque adhuc ludos*, caro *molestiam fecit*, Ignorantia *ductavit*, Iudicium *decepit*, Curæ *exederunt*, Dolores *triturarunt*, *mihi denique* Tempus *antevertit*, *me reliquit ponè se*; *fac ergò* pectus *meum* hospitale *Tibi*: *inde animo meo* fidem, *diffunde*, *quàcunque pateo*, charitatem, *riga me totum* Tuâ Sanctitate. *Tu tene me, ne ullo rapter desiderio, nisi Tui. Tandem cedant affectus* Iussis Tuis, *cedant cupiditates meæ* Voluntati Tuæ; *Hæc terrestria animosè calcem, spirem* altiùs, *& sola suspiciam*

cœle-

cœleſtia; *Te* unum *admittam* Monitorem, *Te* Auſpicem, *Te* Proſpicem *meum.* Totus vivam tecum Domine DEVS meus, *hæc* Vita *mihi ſic perpetuò* tuta *ſit, perpetuò* quieta, *perpetuò* beata.

Epist. CLXXXIX.

Illuſtriſsimi & Celſiſsimi Principes, Domini mei longè clementiſſimi,

CVm jam nihil aliud ſit ad manus, quo oculos Veſtros eruditos paſcam, ex magno numero pi-cturarum *varii generis, uſibus Veſtris & honeſtæ voluptati deſtinatarum, has* minutioris formæ, *ſelegi, quibus ſcriptionis officium meum ſupplerem, ſimulque efficerem, ne ſemper plus verborum, quàm rei, Epiſtolæ meæ ferrent, & reſpondendi partes Vobis amabiliores ac faciliores redderent: Id quod ſi non ingratum Vobis intellexero, aliis atque aliis ſubmiſsionibus continuabo: Domus mea adhucdum ſub manibus Æſculapii eſt, quem feliciorem optaverim. Hinc cuncta mihi impedita. Sed ſub* manu DEI *acquieſcendum, quam Vobis* Illuſtriſſimi Principes *ad omne incrementorum & gloriæ genus propitiam & faventem precor. Valete & favere pergite*

Ill. C. C C. V. V. V.

10. Sept. 1647. qui clade quondam *Calvenſi* funeſtus mihi fuit, fauſtus Vobis illuxerit &c.

humill. Clienti.

P. S. ad Pr. Rud. Aug.

Et illas, quas Celſ. T. *ad me* 24. *Aug. dedit, rectè accepi, nec eſt quòd longâ reſponſione Te fatigem. Heinhofero noſto beatam quietem non invideo,*

video, potius de veriore libertate gratulor. Meam verò sortem eò fero æquiore animo, quò me amicis optimis & probatissimis orbatum, expeditiorem ad sequendum pene idem mortis ad vitam iter sentio. Te verò in plurimos annos Christus servet. Vale iterum, semper floridior. 10. *Sept.* 47.

EPIST. CXC.

Illustrissimi Fratres, Principes & Domini mei longè clementissimi,

HOc Iani Bifrontis *intuitu, sive exeuntis hujus & ineuntis alterius anni confinio, quàm vota Vobis debeam, & precer, facilè intelligo, quid verò* novi *vobis adprecer, non invenio. Mirum id videatur, sed (quæ Vestra felicitas) profectò verissimum est. Ita enim donis, bonisque cœli juxta ac terræ affluitis, ut eorum incrementa vix expectanda, tantùm continuatio, & perennitas vobis optanda videatur, quod ratum, auspicatumque Vobis sit, DeumOpt Max. supplex adoro. Nempe ut me paucis expediam, salvo* utroq; Parente Vestro, *salva Vobis & felicia sunt omnia, illo Ecclesiæ* carbunculo: *Reip.* adamante: *literarum* unione. *Illâ fæminei sexus* gloriâ: *Domus Vestræ* Coronâ: *Seculi nostri* Exemplo: *quibus notis (absit procul assentatio) & publicam & privatam supra reliquos mortalium eminentiam consigno. Scio sanè commune hoc vitium hominibus esse,* præsentia bona *sua non nosse, & de iis iniquè censere, imò mala vocare, quæ bona sunt. Quem publicum errorem Vir Cl.* Carolus Paschalius *nobilis Gallus perstrinxit, libello eò de re sub* Ingratitudinis *titulo non tam ingeniosè, quàm disertè conscripto, productis in medium omnis*

omnis ordinis & sexûs, ætatisq; hominum de suâ forte querelis, & lepidè castigatis, quo tamen monitore Vobis nequaquam opus esse arbitror, qui per Vos intelligatis, *quid* DEO, *quid* Parentibus, *quid* Domui, *quid* Ephoris & Informatoribus, *quid ipsi* Naturæ & fortunæ, *pro ingentibus, quibus cumulati estis, beneficiis & officiis debeatis*; *Tantum ergò, ut* Vos *semper* noscatis ipsi, *ex animo precor*, *scilicet illam* generis *dignitatem*, ingenii *aciem*, corporis *florem*, *sed quàm maximè* Virtutis *perfectæ ideam inclutæ Domûs Vestræ, æstimetis maximi, optetis diuturnam intimè*, & *ad rei Christianæ usum conferatis unicè. Ita fiet, ut reliqua Vobis adjiciantur copiosissimè, cui voto meo syncero ex pectore profecto*, Christum *propitium adfuturum minimè ambigo. Sit itaque* annus *proximè ingrediens, pietatis, probitatis & eruditionis Vestræ* P R O G R E D I E N S, & *felicitatis Guelphicæ* C O N T I N V A T O R, *circuli instar nunquam finiendus, sed æternitate aliquando coronandus, Amen.*

Diem tandem apud nos supremum clausit Paulus Ienischius, *longævus Senex, nonagesimi ætatis suæ medietatem emensus* 18. *Decemb. olim Antuerpiæ* 1558. 17. *Iunii natus. Vir variâ literarum & linguarum, rarâque Musicæ peritiâ excultus, author* Thesauri animarum, *non inglorius, cujus tamen invidiam*, & *alienæ culpæ pœnam*, exilium *amplius* quinquagenarium *tulit, perpetuâ animi tranquillitate*, & *corporis valetudine firmâ cum orexi*, & *suavi somno usus*, sacris Studiis, Musicis *recreamentis*, & Mechanicis *exercitiis ad hoc ætatis se produxit*, 19 liberorum (*quorum quatuor supersunt*) *Pater, amicus mihi jam à* quadraginta *annis minimè vulgaris, integris quidem sensibus, sed postremo anno, afflictiore corpore, demum exulcerato uno pede, in-*

ter

ter exquisitissimos dolores, extinctus. Vir fortunam ut pridem munificam, ita post tenacem expertus, cui subinde tamen, ut viveret, & famam tueretur, perinaci & infatigabili studio atque labore extorsit, foris quàm domi conspectior. Epitaphium, *ipse sibi jam à multis annis scripsit, literis eleganter (quâ arte plurimum polluit) pictis, &* confessionis *suæ sinceritate, causæque innocentiâ, propter quæ passus esset, testatâ, cui post labores quietissimos & quietem laboriosissimam, solida & æterna quies esto.*

Nec aliud, quod Vos jam scire velim, nisi me eum esse, qui pro salutis Vestræ & felicitatis continuitate apud DEVM *perpetuis precibus & sacrificiis excubem, tantò ferventius, quantò me* Vobis *obnoxium & debitorem maximum experior frequentius, scilicet cujus jam terrena omnia in* Vestræ Domûs *incolumitatis & amplitudinis cardine vertantur. Officia & salutem cum pio voto adscribo Efformatoribus & Informatoribus Vestris, & totum me Vobis dedico*

Ill. C. C. C. V. V. V.

Stutg. 22. Decembr.
Anni labentis 1647. *Clientem humill.*

Cum

II.

Cum duobus Principibus,

Pr. Pr. RVDOLPHO AVGVSTO

&

FERDINANDO ALBERTO &c.

Epist. CXCI.

Illustrissimi & Celsissimi Principes,

Domini longè clementissimi,

C*Vm utriq; Vestrum* MAIVS *mensis* natalem *suum vehat, mensium venustissimus, maximeque amabilis, uno Vos voto meo, quod imperitis Versibus expressi, conjungendos duxi, quo innoxio omine mihi sum blanditus, haud temerè esse factum, quòd hic Majus mensis utrique primam lucem dederit, quasi* MAIVS *quid communi sorte Natura Vobis polliceri voluerit. Ac sanè* MAIVS *quid quàm hujus ætatis in Germania ulla princeps juventus jam accepistis à Deo, & exhibuistis felici proventu Patriæ, & spe indubiè nobis omnibus Vestrorum incrementorum avidis, pollicemini. Cujus Ver, cùm jam nos arrideat in Te* Ferdinande Alberte, *Æstas verò Tibi* Rudolphe Auguste *propior sit,* AVGVSTO *ætatis vestræ mense Vindemias uberes & præcoces è Copiæ Cornu felicissimo, expectabimus. Interea propitium Cælum, Terramque facilem Vobis precor, ut ad* GENIVM ET FORTVNAM MAXIMI PATRIS *enascamini, quo* MAIVS *Vobis nemo optaverit,* MAIVS *Vobis in*

terris contingere nihil poterit. Vale PAR AVGVSTVM, AVGVSTÆ DOMVS *bono, & fave*

Ill. C. C. V. V.

Stutg. 30. April.
1647.

Clienti humillimo & dedicatissimo.

EPIST. CXCII.

Pr. Pr. ANTHONIO VLRICO
&
FERDINANDO ALBERTO
&c.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

V*Eniam mihi dabitis, si inter occupationes meas Vos conjungam, quos ut sanguine, ita sensu & animo, conjunctissimos, & indi viduos, minimè dubitaverim.* Nec aliud est, *quod feram nuncii, quàm si* Serenifs. Dn. Pater Vester *approbet, paratam Vobis apud me esse non exiguam, egregiarum omnis generis* picturarum *copiam, quibus & oculos oblectetis, & animum reficiatis, & ingenium reformetis, & manus etiam exerceatis, cujus consensum diligentia in Studiis, obsequio verò in moribus formandis, facilè impetrabitis, quod ergò officii Vestri fuerit, ut facitis, facite, quod mei erit, faxo in comparandis & transmittendis hisce Vestris delitiis honestissimis, studium operamque meam non desideretis.* Christus *Vos incolumes, sanosque mente & corpore servet,*

servet, molestamque tussim abigat. Valete & favete

Ill C. C V. V.

Clienti humillimo.

Informatori Vestro, salutem, amorem & officium.

Stutgard. 20. die Augusti, Anno 1647.

EPIST. CXCIII.

Pr. Pr. ANTHONIO VLRICO & FERDINANDO ALBERTO &c.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

QVantum voluptatis ex literis Vestris longè suavissimis capiam, explicare nequeo. Video enim & officia mea non ingrata esse Vobis, & operam meam qualemcunque illam, rectissimè locatam, id quod incredibili jucunditate me perfundit, & in spem firmam erigit, fore hunc favorem mihi, non, quod fieri solet, temporarium & varium, sed continuum atque æternum Picturas, quibus affici Vos & delectari intelligo, alias atque alias submittam, nec est, ullam mihi gratiam debeatis, cùm Serenis. Dn. Patris Vestri beneficio eas accipiatis. Meum hoc unicum est, quod cum Præceptis & exemplis domi ad omnis Virtutis & eruditionis culturam abundetis, externo hoc artis Naturæ Imitatricis objectu & recreamento, meo hoc Ministerio pertenui, excitari fortasse possitis. Nos hic Nuptialia Orgia habemus in Aula,

iâ, Principis VLRICI Noſtri, *cum* SOPHIA DOROTHEA Comite Solmenſi Virgine, (10. *Octob.*) & duorum Nobilium, Virgines *ex familiâ* Principis Heræ meæ, *ducentium, quibus* DEVS benedicat. *Interim in Suevia bellum ardet, cujus contagio & nos amburimur; quem utinam ignem DEVS aliquando reſtinguat,* & Pacem terris reddat *tam deſideratam, nobis quàm neceſſariam. Valete* Principes Incluti, & *favete*

Ill. Celſ. V. V.

Stutg. 15. Octobr.
1647. *humill. Clienti.*

Informatori Veſtro officioſam ſalutem ſubjungo.

III.

Cum Pr. RVDOLPHO AVGVSTO.

EPIST. CXCIV.

Admodum Reverende & Clariſſime Domine Doctor,

Literæ Tuæ quanquam gratiſſimæ, triſtiores tamen plærumq; ſunt, ob temporum, quam deploras, calamitatem, & valetudinis Tuæ adverſa. Ex animo profectò Tuam & Eccleſiæ ſortem doleo, lugeoque, quòd illi vocatorum cœtui tantopere neceſſarius, ardodori proprio impar eſſe, & quàm lubentius occupares ipſe ſtationem, aliis committere cogaris. Verùm, qui Te ad ſacrum iſtud munus ſegregavit, eas corporis & animi vires largietur,

tur, quibus indigere videberis ad ovile, quod curæ Tuæ commissum est, pascendum. Ego, ut eas firmiores Tibi ex animo opto, ita si aliqua in re juvare possem, & reficere, paratum me ubique deprehenderes. Metus, quo premeris, ne *Pacis compositio* tandem evanescat, nondum nos angit. Cætera in his regionibus mediocriter se habent, unum unanimiter desideramus, *Pacem & Pacis bona*, quæ quantò diutius exulant, tantò acceptiora tandem populis futura sunt. Quid autem spem nostram hactenus morari visum sit, ex iis intelliges, quas nuper ad Te dedi. Eadem adhuc mihi mens est; Nec enim parvo negotio extricari posse videntur, quæ tot annorum casibus involuta sunt. *VVagneri opus* nondum visum expectò, integrum inquam: ac quid de publicatione literarum nostrarum videatur, proximè aperiam. Interim vale optimè, & quod facis, vicissim fave

R. T. D.

Studiosiss.

Epist. CXCV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

N*Atalitiis* Immannelis nostri *ex officio defunctus, quæ & ipsa Te piâ devotione exercuisse, minimè mihi dubium est, ad* Epistolicum munus *mihi redeundum putavi, quo me Tibi obnoxium lubens profiteor, ut qui in eo superiore anno tam diligenter sis versatus, ut* viginti sex *Epistolarum Tuarum jam acceperim, unam alteramque fortasis ad absolvendum anni pensum, adhucdum*

hucdum expectandam habeam, quo nomine & ingentes Cels. T. gratias debeo, & ne posthac continuare hanc reciprocationem graveris, vehementer oro. Vltimæ Tuæ datæ sunt 1. *Decembr. ad quas tumultuariè in ipso veredarii avolatu respondi sequenti* 18. *post Ecclesiæ operæ totum occuparunt. Nunc quod in exordio hujus anni eligam* argumentum, *nisi exilii mei terreni reminiscentiam, & futuri curam, non invenio.* Sexagesimus primus *vitæ annus mihi agitur, in tenero admodum & afflicto sæpius temperamento.* Quadragesimus verò secudus *laborum, dolorumque Reipubl. impensorum peractus est, ex quibus* novem *Literariæ Institutioni*, sex *Ministerio,* novendecim *Inspectioni Ecclesiæ,* octo *Aulæ, Curiæque contuli. Imminet* Magnus Climactericus *tam fatalis multis & funestus, quàm facilis & vividus* Incluto Dn. Patri *ante triennium fuit, in quem, ejusque labores Herculeos, cùm intueor, totum me mei torporisque pudet. At paucorum hoc est, summumque Cæli beneficium, quod mihi negatum non succenseo, cùm vitæ meæ socios propè infinitos transcenderim. Nec morbum meum accuso, qui me vellicet, mortisque instantis, urgentisque admoneat; Hoc tantùm doleo, non posse me ad eum portum post fastidiosam navigationem appellere, ubi exiguum, quod superest dierum, extra rerum tumultus in pacato transigam, mihique impendam* vitæ ultimum, *qui totum reliquum ante ac tum aliis impenderim. Ad quam rudem dum totus contendo, nihilque vel parum admodum proficio, videor mihi cum* D. Augustino, *sed in dissimili causâ, luctari mecum, tandemque, non nisi à meipso impediri, deprehendere.* Rumpenda *nempe* sunt, non diluenda hæc aranearum tela, & obsurdescendum ad alienos susurros, cùm ipse tibi recti instituti conscius sis. *Quoties igitur ad*

ad fortia aliorum facta, qui coronas, fasces, mitras, infulas, pulpita, gazasque ultrò posuerunt, ut ad sese, & quietem pertingerent, totus mihi displiceo, qui in tantillo hæsitem. At sunt, qui stantem mori *mallent, & Septuagenarios, Octogenariosque in militia objiciunt, quibus ego me professò imparem non diffiteor, imitandos esse omnibus, nisi Ecclesiæ patriæq; periculum deposcat, nondum agnosco. Fruantur illi suâ, atque maximâ* laude, *ego inter degeneres, vel minus generosos*, tranquillitatem, *quam in omni vitâ captavi, sed frustrà, in fine ejus tandem impetrem. Mars tamen, à quo nulla tuta, abditaque, satis tuta, & secreta sunt, obstaculo mihi est, maximo, quem ut devitem, in statione invito mihi manendum est. O igitur Pax nobis optata illucescat, cujus beneficio ubi ubi Deus prospexerit, atque utinam in sinum Vestrum deponar, Clementiæ Vestræ cura demulcendus & beandus. Sed omninò amplius, quàm proposueram, sum progressus; cujus meæ dicacitatis venia mihi maximoperè petenda est. Nempe* ubi dolor, ibi manus; *Et candor Tuus generosissimus facit, ut liberius in hac re, quæ me lancinat, plurimum egerim. Vale* Princeps Illustrissime, & *fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 15. Ianuar.
Anno 1647. *Clienti humillimo.*

EPIST. CXCVI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Binis Tuis, *unâ responsione litare, veredariorum intempestivus adventus, & properus abitus jubet, quo tempore Ecclesiæ negotiis devincti,*

cti, vel jucundissimo literarum commercio vacare non possumus. Utinam verò, quàm Vobis de Pace *impetrandâ sperare bene, licet, aut libet; nobis dum mora, tricæq; aliæ atque aliæ nectuntur, pessimè habere non esset necessum, & lætiores à me subinde Literas acciperes. Nos vero* duplicatâ *iterum Exactionum* voragine *exhausti, & hostilibus inter se armis unà oppressi, prædæq; omnium expositi, quàm aliter ac Vos de Pacis lentis progressibus sentimus, & pronunciamus. Scilicet ut productiores sunt ægrotis & vigilantibus horæ, noctesque, quàm sanis & dormientibus; ita moræ nobis, dilationesq; Pacis aliter ac Vobis numerantur. Et ut captivis difficilius, liberis facilè tempus teritur: Ita nobis inter tot vincula & compedes sanè quàm tristissimè expenditur. Quin, ut sub manu Medici multi intereunt, ita nobis metuendum, ne tam cruentæ curæ superstites futuri minimè simus. Condonabis ita hoc calamitati patriæ meæ, quòd* lugubres *potius quàm* lætas, horridas *quàm* suaves *Epistolas accipias, cùm* ubi dolor, ibi sensus ejus, atque luctus *esse solent.*

VVagneri *opus integrum, jam Te cum strenulis meis accepisse putaverim, cujus etiam residuas pagellas nuper submisi. De Literarum nostrarum* publicatione *quid sis pronunciaturus, trepidè expecto, etsi mihi magnam fiduciam facere posset* Serenis. Dn. Parentis *indulgentia, quæ prudentissimo Sene Te florentem Iuvenem difficiliorem esse posse minimè putaverim. Nolim tamen Te invito quicquam statuere, & vel* solum dissensum *pro imperio habeo, modò ne nimia modestia Tua, studium meum famæ Tuæ propagandæ sincerissimum obtundat. Interim cresce, vige, vale quàm felicissimè, & favere porge*

Stutg. 5. Februar. 1647. Illustr. Cels. Tuæ *Clienti humillimo.*

EPIST. CXCVII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

PRolixiores Literas Tuas de 15. Ianuarii, incipientis anni, quibus & Literarum, quas præcedenti accepisti à me, *numerum* significas, atque ut eodem ardore hanc reciprocationem continuem, hortaris perlegi. Tuæ etiam valetudinis, quam ex animo constantiorem & firmiorem Tibi opto, meministi, ac cùm *vitæ Sexagesimum primum* nunc ag... quid *Climacterico magno* expectandum videatur. Ego, ut quæ de eo à Doctis prodita, & experientiâ comprobata sunt, refutare non est animus, ita nimis plerunque à nonnullis *superstitiosè credi, & meticulosè observari*, asserere non dubitaverim. *Exemplum Illustriss. Dn. Parentis* mihi ob oculos, quem ut DEVS Opt. Max. nobis, patriæ, & Reipubl. sospitat, atque illas transcendere metas voluit, ita Tuo addere vires senio, atque illas in Reip. Ecclesiæque utilitatem, contra Medicorum, Philosophorumque sancita, expectationemque propriam firmare potest. Hoc ego sæpius optatum repetere non gravor, quia nec Tuus favor meis benedicendo incrementis unquam defatigatur. Iunctas hisce perlegas quæso, & consignatas ad *Dn. D Vvagnerum* mittas, atque ut eidem, pergratum esse, quo me donavit opusculum, honorificamque, quâ me allocutus est, præfationem, testeris, magnoperè oro. Vale. *Guelph*. 9. Febr. Anno 1647.

Rev. T. Dign.

Observantiss.

EPIST.

EPIST. CXCVIII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

QVamvis scribendi facultate me (absente *Marconnetto*) parum valere sciam, ne tamen in suspicionem ingratitudinis apud Te veniam, intermittere non potui, quin aliquid mearum hâc occasione ad Te darem. Ex nuperâ enim mihi transmissâ eleganti *effigie sive picturâ* in tabellâ, quâ valde delector, singularem animi Tui in me affectionem satis superque cognovi, & sanè gratiarũ leges violarem, (quod à me sit alienum) si hoc nomine ad minimum literis Tibi non agerem gratias. Quippè eò cuique semper loborandum existimo, ut gratum animum testificetur. Agere itaque *gratias*, mearum hâc vice partium esse duxi: maximasque ago, & aliquando quoque (Deo bene volente) referam, ac meam in Te voluntatem testatam faciam. Hisce paucis vale, meque tuâ benevolentiâ tantisper complectere, quoad me gratum perspicies. *Guelpherb.* 16 Febr uar. 1647.

R. T. D.

Observantiss.

EPIST. CXCIX.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime.

C*Vm inter alia, quæ muneris mei sunt,* Sauberti Macaritæ *exequiis aliquot dies dederim, putavi à Tua æquanimitate aliquam remissionem*

non à scriptionis officio facilè impetratum iri, cùm eas pagellas ad Serenissimum Dn. Patrem *Tuum transmiserim, & Tibi communes esse quasi in locum Epistolæ voluerim. Intellexisti autem pro excellenti Tuo ingenio, me ea potissimum in Viro insigni laudasse, & suprà communem hominum sortem extulisse, quæ alii nonnulli* carpserint, *& iniquiore judicio* flagellarint, *à quibus vindicandam Viri famam mihi putavi, quod alii ægrè rei invidiam sint subituri, mihi Seni depontano, nec* gratia *ambienda, nec* odium *admodum metuendum amplius sit. Aliam quidem Gratiam* Viri Virtus *merebatur, sed sufficiat hoc* summum *Agonistarum Christi* Elogium, *ex iis fuisse*, quorum erat indignus Mundus, *Hebr.* 11. ℣. 38. *Vidisti autem Orationem meam ab omni fuco & ornatu alienam, cùm homo Mundo invisus, DEO verò grátus non aliam, quàm simplicem exegerit, nec in Christi causa verborum elegantiæ, sed rerũ momenta pensitanda veniant, ipsa* Crux *rigida, non nisi* horridum sermonem *poscat. Sed de eo Judicium Tuum, quod semper expertus sum exquisitissimum, expecto. Nos domi forisque* Bellum, *ac quod miserrimum, quasi pro nobis contra nos gerimus, ferro nostro in viscera nostra sæviente, & in patriæ funere quasi lymphatis saltitantibus. Et hæ tamen* Pacis blanditiæ *sunt, scilicet ut* in pace obdormiamus nunquam evigilaturi: *ita* venenum *Medicina dici potest, &* Mors *iter ad vitam. Sed ego querulus fortè Tibi videbor, moræque impatiens, at aliter profectò sentires, hic si ac loco nostro esses. Ergò nostrûm erit, nos ad voluntatem & imperium DEI & sapientissimi & optimi totos componere, & judicia ejus quàm rectissima & æquissima putare. Is more suo nos haud dubiè vulnerando sanabit, deprimendo eriget, evacuando replebit, & perimendo vivaces reddet,*

reddet, cujus nomen ſit benedictum. Vos verò felicitas omnis, & incrementa bonorum diu coronent, mihique propitios ſervent. Vale.

Ill. Celſ. Tuæ

Stutgard. d. 19 Febr.
Anno 1647. *Cliens. humil.*

Epist. CC.

Admodum Reverende & Clariſſime Domine Doctor,

LIteris Tuis perlectis, non potui non ingenti tecum affici dolore, cùm quod horrendis iſtis motibus, quibus totus penè orbis plurimis ab annis contremuit, & veſtram regionem denuò vehementer concuti, & miſerè dirui, ſignificârunt. tum quòd graviſſimas & humano ingenio vix explicabiles curas hinc Te exercere, ex iis cognovi. Verum enim verò, quia indomitam illam frenare licentiam vix & ne vix cuidam mortalium datum eſt, DEO immortali committamus hæc, neceſſe eſt, utpote cujus directione omnes noſtræ fortunantur actiones. Te verò, *Vir Clariſſime*, ne nimis interea temporis Te affl ictes rogo, ſed des operam potius, ut conturbatum tuum animum ad tranquillitatem, & ad pacatiores cogitationes, *Pax* inter Principes *concilianda*, cujus ſpes nobis jam affulget maxima, abducat. *VVagneri opus* cum reliquis pagellis, & *ſtrenas* tuas rectè accepi. Quæ omnia, ut mihi magnoperè arriſerunt, ita ut par eſt, Tibi gratias ago & habeò magnas, & plùs indè Tibi me debere ultrò profiteor. De reliquo in lucem deinceps mittendo, quid ſentiendum ſit,

ſequens,

sequens, ut confido, monebit hora. *Consilium* autem *Tuum* de literis nostris inanibus&omni festivitate carentibus, publici juris faciendis probo equidem, quia famæ nostræ propagandæ Te cupidum esse video. Ast vereor, ne meam existimationem in *discrimen* conjiciam: scribendi enim facultate, me non valere scio, mihique tutius credo, quàm iis, qui amore fortè adducti, eam mihi tribuunt, sed totum hoc negotium maturo & limato satis Tuo judicio committam: si dignæ à Te judicatæ fuerint, fac, ut libuerit. Vale & amare perge

Rev. Tuæ Dignit.

Guelpherbyti, 9. Martii, 1647. Observantiss.

EPIST. CCI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

REctè equidem meo judicio fecisti, quòd Magni illius *Sauberti* macaritæ famam, à malevolis liberâsti, & Rhetorem sanè in oratione pro illo Viro Te præstitisti: dum rem ipsam sermonis elegantiâ expressisti, ut Ciceroni haud cedere videaris. Malum, quo non tantùm vestra Provincia, verùm & universa Germania infestatur, æquo animo erit ferendum, & *DEUS Ter Opt. Max.* rogandus, ut tandem illud à nostris finibus averruncet, cujus protectioni Te commendo. Vale & amare perge

Rev. Tuæ Dign.

Raptim *Guelph.* 16. Martii 1647. Observantiss.

Epist. CCII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

NE *qua mihi ad Te scribendi materia deesset, en* DOMVM EMI. *Memini autem me olim legisse elegantem ingenii lusum, superiore ætate excusum, cum Inscriptione*: Poëta domum emit. *Argumentum libelli est, nescio quis Poëta, qui cùm propriam domum emisset, res ea tanquam novi & pessimi Exempli, ad Poëtarum Senatum delata, acerbè judicata est.* Præses *Senatûs* Eobanus Hessus *constitutus, cui assederunt*, Celtes, Huttenus, Bebelius, Brassicanus, *alii. Cùm Sententias dicerent, nemo ex omnibus fuit, qui vel Mæcenatum gratiâ, vel ingenii felicitate, tantum profecerit, ut ædes proprias vel hæreditate vel emptione possederit; omnes rei familiaris incurii, in conducto se vixisse & fassi sunt, & gloriati. Iussus igitur est, quàm primùm ædes revendere*, pecuniam *verò in* sympolium *conferre, quò immanem hanc culpam elueret, & ubique habitare, ac* sine curis vivere poëticè disceret. *Hæc illi. Ego verò non Poëta, sed ex iis, qui æquè rarò domos proprias possident*, domum emi, *secessûs gratiâ, ut me turbis humanis in hâc meâ invaletudine, & ingravescente senio, magis magisque subducerem. Est ea cum* Horto *non inamœno conjuncta, ut* Villula *quasi dici possit, haud quidem* extra Stutgardiæ mœnia, *sed in loco à hominum commerciis & strepitu remoto; Scio equidem, nisi animus intra se sit tranquillus & compositus, nullam solitudinem, nullamque* Eremum *ad solidam quietem sufficere: & imbecillis hominis esse foris quærere, quæ intus impetrare abs Te possis, & debeas. Sed cùm exteriora Objecta, & hominum incursio-*

cursiones multum temporis furentur, ingenii verò meditamina disturbent, placuit semper etiam Cordatis Viris *in* Villas *secedere suas, ac secum habitare quod de Catone, Scipione, Cicerone, Seneca, aliisque quam plurimis notissimum est; Superioreque ætate* Petrarcha *cùm diu* Aulas *Pontificum, Regum, Principumque sectatus esset, in* Arquado *suo propè* Paravium *repetiit, quod hodie num à Literatis cum voluptate & veneratione visitur. Quicquid verò ejus est, ego huic* domui meæ *nomen* SELENIANI, *cum bono Deo imposui, quod ut infinita alia, & quicquid habeo & sum, imò verò quod sum, sivè supersum, ita quod sperare posthâc liberalis otii ex hac licuerit, id totum Vobis, seu* Seleniano *nomini* Augustissimo *me debere, ingenuè profiteor, cujus beneficentiæ monumentum, aut in ipsis ædibus, aut in literis extare aliquando sedulò curabo, inprimis verò ejus memoriam perpetuam apud liberos, posterosq; meos sanctè deponam omni religione & obsequio sanctaque fide demerendam. Cujus nunc quidem aliquid nuncii ad T. C. deferre volui, ne inanes, aut steriles essent literæ meæ, quam cum* Illustriss. Fratribus *florere semper, augeri in majus, & implere Orbem Christianum famâ Virtutis ex animo obnoxio Deum precor. Valete & favete*

Ill. Celf. V. V. V.

Stutg. 26. Febr.
1647. *humill. Clienti.*

Epist. CCIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

T*Vas illas* 9. *Febr. datas, rectè quidem, sed eâ demum horâ, quâ meæ* 26. *ejusdem abibant horâ, accepi, atque sic veredarii itineris ratio inter turbas nostras poscit, ut nullo propemodum intervallo aliæ adeant, aliæ abeant literæ, ad quas illas non nisi post octiduum respondere licet, quod obiter monere non à re alienum putavi. Quod verò* Climactericis annis *non nimium tribuis, mecum profectò sentis, nam nec ego magnum illum, quem vocant, imminentem mihi, superstitiosè observandum, aut metuendum duco, ut qui omnes annos Climactericos, imò menses, dies, horasque habere fatales, didicerim. Sed* Sexagesimum tertium *vel ultra etiam emensum, haud procul à vitæ meta abesse, certo certius esse, quam si quis (quod pauciorum tamen est) transcendat, Dei potius* voluntas & favor, *quam* Naturæ & Diætæ *etiam beneficium mihi putandum videtur. Quò magis* Serenisſ. Dn. Patris *Tui vividum & vegetum Senium æstimandum est nobis, quod quia cum Ecclesiæ profectu, & Domûs Vestræ incremento, atq; ornamento conjunctum, Seculi felicitati adscribendum, quam diuturnam nobis Christus velit. Literas Tuas ad* D. VVagnerum, *multæ Eruditionis Virum, quem quòd illis fueris dignatus, studiumque ejus & affectum probâris planè beabis, cùm jam totus amore Virtutis & Eruditionis in hoc ordine rarioris Tuæ ardeat; Ego in* Seleniano meo *reficiendo laboro, cui* Imagines Vestras *intuli, summo ædis ornamento, & otii mei oblectamento, quamvis* angusta *sit Domus,* Augusta *sanè mihi erit ex nomine & munere Vestro;* Chri-

stus

ſtus verò & terrenis & cœleſtibus *palatiis Vobis id rependat, in quo & vale & fave*

Illuſtriſs. Celſ. Tuæ

Stutg. 5. Martii, 1647. *Clienti humillimo.*

Epist. CCIV.

Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps,

Domine longè clementiſſime,

*Q*Vam verò aliam gratitudinem Tuam vel exoptem mihi, vel expectem pro tenuiſſimis munuſculis meis, præter* Gratiam, *quâ me complecteris Tuam, ſive inſignem favorem, profectò non invenio, quem niſi maximi faciam & gratiis omnibus præferam, ingratiſſimus hominum dici merear. Imò hoc ipſum, quòd non dedignaris levidenſia illa mea, tantum me Tibi obſtringit, ut non dediſſe quicquam, ſed accepiſſe plurimum gloriari poſſim, quaſi depoſito Tibi generoſæ fidei cuſtodi, feliciter credito, quin ego ipſe, quaſi in Gratia Tuæ & Clementiæ ſinu repoſitus mihi videor, quoties Cheirographum Tuum accipio, quo fidejuſſor alius certior eſſe non poteſt. Patere me ergò in ære Tuo tantiſper eſſe, dum Chriſtus quem ſeriò imploro, id exolvat, qui eam Tibi gratiam concedat, ut cum annorum & fortunarum incremento* Gratiâ apud Deum hominesque præpolleas. *Vale* Generoſiſſime Princeps, *& fave*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 12. d. Martii 1647. *Clienti humillimo.*

EPIST. CCV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

ETsi nolim Te meis literis obtundere, tamen cùm abhinc octiduo à scriptione abstinuerim, ne Tuâ in me propensione & promptitudine meũ obsequium & officium antevertas, id mihi studio cavendum duxi; Scribo igitur, & ut fabrilia fabri, ita dum in Seleniano meo *excolendo totus sum, ejus rei aliquam tabellam Tecum communicare libuit, unde consilio & instituto meo, conjecturam capias. Erit fortaßis, cùm Te liberior aër, ad perlustrandas exteras oras emittet, & ad nos quoque deferet, cùm hunc secessum meum præsentiâ Tuâ illustrabis, & gratitudinis meæ monumenta corâm cernes, quo mihi contingere vix quicquam posset cùm optabilius, tum honorificentius. Magno verò meo dolore mihi nuper* [9. Martii] *extinctus est* Iohannes Altermann *pictor non ignobilis, mihi coævus, & à triginta annis perfamiliaris, quo ut plurimum sum usus, ita eum exornando* Seleniano *destinavi, quòd arte & judicio, quæ in* Italia *per* duodecennium *perpolivevat, multum valeret, &* Seleniano *contiguis ædibus habitaret. Ita me deseri à* vitæ sociis *magis magisque video, quibus, quò pauciores mihi supersunt, qui sanè paucißimi, eò mihi eorum absentia est desiderabilior, quò magis subinde vasa ut colligam admoneor, ut turbas humanas deponam ipse prius, ac potius, quàm ab iis proturber & ejiciar. Sed nolo Te his insuavibus tristem facere, cui jam læta ætas longos annos, eorundemque uberem proventum pollicetur, cui* Christus *feliciter annuat, qui Te* Principem Celsissimũ *cum* Inclutis fratribus *sospitet & servet. Vale & fave*

St. 19. *Mart.* 1647. Ill. C. T. *humill. Clienti.*

SELENIANVM HOC EST

AUGUSTUM MUNUS

VBI

IOHANN. VALENTINVS ANDREÆ,

SEXAGENARIO MAIOR

VITÆ SATVR

STREPITVM NAVSEANS

VANITATEM EXPERTVS

ANTEQVAM HINC ABEAT

RESPIRANDVM SIBI DVXIT.

HOSPES QVÆSO

CVRAS, ODIA, QVERELAS

NE INFERTO,

SED

PIIS, HONESTIS, ERVDITIS

SERMONIBVS

LIBERALE IVVATO OTIVM,

AVT SECVM HABITARE

SINITO.

REPAR: M. DC. XLVII. MENSS. VERNIS.

Epist. CCVI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

S*Eleniani* delineationem, aspectus non injucundi unà cum Literis Tuis, melleum *solitariæ vitæ* gaudium spirantibus, accepi. Facilè Tibi in eo calculum meum addo, & felicem omninò arbitror illum, qui procul à tumultuosæ fortunæ fluctibus, innoxiis illis vitæ deliciis immoratur & immoritur; ejusdemq; sententiæ plura Exempla, si mihi Historiarum volumina evolvere liceret, adduci possunt. Vnum atque alterum saltem ut adferam, constat: *Agrippæ* Mitilense suum secretum longè acceptius tandem fuit, quàm lubricæ populorum acclamationes. Intimius etiam amavit *Mæcenas* peregrinum in ipsa urbe otiū, quàm pulverulentam belli gloriam, laboribus nimirum exantlatis, quies privata, ut securissima, ita jucundissima, gratiæque divinæ, si ullum aliud, indicium certissimum. Diutius *Annæus Seneca* senilis corporis spiritum retinuisset, si non palatia, quorum fulgore perstringebatur, invidiæ ostentasset, sed villas & otium, quod serò fecit, pro mensura studii privati secretus, & incomitatus amasset. *Poëtæ* sanè, sicut plerunque à strepitu negotiorū, ita sanè à veritate in hoc aberrare non videntur, quòd amœnum aliquod secretum, ubi cum Diis & Musis suis liberius versari possunt, sibi eligant, & communem vulgi sortem in comparandis ædibus supergredi ament; haud enim ignorant, uti equum ad cursum apertus & liber circus provocat, ita animum ad studia excelsa & colloqui Deorumque vagans,

vacans-

vacansque aura impellit. Breves & viles *corporeæ* juxta Poëtas sunt voluptates, quibus marmorea sunt ædificia perstrepunt, liquidiores autem illæ, quas *animi* delectationes appellare solemus, & quæ dulce commercium habent cum æternis illis, quæ nos beatos efficiunt, sanctum Musæum, pium Tusculanum, & talem secessum, qualem Tuum *Selenianum* præ se fert, inhabitare solent. Quacunq; re sumus hilariter contenti, eam, licet omnium videatur minima, Paradisum quasi nostrum putamus, ex eaque requiem & voluptatem vitæ nostræ metimur. Non solùm igitur prædictus aspectus delectavit, sed etiam propensissimus in nos, nostramque totam familiam Tuus animus mirificè me exhilaravit: Quo nomine brevi hoc responso literis Tuis deesse nolui, imò nec debui, & pro affectu in me tam *multivario gratias* Tibi habeo, benevolentiamque meam cum omni incremento hisce repono. Vale. *Guelpherb*. 23. Martii, 1647.

Rev. Tuæ Dign.

Observantissimus.

Epist. CCVII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Literas Tuas, generosæ Philosophiæ, quam dolori meo ex Patriæ funere opponis, legi libenter, & non parum iis me refectum fateor, cùm tamen illius magnitudo, in perpetuo tristissimarum exequiarum intuitu, omne verborum lenimentum superet, aliaque actoris & spectatoris, alia relatoris ac auditoris ratio sit, nosque ipsa malorum diu-

turnitas enervarit, facilè Tibi concedo hanc animi fortitudinem, me verò unâ spe finis malorum sustineo, seu quæ cum vitæ *termino sit conjuncta, cùm citerior alia minimè expectanda mihi animo corporeque fracto, videatur. Quòd verò de* edendis *aliquando* familiaribus Literis noſtris *mihi indulges, summæ gratiæ loco duco, maximasque gratias ago, facturus intelligas, me non minus Dignitatis Tuæ & existimationis, quàm famæ meæ aut Commodi fore & nunc, & semper, & ubique observantißimum. De* bonis Eccleſiæ *interceptis, nobis restituendis, permagna spes nuper facta est, maximo plausu recepta. Si tamen* Eccleſiæ *Oeconomiam penitiùs introspiciamus, frugali victu, quam sagina semper innocentiorem fuisse, & eminentiorem animadvertemus. Nos hoc agamus, ne maleficiis nos potius in religiosa inquinemus execrandi, quàm beneficiis reddamus memorabiles, & longâ benedictione in atriis Domini florentes. Quod ut* Domus Tuæ Sereniſſimæ *exemplo Tibi etiam feliciter cedat*, Chriſtum *propitium precor. Vale.*

Ill. Celſ. Tuæ

Ex *Seleniano*, 2. April.
1647. *Cliens humillimus.*

Epist. CCVIII.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps, Domine longè clementiſſime,

U*Tinam, quàm nimis fortaſſe liberale & propitium est Tuum de* Saubertina mea parentatione *judicium, tam minus iniquum mihi ab aliis expectandum foret, cui ea proferre de* Sauberto *& veritas, & Ecclesiæ necessitas imposuit, quæ*

quæ vel pauci intelligunt, vel multi ægrè audiunt, plærique verò aut negligenda aut reticenda censent. Nam cùm Religionis speciosum Nomen non „ *tantùm* Pontificiæ Tyrannidis, *sed &* Pseudo-Evangelicæ dissolutionis *fit vehiculum pariter, & operculum, quotquot ejus* Eleusynia sacra *pro-* „ *dunt, capitis periculum sibi accersunt, quod cum* Arndio, Sauberto, Schmidio, Meyfardo, aliis-*que sæpè sum expertus. Tibi verò* inclute Princeps, *non tam pro hâc ingenuitate & facilitate Tua gratias quàm maximas ago, quàm ex animo gratulor, cui ab iis informari & componi contigerit, qui* Verum & Bonum *rectè colant ipsi, & ejus cultores foveant, quibus studiis efficies, ut Deus Te amet, & ad summa quæque evehat, planéque Beatum* reddat. *Vale & fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 9. Aprilis,
Anno 1647. *Clienti humillimo.*

EPIST. CCIX.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime.

C*Vm mihi temporis Sacra* Passionis Christi *historia ex officio explicanda veniat, in eam toto animo defixus libenter omnes alias cogitationes excludo, ut rei tanti momenti liberiùs vacem. Est autem ea cùm nostræ perditionis, tum restitutionis* lucidissimum speculum, *ubi* primævi Parentis *nostri nocentis culpam, & innocentissimi* Christi *pœnam, simulque quanti Deo constiterit, ne, qui perieramus, periremus intuemur. Quæ post Paulum* 2 *Cor.* 5. ℣. 21 *disertissimus* Augustinus (*in Enchirid. ad Laurenti. c.* 41.)

egregiè complexus : Ipse (*Christus*) *peccatum*, (*ait*) *&* nos *Iustitia*, nec nostra, sed Dei, nec in nobis, sed ipso. Sicut ipse peccatum, non suũ, sed nostrum, nec in se, sed in nobis factus est. *Et brevius* (*de verbis Apostol. serm.* 5.) Deus pater eum, qui non noverat peccatum, (*nempe Iesum Christum*) peccatum effecit, ut nos simus Iustitia Dei, (*non nostra*) in ipso, (*non in nobis.*) *Hæc quia summam omnem totius mysterii exhauriunt*, *etsi Tibi Sacra meditamina in parato esse scio, ut tamen & illa ruminares, quàm inanes literas adferrem, malui.* *Quòd* Selenianum meũ *approbas, eique benè precaris*, magnæ gratiæ *loco duco, nunquam post honestam missionem ab* Aulæ *strepitu, &* Curiæ *pistrino majorem* otii *infamis, quàm liberalioris* negotii Vobis *impendendi rationem habiturus, & intra testam meam salutem Domûs Vestræ, cui hunc receptum debeo, apud Deũ seriis precibus procuraturus.* *Te verò* inclute Princeps *spaciosus arduæ Virtutis Campus expectat, quem ut feliciter, & plausu publico percurras, seculumque Tuum nobilites, Christum propitium precor.* *Vale & brevitatem solennibus hujus temporis condona, at favere perge*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 16. Aprilis,
1647.

Clienti humillimo.

EPIST. CCX.

Illuſtriſsime & Celſiſſime Princeps, Domine longè clementiſſime,

T*Ristibus* Christi Soteris nostri *agoniis defuncti, nunc Victori & Triumphatori* pæana *dicimus, &* azyma *libamus.* *Vtinam verò, quàm*

quàm Passione morteq; sua *nobis ad patientiam, carnisque mortificationem præivit, ita* resurrectione *sua novam vitam apud nos perficeret! Scilicet, ut* motâ terrâ *prodiit è tumulo, sic cor nostrum verâ* contritione *emoveretur; ut* custodes *stupefactos dejecit, ita nos* carnis, mundi, Satanæque *custodias transiremus; ut* totus, vereq; *surrexit, nos pariter absque* hypocrisi & fraude *omnibus animi facultatibus restitueremur; ut* Linteamina cruentata *post se reliquit, non minus nos* Superbiæ, Voluptatis & Avaritiæ *inquinatas lacinias desereremus; ut* primo diluculo *apparuit, ita nos pœnitentiam* minimè procrastinaremus; *ut* nunquam posthâc *est mortuus, sic ad vomitum nos* nunquam *rediremus.*

Hæc Sacra meditamina, non quòd ea nescias, sed quia scio, iis Te, Generosissime Princeps, *delectari, tecum communicanda duxi, ne semper à me querulas & funestas literas accipias, quæ molestam Tibi reciprocationem faciant. Nihil verò ad leniendas cùm publicas, tum privatas calamitates efficacius est, quàm in Christum intueri, cui non nisi* per dura & dira ad duratura, & diribitoria *eniti est concessum, parato nobis Exemplo, atque documento, ne aliam unquam, nisi* per angusta ad Augusta *viam attentemus. Superest, ut cùm Tibi* Majus *mensis, totius anni amœnissimus, ejusque* dies decimus sextus, *mannæ Cœlestis prima collectione notabilis,* natalemq; vigesimum primum *advehat, Literæ verò meæ per ambages tardius ad Vos pertendant, malui piâ gratulatione votoque calido officium meum anticipare, quàm inter Clientes Tuos seriùs apparere,* Christum *precatus, ante-lucana hæc vota, & sacri Veris primitias rata, grataque habeat, & in salutem Tuam, quam omnes expetimus, convertat. Neque Te morabor diutius, ut audire plausus*

Tuorum, quos habebis numerosissimos, vacet, sed quorum nulli, licèt ingenio, candore tamen, cultu & desiderio cesserim. Vale feliciter, & fave

Ill. Cels. Tuæ

Ex *Seleniano* 23. Apr.
Anno 1647. *Clienti humillimo.*

Epist. CCXI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

TErnas Tuas *Literas* non ita pridem ad me datas, accepi hilari fronte. Meum itaque erit hac oblata occasione breviter ad illas respondere. *Selenianum* Tuum *opus*, in quo excolendo Te totum jam esse, scribis, valdè mihi probatur. Etenim singularem Tuam cupiditatem nomen nostrum celebrandi & posteris commendandi ex illo tanquam ex tripode colligere possum. Præterea nihil potest illo esse jucundius, non modò *miseris & luctuosis* temporibus, sed etiam *tranquillis & optatis*, præsertim vel animo Tuo defatigato, qui nunc ex magnis occupationibus quærit requiem: vel erudito, qui semper aliquid ex se promit, quod alios delectat. Sanè si aura mihi afflaverit aliquantò clementior, & ad exteras regiones perlustrandas conducibilior, quo mihi nihil accidere potest optabilius, confirmo tibi, me Te, Tuumque monumentum hoc non præteriturum, interim illud perficere pergas, Deus prosperum largiatur successum. Literæ Tuæ de *Sereniss. Dn. Parentis anno climacterico* ad me & *Fratres* exoptatæ exaratæ, non potuerunt non mihi etiam esse gratissimæ:

mæ: in iis enim omnis amor Tuus & in Serenissimũ *Dn. Parentem*, & in totam nostram familiam ex omnibus partibus se ostendit. Est profectò, quod summo rerum Moderatori maximas agamus gratias, quòd annum hunc tam feliciter præterlabi siverit, variaq; *charissimo* huic *capiti* impendentia pericula clementer declinaverit, Illum supplices subinde venerantes, ut hoc *dulce decus nostrum*, & *patriæ firmum præsidium*, superstes & incolume diutius præstare dignetur. Tibi verò pro constanti Tua in nos voluntate immortales habeo *gratias*, & maximas quoque agunt Tibi mecum fratres mei.

Proximè acceptæ Tuæ Epistolæ duo priora capita tacita relinquam, cùm nihil ferè habeant, cui in superioribus meis non fuit responsum. *Ecclesiasticorum* autem *bonorum* restitutionem omnibus bonis maximoperè optandam esse existimo, sperandumque Principes Rom. Imperii, conciliatâ tandem pace, id operam sedulò daturos, ut sublato *abusu*, *verus* eorum maneat *usus*. Interea temporis necessitati parendum, quod nunquam non sapientis fuit. Hisce Deo feliciter commendatus vale. *Guelpherb*. 4. Maii, 1647.

Rev. T. Dign.

Observantissimus.

EPIST. CCXII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Quòd si aliqua intermissio officii à me facta est, non desidiæ imputabis, sed verecundiæ, quâ parcendum Studiis Tuis magis seriis, & necessariis

ceſſariis exercitiis, putavi. Etſi quidem ad ſcribendum Te paratum valde, videam, nolim tamen literarum mearum frequentiam tædio Tibi potius, quàm voluptati eſſe, cùm rarò adferant conditione Tua, & ingenio digna, Tibi verò in erudita Tua aula, omnia, quæ animum afficiant, & inſtruant, abundè ſuppetant. Ne tamen illuſtre hoc tecum Literarium commercium, quo mihi nihil prius aut poſterius eſt, deſeruiſſe videar, en ſiſto me poſt aliquam temporis intercapedinem, ac ne nihil agam, hoc calidum votum *fero, ut Te aliquando* Principem *non à* vitiis *tantùm, quæ execrandam & pudendam ſui memoriam relinquant, alienum, ſed à* NÆVIS *etiam, qui comitari etiam egregios quosque ſolent, ſuis verò incommodos & ingratos reddunt, immunem habeamus. Neſcio enim, quàm proclive ſit* Principibus *ſuo ingenio indulgere nimis, quò facilè à Miniſtris voluntatis ſuæ, obſequioſis provehuntur, ut quàm â rectâ viâ delinquant, non intelligunt. Videas enim* Principes, *dum* Magnifici *eſſe volunt, nimium* pompoſos, *qui vel inſanis ſtructuris, vel ludis ſcenicis, vel luxu Apiciano fundum ſuum exhauriant, artificibus, mimis, ſtructoribus, & lurconibus grati, ſubditis verò ſuis graves. Alii dum* eruditionis *famam captant, in* curioſas *potiſſimùm* artes *prolabuntur, colluviemque præſtigiatorum, ciniflonum, aruſpicum, divinatorumque colligunt, quibus dum ſe familiarius exponunt, ſuis ludibrio fiunt, plurimumque bonæ rei decoquunt. Sunt contra alii, quibus* omnis eruditio *tanquam faſtigio ſuo indigna* ſordet, *ad viliſſima tamen quæque ſe demittunt, vel domi abdunt, ut muſcas configant, vel ne ſit inter peritos rerum erubeſcendũ, non niſi cum* barbaris *converſantur. Quibus proximi, qui* affectato faſtu *optimis quibusque & terræ ſuæ ornamentis alloquium denegant, eorum conſi-*

consilia aspernantur, opera egregia fastidiunt, merita incomparabilia vilipendunt, stipendiaque fide & studio debita intervertunt, interim inter ancillas, lixas, muliones, & id genus rejectamenta Comes, faciles, munes, largi, ductiles, obsequentes etiam, imò ad nutum subjecti, maximo suorū, qui sapiunt, gemitu & onere Adde *qui* venationis *intemperie aguntur, & sub eâ ferinam Naturam induunt, in lustris crebrius, quàm choro, foroque conspicui, cane molosso, quàm ornatissimo Cive, prudentissimo Senatore, religiosissimo Sacerdote, & fortissimo Equite beatiores; Venabulo quàm Legum Codice feliciores, & latratus canum, quàm concentus exquisitissimi appetentiores, non sine magnitudinis suæ dedecore; Nolo plures nævorum species adferre, ne insectari potius, quàm dolere sortem Principum videar, ad quam relictâ Virtutis rectitudine ipsi se demittunt, hoc potius Tibi* Princeps feliciſſime *constare velim, quàm felici sidere natus sis, qui nihil tale Domi Tuæ videas, contraria verò omnia in* paterno ſpeculo *possideas, ad imitationem exposita, scilicet:* Magnificentiam *citra profusionem & vanitatem;* Scientiam *sine prohibitorum indagine;* Affabilitatem *absque omni abjectione;* Æſtimationem *in quocunque virtutis & officii, nullâ dignitatis jacturâ;* Corporis exercendi *rationes nequaquam cum populi cruciatu & vexatione conjunctas. O Te beatum, si hæc animadvertas, ô optimum aliquando & auspicatum populis Tuis futurum, si eandem* mediocritatis *viam teneas, & non à flagitiis tantùm, quæ meritò quisque abhorreat, sed his etiam dedecoramentis, quæ laudatos etiam consectari nonnunquam solent, & amorem suorum, æstimationem verò aliorum minuunt, abstineas; quæ eò confidentius apud Te Generosi animi Principem explico, quo indole Tua & jam*

osten-

ostensis egregiæ mentis speciminibus alleniorem ab hisce nævis persentio, quam integritatem, & ab omni labe defæcatum pectus illustrissimum propitius Christus perpetuum & invictum præstet, ex animo precor. Adamus autem ex Megalandri Lutheri *dicteriis, Coronidem, qui ex omni hominum genere* Magnatibus Remissione peccatorum *quàm maximè opus esse, dicere solebat, quòd iis, quibus plurima sint concredita, Ministrorum vitio vel committendo, vel omittendo delinquere sit necesse. Quò magis exorandum est Vobis* Sacri Spiritus auxilium, *quo* DUCE & LUCE *ea præstetis, quæ publico bono & immortali famæ Vestræ feliciter cedant. Superest* Exuvias B. Sauberti *à filio meo* Gottlieb *in memoriæ Sacello piè depositas, Nominique Tuo & Inclutorum Fratrum sacratas, nunc obiter monstrem, paulò post elegantioribus exemplis exhibendas. Nam cùm Vos Viri memoriam omninò recolendam generoso animo censueritis, nos contrà non posse ejus agones illustriori splendore, quàm* Augusti Nominis *Vestri luce rectius coronari putavimus, quod ut Clementissimo, quo soletis, affectu nobis permittatis, quanto possumus obnoxio & humillimo officio contendimus. Valete & favete æternùm*

Ill. C. C. C. V. V. V.

Stutg. 21. Maii, Anno 1647 *humill. Client.*

Epist. CCXIII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

C*Armen tuum* in *Natalem meum*, & dilecti *Fratris mei Ferdinandi Alberti* unà cum binis Tuis literis rectè accepi, cupideque omnia

omnia Tua perlegi: Legentur eadem à me diligenter, porrò & custodientur diligentissimè. Optimis scil. omnibus nos persequeris, quòd utrosq; *Majus* mensis *nascentes* primùm vagiensque in cunis *excepit*, & nescio quid non Tibi de Nobis polliceri habes. Placet profectò, Nobis *ad magna natis* votum hoc Tuum Viro Theologo dignissimum: Nos eo nomine gratias Tibi agimus maximas, & di-divinâ adjuti gratiâ id agemus sedulò, quò *paternis* insistentes vestigiis reddamus uberi proventu, *Deo & patriæ*, quod ab eodem accepimus. Iucundæ etiam fuerunt Sacræ Tuæ Meditationes in *gloriosissimam Christi Salvatoris Resurrectionem*, quæ me de quotidiana è sepulcro peccatorum resurrectione poterunt abundè satis commonefacere, quin imò debent jure meritò. Quod ad effigiem (*Eberhardi* 3. D. VVürt.) literis inclusam attinet, illam sæpius intuebor, mecumque circumferam, nunquam non memor illius Ducis, quem parva refert tabella. Pluribus hâc vice Te meis gravare nolui. Vale ac fave

Rev. D. T.

Guelpherbyti, 24. Maii 1647.

Observantissimo.

Epist. CCXIV.

Illustrissime & Celsissime Princeps,

Domine longè clementissime,

Quod candidè mea pro incolumitate & longævitate Serenifs. Dn. Patris Tui *vota*, & *pia desideria interpretaris*, *maximæ gratiæ loco duco*, & *plurimũ mihi gratulor*. *Nolim enim*

ex

ex iis videri, qui Fortunam *tantùm ejus sectentur, indeq; suum faciant quæstum, non magis* virtutem *colant, cujus tam conspicua in rem Christianam commoda redundent. Ac ne* Vobis *quidem* Filiis *ejus, quorum proxima & propria hæc felicitas est, blandiri potius velim, quàm preces Vestras meis suffulcire, & comitari, ut diuturna Domui Vestræ, Terris, Germaniæ, imò cætui Christiano esse poßit, atque perpetua. Quid enim in eo omnes & singuli poßideamus, nolo hic repetere, quid amissuri simus, nisi Vos Virtutis paternæ æ*muli, & hæredes, *id aliquando substituatis, cogitare non ausim, ne dum efferre. Nam qui* Religionem *seriò curet*, Disciplinam Christianam *sincerè urgeat*, Literis *studio ipse suo & impendio faveat*, meliorisque luti homines *candidè amet, rarior hodiè avis est, quàm citra invidiam pronunciare liceat; quò majus Divinum beneficium agnoscimus, quod tanti momenti Heroa, non tantùm rebus durißimis superstitem, quàm novis subinde auctuariis ornatiorem, vividum & florentem ad hoc ætatis productum nobis voluerit, quod non gratißimo animo recolere, in Dei benignitatem & indulgentiam injurium sit. Quæ, etsi Te probè scire & æstimare non ignoro, tamen qualia in* Seleniano meo *mediter, Vobisque* Eucharistica *parem, ut Tibi tam facili in me & comi Principi communicem, nec alienum à meo officio, nec Tibi ingratum arbitror, dum abesse omnem adulationis speciem constet. Nec alia mihi reciprocatione nostrâ dignior materia habetur, quàm dum possidemus, bona nostra agnoscamus, non demum cùm (quod diu Christus prohibeat) amiserimus, intellecturi. Quæ me ratio adegit, ut primus quod sciam, cùm* Inclutus Pater *modestiæ suæ involucro lateret, Orbi nostro prodiderim, & nunc tot sonoros ebuccinatores excitârim, ne post funera tandem,*

quem

quem Virum, quodve Cœli donarium habuerimus, rescisceremus. Dum hæc scribo, Forstenheuseri nostri Literæ Noribergâ accedunt, & Serenissimũ Dn. Patrem Vestrum *à scriptione excusant, facileque absolvunt, quòd* Nuptiis Cancellarii vestri D. Schvvarzkopffii, *quas* Filiæ *suæ paravit, summum earum ornamentum adfuerit, quibus de amplissimis honoribus* novis Nuptis, *& familiæ utriusque ex animo gratulor, & fausta quæq; apprecor. Mihi verò abundè sufficit, salvum & incolumem esse, audire, in quo salus & incolumitas mea terrena omnis vertitur. Ita & Tu* Princeps Generosissime *salvus sis perpetuùm, faveasque*

Ill. Cels. Tuæ

Ex *Seleniano* meo, calamo & chartâ non domesticis, 4. Iunii 1647. *humillimo Clienti.*

EPIST. CCXV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

CVm majorem ex literis Tuis subinde capiam voluptatem, Tuum solito diuturnius silentium ægrè quidem desideravi; tantùm tamen abfuit, ut negligentiæ nomine mihi suspectus esses, ut potiùs nimia atque ardua negotia hoc officii genus impediisse crediderim. Etenim quis aliâs est in scribendo magis impiger, quàm Tu? Ideoque non fuisset, quod tam operosè Te mihi purgavisses. Pro tuo ex sincero pectore voto maximas, ut par est, ago gratias; faxit DEVS, *sine cujus numine nihil est in homine*, ut omnia mea cogitata, facta & dicta illi respondeant semper. De me

sanè

ſanè promitto Tibi, me quantum conſilio, induſtriâ, & operâ conſequi potero, eò laboraturum ſedulò, ut detectis *Vitiorum* involucris, iisque remotis, ſolidæ veræque *Virtuti* litare queam. Haud enim obſcurum eſt, in quantas, in vitiorum pravitate prolabi non ceſſantes deferri ſoleant miſerias. Præterea cùm illum demum Principem *Magnum* appellare poſſimus, qui & ex *literis*, *&* ex *rerum uſu* ſibi comparavit *prudentiam*, nec optimarũ *Artium* ſtudia, utpote quæ juſtiſſimo populum æquiſſimoque regere docent imperio, abjicere; Nec prudentiſſimorum *Virorum* conſilia, quia nullius mortalium mens vidit unquam *omnia*, repudiare, mearum duco eſſe partium. Cum primis, quia hac in re exemplo & prorſus admirationi mihi eſt, Sereniſs. *Dn. Parens*, qui maximis rerum gerendis multum temporis occupatus fuit, nunquam è doctrinæ ſtudiis diſcedit, nec prudentes à ſe repellit: ſed eorũ conſilia diligenter indagat, cupidè audit, & diligenter inſequitur. Quare omninò Tibi perſuaſum habeas, velim, me, dum occaſio eſt, & virent genua, in iis potiſſimùm artibus me eſſe exercitaturum, quibus vera gloria paratur, mihique bonam ſpem & ad Deum, & ad homines, duce divino Spiritu ad ſequentem ætatem conſervaturum. Hiſce te bene vivere & valere exopto. *Guelpherbyti*, 22. Iunii 1647.

Rev. Dign. Tuæ

Obſervantiſſimus.

EPIST.

Epist. CCXVI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

QVaternas *jam meas, vel in manibus habes, vel brevi habiturus es, ad quas humanitatis Tuæ fiduciâ, responsa expecto. Interea ne importunus eorum exactor videar, subsistendum mihi putavi, dum Studiorum Tuorum rationes aliquam rescriptionem patiantur. Nec verò mihi alia nisi lugubris materia est, ex tristi patriæ meæ conditione, quæ Bellonæ ludibrium perpetuum, & spolium est, adversis partibus ita exposita, ut* Neutro-passivi *meritò dicamur. Nondum desævit* Seditio *illa* Germano Gallica, *quæ è confiniis ad interiora nostra pertentat, sedem, ni* Deus *prohibeat, nocentissimæ pestis in visceribus nostris fixura.* Pacis *interea procrastinationes, spem pridem meliorum, nescio quàm temerè conceptam, penitus extinguunt, ferociam verò, quàm unquam insessoribus nostris impotentiorem addunt, ut sub gemino onere propemodum succumbamus. Me privatim impedimenta illa angunt, quæ desideratam rudem meam, & in* Selenianum, *secessum meũ, suspendunt, ut quæ cum* Pace *stentque cadantque. Nam quæ requies expectanda nobis sit in ipsa Tragœdiæ scenâ, quis non videt? Emigrare verò corporis imbecillitas (quod tamen in votis esset unicũ) non finit. His ergò malis interclusis, ad Dei auxilium nobis perfugium superest, qui toties exoratus, inter* Pacis, *heu nimium* fallacis, *intervalla, &* furoris redivivi *stimulos, nos tamen sustinuit, ut Togatæ* Impietati, *& Armatæ* Superbiæ, *& dentatæ* Egestati, *&* Audaciæ *conterminæ, &* Dementiæ *domesticæ, quibus laceramur, tamen superfuerimus, ut flagella hæc non esse argumenta*

ira

iræ ejus, sed animi in nos patrii, nec abjiciendis nobis, & perdendis, sed emendandis servandisque adhiberi, intelligamus, & discamus, non frustra esse eos, qui suas spes collocant in ipsum, neque eos haberi per incuriam, etsi ad tempus, vidente eo, adeoque ipsius jussu conflictentur. Is Deus Virtutum *convertat nos, & ostendat faciem suam, & salvi erimus, Psalm.* 79. 20. *Stutg.* 25. Iunii, 1647.

EPIST. CCXVII,

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

QVamvis singulis Tuis per valetudinem respondere non valeam, ne tamen ingrati crimen apud Te incurram, intermittere haud potui, quin ad Tuas 18. Iunii, nihil mearum ad Te darem. Gaudeo confirmari quotidie magis magisque Tuam de me expectationem, quam, ne Te, vel potius meipsum fallam, omni curâ videbo. Pro transmissis *Libris* gratias ago, referamque ubi potero, maximas. *Selenianum* ut me Hospitem videat, optas, sed optatius sanè mihi nihil contingere posset, quàm ut brevi me hospitem videres. Paucis hisce vale. *Guelpherb.* 13. Iulii, Anno 1647.

Rev. Dign. Tuæ

Observantiss.

EPIST.

EPIST. CCXVIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Quod ante octiduum in me receperam, ut liberiore animo ad literas Tuas 22. *Iunii superioris datas responderem, id nunc exolvendum puto, stilo tamen & materiæ dignitate, Tuis longè inferioribus; quibus enim* Verborum *lenociniis; quo* Generoso *animi proposito; qua piâ* Divini Numinis *reverentiâ fidem nobis obstrinxeris*, Stadium *illud* Virtutis, *quod ingressus es, arduo studio & contentione maximâ decursurum, id arduo meo calamo neutiquam explicaverim? Intelligis autem, quantum* oneris *Tibi incumbat, qui non tantùm* Princeps *natus sis, sed ab eo Principe natus, qui inter omnes sui temporis Magnates,* Virtutis *omnigenæ principatum teneat, Tu verò non tam ejus* hæres, *quàm destinatus* Successor, *id omne Tibi sustinendum & propagandum scias. Quàm verò rara sit famæ & virtutis in traduce continuatio & augmentum, quàm frequens expiratio vel diminutio, ex Historia & Genealogiis nimis notum est, ubi sæpè in longâ serie paucos fundatione Status sui* strenuos, *constitutione* sapientes, *institutis* prudentes, *incrementis* felices, *conservationeque* commodos *invenias: plures inertes, inglorios, noxios & eversores publicæ rei in omni ordine reperias; quò magis, qui contingunt Divino munere boni, qualem Te expectamus, in precio habendi sunt. Cùm enim hoc tantum ingensque beneficium, nec ab* optimis Parentibus, *nec rectissimâ* educatione, *nec exquisitâ* Institutione, *nec* Instrumentis *idoneis, nec perfectò* Archetypo *satis dependeat, sed ex* manu DEI *sit* lux *mentis,* rectitudo *cordis,* industria *animi,*

robur *brachii, &* Imperii *diuturnitas, quæ seculi felicitati, vel infelicitati conceduntur aut denegantur*, *Terrisque nunc* palmæ, *nunc* flagella *constituuntur, Quis non Vobis, propriis Consilii Divini, & Iudicii Instrumentis propitium Numen, totumque Cœleste Satellitium, adprecetur, ut* fausta terris Sidera *appareatis*, *seculi* ornamenta *audiatis*, populorum *refrigeria dicamini, & posteritatis* specula *in Memoriæ Templo suspendamini. Quò magis Tibi* Inclute Princeps *in hoc fortunæ & Dignitatis culmine constituto, & ad res maximas accincto, de* præclaris initiis, & futurornm præsagiis *auspicatissimis ex animo* gratulor, *pariaque cum* incomparabili Patre *ad curandum publicum bonum eximia* subsidia *opto, innatam* Corporis *elegantiam*, Vultus *majestatem*, Sermonis *gravitatem*, Ingenii *acumen*, Memoriæ *fœcunditatem*, Dicendi *artem*, Expediendique *promptitudinem, quæ Te Magnum aliquando, sed citra Terrarum combustionem, hominumque voraginem, efficiant. Adderem plura, si Tu eorum commemorationem ferres, gravem pudori Tuo, qui nec ideò benè facis quicquam, ut audias benè, sed ut feceris, & in ipsa sola conscientia mercedem Tibi unam, atque gloriam statuis, aliorum securus præmiorum, quæ ultrò tamen ambiunt, non affectantem, & nec respicientem consequuntur.* DEVS *Te servet* carum Terris caput, *carum* Ecclesiæ, *carum* mihi, *illustre* Germaniæ, *imò* Europæ totius *Sidus, & præclarum ornamentum futurum. Vale & fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 16. Iulii 1647.

Clienti humillimo.

EPIST.

EPIST. CCXIX.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

CUm dispicerem, quid potissimum hoc temporis ad Cels. Tuam scriberem, quo desideratissimas, quas expecto, literas Tuas anteverterem, spontè ea, sed tristissima se obtulit materia, ex obitu [13. Julii] Viri nobilis, & è paucioribus Clarissimi, Philippi Heinhoferi, *omnibus bonis luctuosissimo, quo plus quàm dici potest, nuncio perculsus, ne tamen* animum *abjicerem, potius aliqua in Viri quondam amicissimi mihi* honorem *dicenda, apud Te, quàm dolori ex tanto* vulnere *contracto indulgendum putavi; Nec enim tam* Viri Virtus, *eximia illa quidem, & insolita multiplicium rerū cognitio, quam incredibilis in me amor, & indefessum rerum mearum studium, per* vicennium *& amplius constanter continuatum, merentur, ne interire apud me ejus memoriam unquam patiar, quam nusquam nisi in sinu Tuo* Generosissime Princeps, *rectius, & tutius reposuero. Nec enim aliam post* Philippi *Pomeraniæ Ducis cognomento* Boni, *aulam, quam* Vestram Augustam (*cùm plures coluerit*) *esse crediderim, quæ Viri fidem certius experta industriam exercitam exactiùs: diligentiam probatam evidentius: officiumq; adhibitum diutius habuerit, quò minus mihi dotes ejus explicare est necesse, cùm omnes eæ Vobis sint dudum exploratissimæ. Illud ergò tantùm apud Te deponam, quomodo in hujus Viri* notitiam *penetrarim, & quis amicitiæ ejus* usus *mihi insignis fuerit. Cùm* picturarum *artificiis impensè delectarer,* Calvæ Stephanus Michelspach, *Chartopola suæ ætatis celebris, qui ex iis quæstum faciebat, facilè mihi mercibus suis innotuit. Is duos*

Viros omnium elegantiarum & artificum quasi præsides, & promos condos laudare, & commendare mihi, nunquā desinebat, Christoph: Fürlegerum *Noribergensem, &* Philippum Heinhoferum *Augustanum*, *& se amicitiæ ineundæ pararium ultrò obtulit. Ac illius quidem fortuitò obtinui Anno* 1628. *Norībergæ, quam maximi feci, sed quæ brevior fuit, cùm* 30 *post diem magno meo dolore obierit; Hanc difficilius per literas impetravi, Anno* 1629 *sed* majoris precii, & diuturniorem, *quæ primùm literarum, postea artificiorum mechanicorum commercio culta, demum alloquio Augustæ Anno* 1632. *aucta adeò coaluit, ut cujus in curandis negotiis facilitatem, benè merendi actuosius studium, & scribendarum literarū infatigabilem operam cum Heinhoferi conferam, neminem ullibi meorum inveniam; cujus testes, post eos, quæ* Calvenii *incendio* 1634 *numerosissimæ perierunt, ultra* 350. *epistolæ, flagrantis amoris indices supersunt, quibus inexhausta vis ingenii*, septem linguarum *non vulgaris peritia, omnium aularum notitia, usùsque clarissimorum undique hominum plurimus, prodita, non potuere me non tam mirificè oblectare, quâm erudire de rebus multis, cùm utilibus, tum maximè necessariis, cujus me debitorem libenter profiteor. Unum verò ex iis omnibus longè præstantissimum mihi contigit, cujus æstimationem & memoriam, non nisi cum vita posuero, prædicationem verò immortalem, & posteris meis sacram esse volo & jubeo. Nempe, cum Anno* 1640 *Inclutus Pater Tuus*, D. Augustus, *quem* Sapientem *posteritas meritò dicet*, Passionis *Historiam vernaculam* Harmonicè *primùm evulgasset, eamque mirâ quadam in me animi propensione ad me etiam pertingere eleganti exemplo, pro Clementiæ suæ indicio, voluisset, Heinhoferoque administro suo, ad id officii uteretur,*

tur, non dubito, quin uterque *fidum mutui sensus* interpretem, *& industrium*, *ut Serenissimi indè affectus, ita devotissimi hinc obsequii* internuncium *habuerimus, unde id progressu temporis profectum, quod per verecundiam proferre non ausim, certè mihi in vita nihil optatius, nihil fructuosius, nihil honorificentius, nihilque memorabilius obtigerat. Cujus, etsi totum* Magni Parentis *Tui generositati deberi, atque in solidum facilè agnoscam, quin tamen aliquam partem* Heinhoferi *manibus indulgeat, meamque hanc confessionem accepti beneficii ferat, minimè dubitaverim. Ab eo enim tempore non desiit, vel quæ ad Laudatissimi Patris ornamenta, famamq; facerent, mihi insinuare, vel quibus ego obsequiis tam propitium in terris numen meum, colerem ei commendare, semper verò testari suam inserviendi, beneq; merendi promptitudinem, quæ per tot annorū vices, & calamitosissimi seculi varios actus continuata, ingens sui desiderium post funus mihi reliquit. Ipsum quidem Heinhoferum mors nimis intempestiva multis adversitatibus eripuit, jam* Septuagenario *qui vitæ humanæ terminus esse solet proximus, alieno tamen suis tempore, afflicta domi re familiari, &* filiabus *duabus, honestissimis* Virginibus, *nondum elocatis, quæ cruciasse animum ejus non nescio & præsidium rerum suarum in* uno Patre Tuo *locasse testis esse debeo, cujus pietas pupillorum duriorem sortem, sat scio nunquam deseret. Me*moriam *verò Viri tuebuntur cùm omnes, quotquot* Artes linguasque liberaliores *colunt; tum* Artificum, Mechanicorumq; *omne genus: cui* Architectus *ipse admirabili judicio præfuit; sed &* Magnates, *quorum negotia solicitè & diligenter egit, imò* Religio *ipsa, cujus causæ Patronus impiger fuit;* Amicorum *verò innumera turba, quâ cum literarum commer-*

tium assiduum habuit, exaruisse hoc calami flumen, & defecisse tam liberale officium dolebit. Ego inter probatissimos Amicos *numeratum lugebo, dum vita supererit, sequarque* lubens, *cùm* DEVS *jusserit, cùm ea mihi ab amicis aliis post alios abeuntibus orbitas & solitudo indicatur, ut nisi* indulgentissimi Patris *Tui serenitas me sustineat, unde fesso curis, corpore afflicto, animo terrena cuncta nauseante, aliquid subinde fomenti & refectionis affunditur, omnis posthac vita acerba mihi habenda videatur. Habes quæ in* Viri *mihi quondam* amantissimi *funere doloris sensus dictavit, quæ si minus jucunda Tibi* florentissimo Principi, *Viro tamen salutis Tuæ maximè avido, & commodorum Tuorum studiosissimo honorifica, à me debito apud Te reponenda, visa sunt, quorũ, sive importunitatis, sive impudentiæ veniam abs Te humiliter precor, & faciliorem mihi polliceor. Addat* DEVS Clementissimi Patris *annis,* Tuosque, & Fratrum *continuet sospites, bonisque omnigenis impleat. Pax sit* Heinhoferi *beari cineribus,* me *facilis transitus exolvat,* DEVS *nos omnibus malis liberet. Vale & fave*

Illustr. Cel. Tuæ

Stutg. 30. Iulii 1647.

Clienti humillimo.

Epist. CCXX.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Q*Vò sapidiores mihi sunt Cels. Tuæ literæ, hoc impatientiore desiderio eas expecto, cùm jam à 22. Iunii, nullas earum viderim, ac si hodiè fortè, sed tardius adveniant, beaturæ quidem plurimum,*

simum, sed ob temporis angustiam nullas respondendi partes mihi sunt relictura; Nec verò quod scribam auribus Tuis dignum ad manum nunc est, nisi proximo hujus 9. (*quo olim Anno* 1621. Pater *meus* amantissimus *diem suum placidè obiit*) Adamum Burgerum, *cum sua Conjuge* Barbara Angerina, *quam abhinc* 49. *annis* 16. *Iulii duxit, matrimonii sui* Iubilæum *diem festum & solennem habiturum, cui & Principis Heri mei, præter plures alios Legatus aderit, Virum vividi senii, integrisque planè omnibus sensibus, de juventute, quam supputandi artibus & pingendis eleganter literis* 11624. *capitum per* 51. *annos instruit, præclarè meritum: Vxore præterquam annis, vivacitate & fide nihil inferiore. Eadem solennia Eucharistica quondam Anno* 1632. 9. *Iulii, Socer meus venerabilis* Iosua Grüeningerus, *cum sua* Barbara ab Effern *habuit*, 78. *ætatis propemodum absoluto, cui ego in Ecclesia Popenvilensi, quam jam uno supra trigesimum anno administrarat, publicè bonis verbis praivi Ante ipsum verò* Pater Erasmus *cum* Elisabetha Fasnachtrina *sua* 74. *egressus, majore liberorum, nepotum & pronepotum paratu obtinuit, aliosq;* 16. *annos placidissimi conjugii & viridis senii addidit, potuissetque idem in filia* Elisabetha *cum marito* Georgio Beccio *videre, nisi hic rustico pudore abstinuisset. Hæc rarioris sunt exempli, ac in una familia charissimi. Ego quidem secundo hujus*, trigesimum quartum *nuptialem festivum habui*, Augustæque Domui *bona sum cum amicis precatus, cui Soteria mea deberentur, sed ut* Iubilæum *expectem, effœto jam corpore, & animi vigore, hoc præcipiti senio meo exarescente, temeritatis potius, quàm alicujus fiduciæ censeri posit. Deo tamen relinquo, quicquid ipse de me statuat, æquo gratoque animo admissurus, cùm*

omnis vitæ meæ periodus insolitis vicibus & rotationibus retrogradis peracta sit. Sed ad Burgerū, *bis sponsum cum unâ, redeo, cujus in sua arte recentius dexteritatis specimen mitto, cui* Cofficæ, *ut vocant, subtilitati, ipse olim sub Magistris* Meſtlino, & Mageiro *indulsi, majore curiositatis voluptate, quàm utilitate, cujus tamen nondū pœnitet. At dum hæc scribo, Vestræ adveniunt longè exoptatissimæ, sed viginti quatuor diebus integris inter infestas vias impeditæ; Hoc unum me perculit, quod de* adversa Tua valetudine *submonuisti quam tamen interea restitutam silenti in Deum animo, ut opto, & precor, ita spero.* Libros *meos Vobis non ingratos esse, mihi plurimum gratulor.; Te videre aliquando* Hospitem, *imò* Herum *mearum ædium, &* alterum Solem, *gestio, fiat, ô fiat! Nunc verò morulam responsioni meæ concedite, quam ipse libentius dabis jam antè meis obrutus* Christus *Vos* Inclutos fratres, *omni genere donorum* Spiritus Sancti sui *copiosissimè beet, ornetque, ut Patriæ, Domui, Reipublicæ & Ecclesiæ, quàm maturissimè utiles, quàm diutissimè incolumes sitis. Valete & favete, quod facitis,*

Ill. C. C. C. V. V. V.

Stutg. 6. Augusti 1647.

Clienti humillimo.

Epist. CCXXI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

CVm nullum in Te officium sine culpâ præterire posse videar, non ad binas Literas transmissas Tibi respondere, brevitati

tati

Iustitiæ senilitùs progrediens, *ad* canos *usque* paternos, *omni gloriâ coronatissimos*, *ipsumq*; Augusti Imperii Iubilæum *pertingas*. *Vale & fove*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 13. d. Augusti,
Anno 1647. *Clientem humillimum.*

EPIST. CCXXIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

E*Tsi in hac temporis angustiâ vix superest*, *ut pro Tuis literis benevolentiâ in me plenissimis*, *paria faciam*, *quin tamen Tibi de* restitutâ *ex calido meo voto*, valetudine *gratuler*, *solidamq*; *& perennem sanitatem comprecer*, *abstinere non potui*, *sed & gratias agere quàm maximas*, *pro dolore Tuo ex nostris malis*, *& solaminibus*, *lenimentisque eorum*, *pio & generoso animo depromptis*, *nobis exhibitis*. *At sanè abegit* DEVS *ignavum fuci pecus à præsepibus nostris*, *ipsosq*; *haud dubio mala causa conficiet*, *& nisi nos* Pax illa tardigrada *tandem respiciat*, *dilatum potius*, *quàm ablatum nostrum exitium*, *metuendum est*, *certè lentâ morte intereundum*. *Aliquid tamen spei superesse*, *ex Te lætus audivi*, *quod utinam* Christus *ratum habeat*, *qui Te donis illustribus auctum*, *rei suæ*, *& publicæ*, *sed & meæ*, *florentissimum servet*. *Vale & fave*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 20. Augusti,
Anno 1647. *humillimo Clienti.*

Epist. CCXXIV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

ANimus Tuus, in piè defunctum *Heinhoferum* pietatis plenissimus, vehementer mihi probatur: Video enim illum discessisse, quem vivere & nos vellemus, & expediret bonis quàm plurimis. Verùm cùm frustra pii simus piorum mortem nimium lugentes, paucis, quantum per valetudinem licet, ad literas Tuas respondebo, & dolorem Tuum lenire conabor. Scias autem istius Viri obitum & mihi satis extitisse acerbum, tum quòd Te magno, fideliq; amico hâc ratione orbatum sentio; tum quòd familiæ nostræ eundem cognovi studiosissimum. Præterea etiam, quantum bono publico detrimentum clarissimorũ, & de Republ. benè meritorum Virorum interitus affert, minimè me fugit, cæterùm quia non totus interiit, sed pars melior sydera petiit, famaque benè actæ vitæ in terris mansura est perpetuò, non malè sanè cum illo actum esse videtur. Præsertim verò hoc tempore, cùm tantæ de imperio passim fiant diminutiones, tot regiones conquassentur, tot florentissima olim oppida jam devastentur, & diruantur, & nil ferè fit in mundo, quod senem potissimum ad diutius vivendum invitare queat. Ille autem omnibus turbis elapsus æternum illud domicilium beatorum pervenit: Gratulemur igitur ei hanc felicitatem in Dei voluntate placidè acquiescentes. Hæc Tibi commemorare volui, si fortassis eadem, quæ mihi, Tibi etiam dolorem minuere possent; Quod reliquum est, Tibi pro *grata Tua* in nostram Domum

tati autem ignoſcas quæſo. Ad *nonum Iulii* exaratas quod attinet, ſunt illæ mihi magno diligentiæ Tuæ argumento, intelligo enim, quantopere labores, ut expectatiſſimæ Tuæ literæ rectè ad nos perferantur. Vobis autem cùm malè feriatis, de quibus ſæpe conqueſtus es, adhuc conflictandum eſſe doleo. Te verò eum eſſe, qui adverſa forti animo ferat, ſpemque in Deum ponat, gaudeo. Ex *Eucharisticis Tuis* magnam cepi voluptatem, cùm, quòd ſingularem tuam pietatem luculentiſſimè declararunt, tum verò, quòd periculorum varietatem, quæ evaſiſti, ob oculos poſuerunt: ſi namque ancipites variique alicujus caſus felici concluduntur exitu, animus jucundiſſimæ lectionis voluptate expletur. DEVS, cujus benignitatem nunquam in Te claudi ſenſiſti, porrò Tibi adſit, & in hiſce bellicis tumultibus Te ſervet, Eccleſiæque & Reipubl. literariæ præſtet incolumem.

Literæ autem ad 16. *Julii* datæ incredibili planè me affecerunt lætitiâ; Et quia Tuum de *vita meâ* rectè regendâ conſilium, prudentiæ & fidelitatis pleniſſimum repetebant. Et quia mentem meam nuper declaratam, Tibi probari non obſcurè ſignificabant. Etenim à *teneris* annis, bonis placere *Viris* non infimam *laudem* ſemper duxi. Et certè ſi aliter ſenſiſſem, admonitiones Tuæ me reprimere, aut ſi dubitaſſem, rationes tuæ me impellere potuiſſent, ut id, quod optimi quique optimum ſtatuunt, ſequerer. Perſuadeas igitur Tibi, quantum viribus eniti, conſilio providere, autoritate movere, divino adiutus auxilio poteto, id omne Dei honori, & Reipubl emolumento eſſe futurum. Tu interea temporis va-

le & favere perge. Dabam *Guelpherbyti*, 10. Augusti 1647.

Rev. Dign. Tuæ

Observantissimo.

Epist. CCXXII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Cum frequentioribus jam ante literis meis sis oneratus, breviori nunc mihi esse licet, imò propemodum est necesse, domi forisque distento. Nam cùm Collega meus, quo cum divisos habeo labores, Thermas Bollenses *adierit, solus Aulæ sacra obeo: Vxor verò mea jam à septimo hujus cum difficilimo luctatur morbo, quò fit, ut cùm domo abesse vix liceat, foras alieno maximè tempore protrudar.* Vegetius *noster* Burgerus *Iubilæo suo, memorabili spectaculo, egregiè est defunctus, alacri inter* Principis Heri mei *Legatum & me, medio incessu, vultuque læto, conspicuus, nec minor* Sponsæ *vivacitas, orisque decor apparuit, honorabili ex utroque sexu conductu eos prosequente. Sermonem ad frequentissimam Concionem habuit Cathedralis nostræ Ecclesiæ Antistes* Schüelinus, Canitiemque in via Iustitiæ acquisitam, *ex Salomone Rege (Prov.* 16. ℣. 31.) coronavit, *gratesque longævi matrimonii publicas solvit; Præiverunt hunc & secuti sunt Symphoniaci concentus, nec populi plausus defuit. Habes aliquid, quod prioribus meis addas, ut una possit haberi Epistola. Nolim enim inanibus meis vel turbare elegantiora Studia tua, vel exercitiis corporis destinatum tempus intervertere.*

Itaque Te dimitto, hoc unum precatus, ut in Iusti-

minus verecunder. Imò si DEVS *sinat, & uxoris meæ morbus remittat, meipsum Tibi vertente hoc anno coràm sistam, quem illum, ut propitius annuat, toto animo precor. Vale & fave*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 1. Septembr.
1647.

Clienti humillimo.

Epist. CCXXVII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

NIſi ego ſingularem animi Tui in me affectionem ſemper cognoviſſem, ſuſpicarer & vererer, ne in ſuſpicionem negligentiæ apud Te venirem, quod aliquantò tardiùs Tuis mihi gratiſſimis literis reſpondeam. Verùm cùm cauſam illius intermiſſionis tibi nuper partìm expoſuerim, ideò me facilè apud Te veniam & excuſationem impetraturum confido. *Valetudine meâ* quamvis æquè congaudere non poſſim, ac Tu mihi de eadem congratularis, nihilominus tamen pro benevolo *voto gratias* hoc nomine Tibi habeo maximas. Conjugem Tuam haud commodâ valetudine uti doleo, eam verò priſtinæ ſanitati nunc reſtitutam ſpero & exopto. Quòd integram *Vegetii Burgeri Iubilæi* ſolennitatem vel occupatiſſimus perrecenſere volueris, fuit mihi gratiſſimum, *DEVM Ter Opt. Max.* precor, mala quæ univerſam Germaniam ferè per 30. annos miſerè infeſtârunt, tandem avertat, nosque omnes diu deſideratâ *Pace* tandem reficiat,

ficiat, & beet quæso. Vale *Guelpherbyti*, 13
Septembr Anno 1647.

Rev. T. Dign.

Observantissimus,

Epist. CCXXVIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

PRo insuavibus meis & insulsis epistolis, elegantioris ingenii & artificiosioris manûs picturas alias mitto, quibus animum à seriis relaxes, & affectum in hujusmodi operarum fabrefactores, industrios induas, quibus ab omni ævo Patronis *&* Mæcenatibus *quàm maximè opus fuit. Ex iis renato seculo* Maximilianus Cæsar I. *& post ipsum* Carolus V. *nepos, Principes fuêre, non tam factis ipsis, quàm eorum artificiosis repræsentationibus in memoriæ tabulis posteritati expositi. Quos imitatus* Ferdinandus *Austriæ Archidux,* Ferdinandi I *Cæsaris filius,* Oeniponti *atrium Heroicum extruxit, quod cum stupore aliquando vidi* 1612. *felicissimus sanè* Maximilianus I. *fuit, cui* Durerus *contigit, non minus, quàm olim Alexandro Magno* Apelles, *artis excellentiâ magnitudinem factorum propè adæquando, oportunè idoneus. Cujus* porticum Honoris, *vastæ magnitudinis jam dudum ad Vos misissem, nisi transvectioni inepta esset, sed & aliqua parte lacerata, utpote neglectius ab imperito possessore habita. Tale quid, ni fallor, meditatur is, qui* Arboretum Augustum Brunovic. *lepidis inventionibus conficit, quod absolutum avidè expecto. Etsi enim omni ære perennius est quod* eruditorum *calamis mandatur, ipseque* Trajanus *Imperato-*

Domum *voluntate* gratias ago maximas, etiã atque etiam rogans, in eadem maneas, & pro incolumitate nostrâ vota facere pergas. Vale & favere perge

Rev. Tuæ Dignit.

Guelpherbyti, 24. Augusti 1647. Observantiss.

Epist. CCXXV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

DE *meâ erga* Cels. T. *summâ animi observantiâ, etsi abundè Tibi constare arbitror, nisi tamen Tibi subinde studium etiam meum probem, nihil fecisse certè minimè mihi sufficisse videor. Nam cùm Vos Principes cælo dari, non tantùm ut Numinis cælestis* simulacra, *sed rerum longè maximarum* ministros, *ad populos Pietate & Justitia continendos, fato missos jure credamus, nihil rectius fecerimus, quàm si omnem nostram facilitandis & evehendis ingentibus Vestris laboribus operam adhibeamus. Hinc qua animi sanctitate, fide & vita* gloriosi Majores Tui *imperium exornatum ad Te usque cum honoribus amplissimis & ditione sunt transmissuri, ea sinceritate & alacritate vestigia illorum Te sectaturum planè confidimus, ut qui jam eam nominis Tui famam passim excitaris, ut* Virtute antestare *eos velle videaris. Cujus Tuæ felicitatis non minimam partem debes adscitis in Comitatum Tuum Viris sapientissimis, & doctissimis, quorum subsidiaria opera, quod domi, quod foris agas, magis magisque intelligas sed etiam quod loquaris & scribas, à præstantissimis benè dicendi artificibus*

addiscas. *Quod cùm usu sit provehendum, rectè facis, quòd literarium meum certamen continuas, cùm non tàm mihi sit ambitiosum ab Illustri manu Tua literas accipere, quàm Tibi eas tanto judicio & politè scribere, fructuosum arbitrer, nunquam eas provocaturus, nisi præter honestam voluptatem, cum insigni utilitate conjunctum, multum laudis & famæ olim parituras Tibi, omninò crederem.* *Quales profectò sunt, quas hodie, cum* Incluti fratris *Tui accepi, eâ rectitudine judicii, animi generositate, & stili acumine scriptæ, ut nisi mihi Imperio Tuo respondendi partes essent injunctæ,* silentio *eas potius, quod in sacris decet, venerarer, quàm* strepero meo obloquio *prophanarem, cujus tamen pace Tua in octiduum dilationem sive comperendinationem petere necesse est. Interea* DEVS OPT. MAX. Celsit. Vestræ *salutem, vitam, incolumitatem, honores regat & conservet. Valete & favete*

Ill. C. C. V. V.

Stutg. 27. Augusti
1647. *Clienti humillimo.*

Epist. CCXXVI.

Illustrisime & Celsisime Princeps, Domine longè clementissime,

Quinque alias meas jam has præcessisse, ad quas Cels. T. *haud dubio nauseet, cùm animo reputo, horrori mihi est, alias vel brevissimas submittere, quin potius dandum Tibi respirationis spatium arbitrer, nec novis næniis meis id interturbandum. Sufficiat igitur paucissimis his lineis observantiam meam, & humile officium fecisse testatum, dum loquacioribus literis ad Te ire minus*

vatorum optimus. quasi Plinii *panegyrici beneficio magis vivere videtur, tamen & illud in oculos hominum incurrere, & famam benemeritorum in alios atque alios traducere expedit, quo fine* statuæ, & imagines, Trophæa, Epitaphia, Cenotaphia, & *hujusmodi alia inclutorum factorũ testimonia, & elogia laudabili consilio, instituta sunt Sed quo prolabor? qui literarum compendium his picturis facere constitueram: Desino igitur, &* Ill. Cell. T *cum* florentissimis Dn.Dn. fratribus *valere diu, & salvere jubeo.*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 17. Septemb. 1647.

Cliens humill.

Epist. CCXXIX.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

QVòd mihi iterum benevolentiam erga me Tuam literis probare, & generis, meique officii & conditionis admonere volueris, gratias meritò Tibi ago maximas; & sicuti Reges & Principes consuetudie Sapientum redduntur *Sapientiores*; Ita ego Tuis ad me gratissimis literis semper evado *doctior*, Indeque Studia, quibus ab ineunte ætate *Dominus Parens* me ad imbuendum dedit, non deseram, sed Paternis vestigiis insistam, & ne spem de me conceptam, aliquem fallam, omni curâ, Deo adjuvante, laborabo. Faxit DEVS ter Opt. Max. ut Tuis benevolis votis, & meo proposito respondeat eventus. Hisce vale, & Tuis literis me quàm sæpissimè invi-

sas

ſas velim, quippe tantò erunt mihi gratiores, quantò crebriores. *Guelpherb.* 21. Septembr. 1647.

Rev. Tuæ Dign.

Obſervantiſſ.

Epist. CCXXX.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps, Domine longè clementiſſime.

QVæ poſterioribus Tuis 31. *Auguſti datis, de Iubilæo matrimoniali* Varenbüleri, *Iurium quondam in almâ Tubinga Anteceſſoris nobilis, ſubindicâſti, ea nota nobis ſunt, & integro libello explicata, quem edidit* Erhardus Cellius, *Hiſtoriarum & Poëſeos tum Profeſſor, Præceptor meus laudatiſſimâ dignus memoriâ, ubi, quod* Sereniſſimi Dn. Patris Tui, *perhonorificam, ex merito, mentionem fecerit, eaque planè, quæ poſt ſecuta ſunt, bonus* Vates *prædixerit, putavi non abs re futurum, Tibique gratum, ſi eos Verſus exſcriberem, ut intelligeres, quàm in eâ ætate de progreſsibus* incluti Iuvenis, *Viri graves, ſpem maximam conceperint, quam tamen ipſe adultior, ſemper, ſemperque ſuperârit, & ad hoc famæ faſtigium produxerit; Cujus meta, cùm & Tibi nunc* Celſiſſime Princeps, *non inacceſſa, propoſita ſit; enitere iisdem nervis, eademque contentione, qui ingenii vigore, & egregio cultu, idoneisque inſtrumentis inferior non es, & propoſitis Patris incomparabilis veſtigiis, faciliorem aſcenſum habes. Redeo ad* Varenbulerum, *quem cum anu ſua Nobili* VValteria, *neptis ſuæ* Reginæ, *cum Samuele* Banſovio *Iuris Doctore, nuptias coronantem vivido ſenio, vidiſſe Tubingæ memini, quæ illa, jam* filias

filias suas propemodum nubiles duas, *ex* Iacobo, *Jacob. nep.* Scheckio *Jurisperito priore marito pepererat, ut* abnepotes *propemodum viderint. Familiæ verò ea amplitudo fuit, dignitas, & felicitas, ut paria sub id temporis,* VVürtembergia *pauca viderit. Reliquam scriptionis meæ materiam supplebunt* Chalcographica *hæc, quæ mitto, levandi reliquorum, quæ sequentur, desiderii causâ nec etiam prolixitate meâ oneri Tibi esse decet, quam vel ipsa invaletudo mea, quæ recruduit, vetat. Vale* Illustrissime Princeps, *& fove*

Ill. Cels. Tuæ

Stutgardiæ 24. Septemb.
1647. *Clientem humillimum,*

EPIST. CCXXXI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

BReves Tuas, mihi tamen gratas de 5. hujus rectè accepi. Hactenus, quòd Tuis respondere illicò non valuerim, ex meis jam Te cognovisse arbitror. Et ad Tuas ut nauseem noli suspicari, quin potiùs certò Tibi persuadeas, Tuas, ut in prioribus meis indicavi, tantò mihi esse *gratiores*, quantò *crebriores*; Magnæ enim mihi sunt voluptati, & semper novæ & singulares indices Tuæ in me summæ benevolentiæ. Scriptionis igitur exercitium mecum cotinues rogo, quoad potero, tibi respondebo. Morbum uxoris Tuæ remisisse, eamque convaluisse, nunc spero. Adventus ad nos Tuus, erit nobis omnibus, quò celerior, eò gratior. Vale. *Guelph.* 28. Sept. 1647.

Rev. Tuæ Dign.

Observantissimus.

EPIST.

Epist. CCXXXII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Jam quidem hoc unum nunciandum duxi, rectè me hodie accepisse Tuas, quas 13. *Septembr. dederis, & facilè ferre literarum Tuarum pausam, sive interquietem, cùm* voluptati *potius &* recreationi, *quàm* molestiæ *&* fastidio *hoc epistolici exercitii genus esse debeat. Morbi qui Conjugem meam corripuerat, atrocitas eum post se languorem reliquit, cui reficiendo adhuc plurimum debebitur. Me tortor meus iterum exercet, quàm ante durius, & video mihi rem esse cum Mortis parario. Stymphalides infaustæ aves, quas abegisse videbamur, redierunt in penetralibus nostris nidulaturæ, & mala ova parituræ.* Pacis *spes somnium fuit per auream portam ingressum* Non neutri *jam sumus, sed* omnium *præda, omnis calamitatis materia & scena; Servet* Vos *Deus,* nos *liberet,* Te *bonis donisque omnibus adaugeat, Vale & fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutgardiæ, Calend. Octobribus 1647. *Clienti humillimo,*

Epist. CCXXXIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Cum strepero hoc Vindemiarum tempore in Selenianum meum *concesserim, visum est, ad mitigandum* rudis meæ (*quam* lenta Pacis *restitutio suspendit) desiderium, aliquid pangere,* ne

ne inanes ad Te ferrem literas, Celſ. Tuæ *ſacrum eſſe jubeo, cui cum* Auguſtiſſimo Dn. Patre *communia eſſe mea omnia volo, non tantùm ut legitimo, primoque hæredi, ſed exactò virtutis paternæ exemplo, & gloriæ olim ejusdem poſſeſſori; Patere ergò apud Te, me tam liberè nugari, & in ſinum Tuum generoſiſsimum deponere, quæ alii fortaſsis dedignentur, ſanè nullius penſi habeant, aut etiam derideant. Quo Tuo favore feceris, ut* animo *jam quaſi complecti dulcem quietem auſim*; Tibi *verò* Herculis vires *ad præclara quævis opera, ſummumque Reipubl. Chriſtianæ plauſum optare debeam, æternitatis aliquando Brabejo coronandum. Vale* Inclute Princeps, *& quod conſtanter facis, fave*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 15. Octob.
1647. *humillimo Clienti.*

IHS.

Ad rudem *mihi*, ſexageſimum primum *ætatis annum ſupergreſſo, anhelanti, eandemque toto animo conſectanti*, quinque *hominum* Ordinum judicia *declinanda mihi video, qui cùm à Studiis meis, moribusque plurimum differant, nunquam pro me, aut ſanè inviti ſententiam ferent*, ſanorum, lætorum, otioſorum, appetentium, & ſupinorum, *quibus ut vitæ ſuæ, ſeniique rationes cum motu ſemper conjunctas non invideo, ita meas ad quietem potius tendentes ut audiant, & penſi habeant, majorem in modum rogatos eſſe velim.*

Ac primi *quidem* Ordinis, *plurimos ex* ſociis & æqualibus *habui, qui cùm corpore eſſent* SANO, *ciboque & potu cùm alerentur, tum recrearentur, ad quasvis functiones animum habilem attulerunt, de die laboribus exerciti, noctu*

ſomno

somno refecti, quibus cùm semper benè esset, anni sine tædio sunt exacti, ipsumque senium contigit vegetum, boni succi, facilis digestionis, sensus etiã integri, & functionibus habiles, à quibus si eos abegeris, occidas. At mihi *jam* à cunis *afflictissima valetudo fuit, ut ne bimus quidem in pedes erectus fuerim, indeque relicta debilitas concoctionis, membrorum teneritas, totiusque corporis languor; hinc perpetui catharri, intestinorum tormina, diarrhæa, scabies, frigoris juxta, calorisq; impatientia; hinc ad lusus pueriles ineptitudo, ex laboribus cita lassitudo, noctu vigiliæ, somniorum terriculamenta, febres frequentiores; unde ea mihi victus diæta est indicta, quæ omnem postea vitam comitata, utcunque* corporis crasin *sustinuit, societati tamen humanæ semper difficiliorem*, vitamq; *vigiliis noctu dieque continuatis quasi* duplicatam *reddidit, & cum refectioni non alacritas, sed languor succederet, molestum dierum numerum, & ipsius conversationis tædium fugamq; attulit; quæ una dissimilitudo, quin ad* rudem *avocare me deberet, utinam ii intelligere possent, quibus pro nauseâ*, appetitus *est*: *pro cruditate*, bona digestio: *pro insomnia*, suavis somnus: *pro membrorum tremore*, fixa corporis compages: *scilicet vacationem áb ingratis laboribus ei non inviti concederent, cui in tam iniquo hospitio anima diutius inclusa fuit.*

Sed transeundum ad Secundos, *quos* LÆTOS *dixi, scilicet* Sanguineæ complexionis, *& quibus ut ex omnibus rebus* voluptas, *nascitur: ita magna vivendi & convivendi* facilitas *est.* Mihi Phlegmatica *contigit, proindè* rara *vitæ* dulcedo, *jam à puero fuit, amaritudinibus subinde prævalentibus, cujus haud dubio basis fuit illa perpetua quasi invaletudo, quæ á lusibus, ab exercitiis corporis, ab itineribus diu arcuit, à*

con-

conviviis & circulis exclusit, ad amores ineptum, ad festos & solennes dies morosiorem effecit. Hinc dum nimis brevis est voluptuariis *vita*, *diesque noctesque pariter comburuntur, temporisque oblivio per continuas ferias inducitur:* Mihi *longæ noctes, lentique dies tracti sunt, à sodalitiis segregato, annique cumulati plures, quàm unquam voluerim, cùm sæpè* vitæ tædium *obrepserit, & inter defunctos quàm vivos vivere persæpè maluerim; quid ni hoc temporis, cùm me magis magisq;* à novitiis moribus *alieniorem sententiam, & qui paribus jocularibus & tripudiis adesse minus valuerim, cùm longè imparibus societatem habere nugacis & temulentæ voluptatis minimè sustineam; absolvendum ultrò ab hisce putem; cùm libenter iis sua gaudia relinquam strepera illa, & inanias sumptuosas, mihi tantùm* secessum *poscam, ubi nec impedimento, nec exprobrationi, nec deridiculo esse sit necessum.*

Succedunt Tertii, *quos* OTIOSOS *vocare libuit, non qui planè torpeant, sed magno molimine nihil agant, in ipso* otio negotiosi. *Vitæ rationem, quam primam inierunt, eam sectantur, penso ordinario & consueto, diesque cum mensibus & annis terunt, jugi, nec tamen difficili labore, nihil solertiæ & ingenii, nihil curæ & solicitudinis afferentes. Trivialia sectari, iisque incanescentes & immorientes, vitam suam rotant, semperque in gyrum redeunt.* Ego *nescio, quo genio, cùm plura mihi sponte indixi, & scrutanda, & operanda, quàm à re meâ fuerit, tum ob rem domi arctam, maturè duriora, & humeris imparia admisi, quæ in vitæ itinere meo plurimum onerârunt.* Iuvenis *octodecim annorum* [1605. *mens. Februar.*] *adolescentiæ paulò me annis minoris,* studiis *& curæ admotus sum; quam ut* docerem, *discenda plurima habui; ut* cohercerem,

compe-

compedes mihi injeci; custodirem, *unà me includere necesse habui. Interea per* omnes Disciplinas *pervagatus*, Criticis *etiam argutiis implicitus, cùm nec* Iuris, *nec* Medicinæ Institutiones *prætereundas mihi putarem*, *postea in* Historiarũ *pelagus navem immisi*, sex *insuper*, septemve linguarum *usu adhibito*, *plurimas* Bibliothecas, *cùm ipse* ter mille *partium* libros *possiderem*, *instructissimas perreptans*, *omneq*; *sive* Sacræ, *sive* Profanæ eruditionis *genus delibans*, *nec* Musices *instrumentalis*, *nec* Mechanicæ liberalioris *imperitus*, *quod quam* Temporis *Oeconomiam poscat*, *quantum* Memoriæ *exigat*, *quàmve* corporis imbecilli *succum exhauriat*, *nemo stati & consueti laboris homo facilè credat*; *Cùmque post* Novennium *Scholastici laboris*, Ecclesiæ Diaconiæ *fuissem per* Sexennium *adhibitus*, *tanquam in alto otio*, *quod alteri negotium fortè fuisset*, *versatus*, *pleraque* Scriptionum mearum *effudi*, *nec minus* privatæ Institutioni, *quod successivi vel potius abundantis temporis superfuit*, *dedi. Indè ad* Episcopiam *delatus*, *nunquam mihi satisfecissem*, *nisi maximo studio per* Novendecenniũ *benignam materiam in egregiam speciem formâssem*; *ac cùm publicâ clade ea fuisset destructa*, *iterum restaurassem*, *exemplo his quidem nostris Terris vix simili profectu sanè incredibili. Nunc etiam dum me* Aula *tenet*, Curiaq; *per* Novennium *curis ingratis*, *laboribusque inanibus plenissima*, quadraginta duo Agoniarũ Anni *exacti sunt*, *nulli quàm posteriores duriores*, *& insuaviores*; *adde etiam minoris pretii & laudis*, *ne dum gratiæ aut honoris qui si aliorum pensum & periodum numero non attingant*, *pondere tamen*, *si quis rectius expendat*. *facilè superaverint*, vacationemq; *tandem à non iniquis Censoribus impetraverint*.

At

At videamus APPETENTIORES, *& quibus inquieta magis vita fuerit, qui jam olim hoc sibi præfixerunt, ut quovis ausu, contentioneque animi summâ, ad fastigia rerum eniterentur; Hinc arduo nisu per fas, nefasve, ambitu, largitionibus, servilibus obsequiis, amicitiis, suffragiisque se ingesserunt, nunquam satiandi, nisi apices rerum teneant, ad quos si vel post centesimum annum contingant, beatos se fore, vel fuisse putent. At* mihi *jam à juvenilibus annis, nec vitæ, nec honorum, nec opum metæ longiores animo meo, sed valdè mediocres, positæ sunt, tranquillitate animi, & rerum scientiâ cunctis aliis prælata rebus, unde à Reip. tractatione, perpetua mihi fuga, quæ subinde tamen sua sponte, & velut reluctanti obtigit, annis, functionibus, fortunis & amicitiis supra spem & præter opinionem accedentibus, quæ* me latere *domi, ac mecum habitare, quod maximè volebam, passa non sunt*; nunquam *tamen, aut* rarius *affecerunt, nequaquam verò* ita ceperunt, *ut* ad me redire, *non semper animo magis magisque cupiverim. Concedent ergò illi, qui libenter grallis incedunt, famæque Tubicinas audiunt, & fastigia pinnarum conscendunt, ut sponte mea* descendam, *sarcinas ipse meas* deponam, *superfluis me* exuam *prius, quàm imum præcipiter, onere* subruar, *ingratiis* ejiciar, satur circumspectionis, *quam per aliquam* Europæ *plagam non incuriosè feci*: Satur *exploratæ* vanitatis & inanitatis, *quæ Academias, Curias, Aulas, Adyta & Penetralia humanæ fabulæ inhabitat*: Satur fraudum & nequitiarum Mundi, *per infinitas species nobis obludentis*: Satur *toleratæ* inquietudinis *inter tot decumanos fluctus, sævasque tempestates jactatæ navis, ut ad* portum *tandem contendere permittant, quibus emitiri vastum Oceanum adhuc dum*

N *animi*

animi libido est. *Satis mihi superque explorata sunt* Aulæ *ventilabra*, Curiæ *ficus*, Academiæ *nuces*, Numæ *casses*, Æsculapii *pilulæ*, Pluti *numellæ*, Augurum *risus*, Præconum *phaleræ*, Mimorumque *præstigiæ*, *quæ cominus vidisse*, & *cognita exactè habere*, *ut minimè omnium pœniteat, imò & sui recordatione delectent, tamen immori iis*, & *perpetuò in hoc luto hærere, nequaquam lubet, potius quævis* tacita & secura statio (*quam utinam* pacato Germaniæ Orbe DEVS *concedat*) *præoptanda & amplectenda mihi videtur.*

)/ *Tandem ad* SVPINOS *etiam concedamus, haud quaquam nullius negotii Viros, sed qui in rebus agendis, nullâ* rectè facti officii, *curâ tanguntur, nullâ* reddendæ rationis *solicitudine tenentur, nullis* conscientiæ *stimulis aguntur, nullâque* famæ sequioris *pudore impediuntur, quò minùs cuncta per lusum, aut ex usu suo, suorumve, aut ad alienum arbitrium, vel gratiam, aut pro temporis vitio, aut tandem pro libidine, vindicta, imperitia, socordia, temeritateque agant, statuant, imperentque, omnium hominum* (*præsertim in eminenti positi*) *maximè pestiferi.* Mihi *verò nunquam sic ex* subere, vel topho conscientia *fuit, quin non maluerim ad optimas quasque* regulas & exempla, *functiones meas institutas*; *cumque Ecclesia Christi, depositum omnium in terris nobilissimum & præstantissimum mihi creditum fuerit, huc unicè mihi contendendum duxi, ut primùm* Religionis Christianæ veritas, & Orthodoxiæ sinceritas *rectè constaret*: *dehinc* Vita Christiana, *quantum quidem par Carnis Sarcinam liceret, ad Christi* amussim, probatasq; *dudum* rationes *componeretur*, *cui instituto, laboris & studii, non citra invidiam & obtrectationem, plurimum contuli.* *Ac cum putarem, Ecclesiæ Ministri*

nistri Basin, *post Orthodoxiæ angularem lapidem*, legitimam vocationem *esse, neglectui tamen plerisque habitam, in id serio incubui, ut quod in eo mearum partium esset, bona fide id agerem, & quæ irrepsissent, sive vitia, sive flagitia, declinarem; sed cum nec prodesse bonis, nec obesse malis amplius licuerit, hæc seculi tabes, quasi ipso jure mihi vacationem* inutilis & supervacui laboris *indixit*. *Nempe everso à* Supinis *omnis* Disciplinæ *fundamento, apertis* vitiorum *catarractis, & solutis* censuræ, legumque *compagibus, insaniæ potius, quàm fortitudinis censeatur invalescenti torrenti corpus objicere suum*; prudentiæ *verò, se in melius tempus reservare, & declinato ad tempus impetu restaurandis fortasse rebus superesse.*

Superest ergo, cum ÆQVIORIBVS IVDICIBVS *agam, qui cum ratione tenerrimæ constitutionis, sive temperamenti corpusculi mei, tum* præcocis *senii, &* victus *exigui, sed & fatigatæ memoriæ, pensique in Rem literariam atq; Christianam nonnullius, nauseæ insuper ex inanitate scenæ humanæ contractæ, ausus denique juvandæ Ecclesiæ, ardui quidem, at frustranei, habita, post* quadragesimum tertium *continuæ rotationis annum*, Missionem *mihi indulgeant, quam minus fortasse negabunt, si intelligant, nequaquam torpidum, & ab omni humana societate secretum otium appetere, sed minoris, suavioris, & liberalioris laboris, cui senile corpus par sit, animusque* cœlestibus *potius & aëreis, quàm* terrenis *& lutulentis vacare possit; nempe* Remissionem ab officiis, *non* cessationem, *aut* cassationem *appeto, nec deesse velim Ecclesiæ consilio, precibus & opere, si qua sit è re ejus, nec abesse animo, corpore atque fortunis, si præsentiâ sit opus, tantùm abest, obesse ausim socordi desertione, aut vecordi proditione.* Triennium *jam propemo-*

dum est, tùm me Cardialgia, *&* Cachexia *duriter exercent, diemque inter labores antemeridianos, & dolores pomeridianos dividunt, sæpe etiam noctis quietem interpellant, frustra oppositis & Pharmacis & Aquis medicatis. Nunquam toto hoc tempore destiti munere meo, haud rarò etiam alieno defungi, & numerare fortasse remissionis meæ pensum possem, quod cum aliquorum intentione conferri facilè queat; Hebescit* Ingenium, *vacillat* Memoria, *languet* Animus, *marcetque* Corpus, *sensibus quidem integris, sed minus vividis, & quibus fovendis potius quàm deterendis, laboris relaxatio sit animo opus. Non enim in me sentio, quam* Ludovicus *ille* Cornelius, *Patricius Venetus jactat, post octogesimum annum* Rejuvenescentiam, *victus singulari ratione, & abstinentia conciliatam. Sed nec conferri velim illis Magnorum Operum congestoribus*, Gesnero, Lycosteni, Crusio, Grutero, *&c. laudatissimis utique* Viris, *& Reip. utilibus, sed quibus par esse, vix ex millibus unus vel ausit, vel possit, & non unius, sed multorum quasi ætatem poscere laborum ea moles videatur.* Mediocris *mea* conditio *sit, vel infra mediocritatem, dum non inanis & frivola, sed* utilis: *dum non continua, sed intercisa: dum non infamis, sed in conspectu DEI, bonorumque* honore *sit posthac opera mea, quam devotam Sanctuario Domini consecraverim.*

Liceat ergò mihi, clementi indulgentiâ Principis Heri mei Illustrissimi EBERHARDI, *cujus* annum Natalem, *cum meo* Matrimoniali *numero,* rudem liberaliorem, *sive lemniscatam impetrare, cujus* Domûs *felicitati omnes vitæ reliquos dies dedicare sum paratus! Liceat mihi* Serenissimi Principis Heri mei Augusti, *munificentiâ perfrui, cui supremum Spiritum meum impendere sum paratus, & obnoxius, Liceat* reculis *illis,*

illis quas post magnam cladem propitius DEVS *mihi restituit, sub umbra acquiescere.*

Liceat Selenianum *meum, quod* Augustæ Domûs *beneficio obtinui, Philosophicè excolere: ac utinum hoc ultimum, summumque terreni voti mei etiam liceat* coràm videre, *& exosculari* manus *illas* Augustas, Christo *tam officiosas*: Reipublicæ *tam operosas*: Familiæ *tam gloriosas*: Subditis *tam proficuas*: Bonis *tam necessarias*: Mihi *tam faciles & benignas, hocque humillimo obsequii mei officio,* colophonem vitæ *addere, atque hosthâc in* Augustissimi vultus & favoris memoriâ conquiescere!

Epist. CCXXXIV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Facit Tua in accipiendis meis facilitas, & dandis Tuis assiduitas, ut post verbosam illam, quam nuper misi, epistolam, iterum illinire chartis aliquid audeam, quod etsi nihil adferat, quod scire Tua magnopere intersit, scribere tamen ad tam benignum & generosum Principem me nequaquam pigeat. Ita enim postremis Tuis 28. *Septemb datis, imperâsti*, scriberem ad Te confidenter, *quò* crebriores, *hoc* gratiores *literas futuras, &* benevolentiam Tuam *provocaturas; Qui enim non libenter hac Tuâ familiaritate, & comitate incredibili utar, cùm non tam erudiri Iuventutem Tuam patiaris leniter. quàm meum Senium ipse edoceas prudenter? Cùmque ad summa quæque indies excrescas, quisquis Tibi propior erit, humi se facilius extollat, & ad superiora enitetur. Videmini enim mibi Vos* Magnatum Soboles,

conspicuæ & sublimes Columnæ, *veluti Antoni & Trajani Romæ, aut Constantini M. Byzantii, ubi non tantùm egregia Vestra facinora exprimantur, & posteritati ostententur, quàm ascensus detur ad ea, circumquaque, & procul etiam visenda, quæ in imo repentes latent, & destituunt. At ó* Vos felices, *si* bonis *tantùm &* virtute *præditis, per Vos, ascendere liceat, non item* improbis, *&* seculi, *non prisci tantùm, sed & nostri* dedecoramentis, *quos nunc uno* Seiani *nomine infami,* omnes *insignimus.* Beati *illi planè, atque* æternæ gloriæ Canditati, *per quos* Christus, *passim depressus, emergit sublimis, caputque suum inter* membra *extollit. Hinc* Crux Christi *rectè & incolumis, & obeliscis, sed & coronis, pomis & sceptris Imperatorum, Regumque supereminet, si non magis jam consuetudine, quàm pio sensu. Hæc gloria jam olim debetur* Domui Saxonicæ, *imò possidetur à* IOHANNE, IOHANNE FRIDERICO, AVGVSTOque Electoribus, *& qui eorum pietatem post sunt æmulati, quorum noster* CHRISTOPHORVS VVürtembergicus, *facilè primarius est. Et quis tam rerum Ecclesiæ nescius, ut eandem, summamque, ac veluti propriam* Domui Tuæ splendidissimæ *deneget, quæ in* AVGVSTO Patre *denuò fundata, in Te atque fratribus & cognatis nunc radices agit, imò jam fert florem, & uberes fructus in atrio* DEI *pollicetur. Quæ dum intueor, & ad stilobasin hujus Vestræ Columnæ hæreo totus lætor, votaque* DEO *facio, ut quàm altitudine & splendore, tam meritis & coronis aliquando reliquos mortalium superetis. Vale & fave per Te adscendenti*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 22. Octob.
1647. *humillimo Clienti.*

EPIST.

EPIST. CCXXXV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

AD quaternas jam Tuas per valetudinem & alia impedimenta hactenus respondere non licuit; Quapropter huic tarditati ignoscas, etiam atque etiam rogo. Fuerunt autem Tuæ ad me perlatæ literæ, mihi longè charissimæ. Etenim *matrimoniale Varenbüleri Jubilæum*, ejusque festivitates planissimè mihi declarantes in illius conjugii felicitate pernoscenda magis me confirmarunt; Hujus autem rei eò major me subinde capit admiratio, quò rariora in hac præsertim Mundi senecta sunt expectanda exempla. Præterea *Erhardi Cellii*, hâc de re scripti *Versus* animum meum jucundissimæ sanè expleverunt lectionis voluptate. Quandoquidem, quæ de Serenissimo *Dn. Parente* meo, gravissimorum Virorum semper fuerit expectatio, & quomodo Eventus eandem semper vicerit, me satis superque docuerunt: Meque ita ceperunt, ut ad Themistoclis, *Miltiadis trophæo* excitati, exemplum, noctes diesq; nihil magis cogitem, quàm ut ego *Serenisß. Patris* vestigia premere, vel interdum videar. Cùm itaque & in postgenitis sit *Patrum Virtus*, *nec feroces Aquilæ imbellem procreent columbam*, certò Tibi persuadeas velim, me DEI auxilio adjutum mihi ipsi non defuturum. Tu interea loci pro felici successu vota facere perge. Vale. Dabam *Guelpherbyti*, 26. Octobr. Anno 1647.

Rev. Tuæ Dignit.

Observantissimus.

Epist. CCXXXVI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

Literæ Tuæ cùm *optatissimæ ætatis* finis desiderio, rectè mihi sunt traditæ. Ad quas, quia merum amorem erga Serenisſ. *Dn. Patrem* & me spirabant, breviter respondere volui: Et ut in officio hoc Te retinerem; & ut gratam voluntatem meam erga Te subinde declararem. Ita autem me ceperunt, istæ Tuæ meditationes, ut terve quaterve eas legere ac relegere sim coactus. Etsi enim innumera illa *incommoda*, quæ ab ipso ætatis initio Te circumvenerunt, ad me quodammodo pertinere putans, meritò contristari debeo; miram tamen *divini favoris* clementiam, lætamque ex periculis liberationem cognoscens, lætari etiam cogor. Fortunæ namque vicissitudines in *experiendo* non sunt quidē optabiles, in *legendo* tamen solent esse jucundæ. Præterea multorum hominum ingenia & mores non sine rationibus me quoque edocuerunt, & quid insidiarum & vanitatis in vitâ sit, quasi ob oculos mihi posuerunt. Hominū mores autem nosse, & vera bona à falsis discernere posse, haud cujusvis esse arbitror. Ad hæc tantam Tuam, in tantis corporis infirmitatibus, *constantiam*, in laboribus *tolerantiam*, & in periculis, ac vanis opinionibus contemnendis *generositatem & animositatem* demiror. Auream enim mediocritatem diligere, atque constantem in malis servare mentem, paucis, quos æquus amavit Iupiter, concessum esse, omninò existimo. Quis itaque Tibi ob tanta animi *dona & bona* vivacem ætatem,

atque

atque inviolatos omninò non optaret dies ? Ego ſanè, ut cœleſtis aura Te in tantis ærumnis ſubinde reficiat, bonoque publico quàm diutiſſimè præſtet incolumem ex animo precor. Vale, & pro felicitate, ac incolumitate noſtra preces fundere perge. *Guelpherbyti*, 9. Novembr. Anno 1647.

Rev. Tuæ Dignit.

Obſervantiſſimus.

Epist. CCXXXVII.

Admodum Reverende & Clariſſime Domine Doctor,

ASſiduitatem meam in litteris mittendis, Tibi gratam fuiſſe, gaudeo ſanè; Etenim finem meum, impenſique laboris non exiguum fructum hoc pacto nactus mihi videor. Quapropter ne mihi inpoſterum deeſſem, ad nuperrimas Tuas jam reſpondere volui ac debui. Quòd igitur cenſes *improbus* neglectis, Viros *virtute*, *ſapientiâ* & *pietate* conſpicuos Principibus complectendos & favoris radiis illuſtrandos eſſe, facis certè, quod Tuâ perſonâ dignum eſt, meque Tibi ſuffragantem habes. Princeps enim, qui DEI imago meritò eſſe debet, impiè certè facit, ſapientiam, ejusque ſtudium, quo priximè ad DEVM accedit, aſpernans. *Sapere* autem meo quidem judicio, quàm rectiſſimè diſcet, ſi vel ipſe *in literis* vivat, vel doctorum *converſatione* & *ſermonibus* fruatur. *Pietatis* autem curam Principi non abjiciendam eſſe ſtatuo: non tantùm, quòd Reſp. magis benè adminiſtrari poteſt, & populi aliâs ferociſſimi, ad politiorem

vitam & Numinis cultum compulsi, sæpius ultrò officium fecerunt suum; verùm etiam, quia *pietas ad omnia utilis*, *promissionem etiam hujus & æternæ vitæ habens*, & omnia, quorū administratio divinitùs nobis demandata est, ad Dei honorem dirigi & fieri debent. Mihi verò, & ideò maximè illa cura incumbit, quia habeo ex hâc familiâ *Antecessores* omni laude majores, de quorum pietate, tot *Templorum*, *Collegiorum*, & *Scholarum* fundationes, locuples mihi dicunt testimonium. Imò *vivum* quotidiè, Dei gratiâ. intueor *Exemplum*. Quare omninò tibi persuadeas velim, Tuam hanc admonitionem, mihi magnoperè placuisse, meque eidem locum libenter daturum, constituisse. Vale mihique fave. Dabam *Guelpherbyti*, 16. Novemb. 1647.

Rev. T. D.

Observantiss.

Epist. CCXXXVIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Et gratulor Tibi de sanitatis: & gaudeo mihi de literarii commercii restitutione, quæ jam à 28 Octob. suspensa erant, diutius illius, quàm è re Tua, & voto meo fuerit; brevius hujus, si DEI beneficium, & Tuam dignitatem spectem, quod vigorem Tibi ac alacritatem, mihi verò desideratam illam scriptionis felicitatem & indulgentiam reddidit; Itaque pro quaternis meis Vnas Tuas non libenter tantùm admitto, quàm humillimè ex-

me exosculor, certus, nihil tam sive corpus onerare Tuum, sive occupare animum posse, quin aliquid Tibi supersit, quod pro insigni in me favore mihi conferas, & Paternæ gratiæ *cumulum vel æmuleris ipse, & augeas, quo nomine ingentes ago gratias, & in gratitudinis vicem, cùm nunquam sim solvendo, me ipsum Tuæ Celsitudini in servitutem sive mancipatum addico. Ceterùm quod jam ad Te scribam, vix habeo, nam cùm nolim Te sive* publicis, *sive malis nostris* privatis *affricari, nec Terra hæc nisi infelix* Bellonæ lolium *ferat, funestas semper literas mittere, ut dedecet, ita tædet; Referam tamen quod paucis abhinc diebus accidit, dubiæ humanæ sortis non leve indicium:*

Sponsus *quidam, unus ex Saltuariis, dum ex Sylva domum cum sclopeto redit,* Sponsam *obiter invisurus, cum aliis puellis ludentem reperit, sclopetoque post januam reposito simul colludit. Post memor sclopetum adhuc onustum, & ad ictum paratum esse, ne quid damni daret, pinnam intensam laxare contendit, simulque in Sponsam per lasciviam ictum intendit, & digito errante in faciem* Sponsæ, *sclopetum minutis quàm multis globulis exonerat, & momento miseram invitissimus enecat, post fugâ sibi trepidus consulit, incertum in militiam, aut quò abierit, nec enim hactenus visus est. At cur hæc* Tragica *ad Te refero, potius voveam salvum Te ab omni sinisteriore casu, DEUS nobis præstet, ut dum ad* Trophæa *maxima* Maximi Patris, *longeque nobiliora quàm illius* Miltiadis, *& memorabiliora æmulus excitaris, omnique nisu Te* Aquilæ *pullum, vel* Guelphici Leonis *catulum probare contendis, nos secundis plausibus felicia Tua auspicia prosequamur, ego verò sive regulus quidam sub alis Tuis, sursum attollar, sive catellus sub jubis tutò ludam vel deliteam, omninò verò Te propitium mihi*

ſemper & ſerenum experiar. Vale Generoſiſſime Princeps, *& fove*
Ill. Celſ. Tuæ
Stutgardiæ 19. Novemb.
1647. *Clientem humillimum,*

Epist. CCXXXIX.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps, Domine longè clementiſſime,

Literis Tuis nihil eſt amabilius, quibus mirum in modum reficior, cùm video tantùm abeſſe mea, quæ ſubinde in generoſiſſimum ſinum Tuum effundo liberius, vilipendas, ut quaſi eodem laborum, dolorumque ſenſu mecum afficiaris, & ad reſpirationis *&* quietis *portum appellenti, toto animo faveas, quo nomine quas Tibi debeam laudes, quas gratias, profectò non invenio, cùm tantum mihi placeam, quantum approbari tuo judicio, vota deſideriaque mea, intelligam, contentioreque ob id ſtudio proſequendum mihi remiſſioris vitæ conſilium putem. Cujus cùm unica* Baſis, *imò & Coronis, ſummusque apex, in* Vna Tua Domo, *ejusque* Capite *Sereniſſimo* Patre, *Vobisque* Trinis *ſpei meæ ſacris anchoris, conſiſtat, quid mihi fracido optatius, quid feſſo ſuavius & ad demulcendum animũ ægrum efficacius contingere poſſet, quàm ex hoc ſublimi veſtro loco agones, angoresque meos æſtimari, quos deridiculo alii, neglectui ſanè plurimi habent. Quanti verò niſus, ſudorisque ſit, novercantem tot annis* fortunam *tandem cohercere,* invidiæ *cuniculos eludere,* calumniæ *dentes elidere, immobilemq; inter tot mobilia animum tenere, rectumque iter per per tot ambages & labyrinthos ſervare, uti paucorum*

corum est capere, & intelligere; ita longè paucio- rum precio suo ac pondere justo arbitrari. Quò ma- gis excellens Tuum, in hac ætate judicium admi- ror, quòd talia acutius discernat, totoque animo amplector, cùm ex hoc recto sensu, & æstimatio- ne æqua firmum mihi in futurum abs Te præsidiũ & favonium polliceri audeam, de quo uti mihi gratulor, ita Te Principem *meum* benignissimũ *enixè precor, hac ærumnosæ vitæ meæ æquissima pensitatione mihi porrò propitius adsis*, Patremq; Serenissimum *ut cætero. virtutis habitu ita* in- dulgentiæ *planè* Paternæ *ornamento, totum in- duas, & eluctantem me ex naufragio madidum & nauseantem generoso sinu excipias. Cujus* fa- cti *decus Posteritas cantabit, ego verò assiduâ com- mendatione mearum precum ad Deum referam, qui Te Bonorum omnium post procellósam naviga- tionem* Phosphorum, Pharum & Portum *red- dat. Vale. Felicia quæque* Illustrissimis Dn. Dn. Fratribus *obnoxio animo adprecor.*

Ill. Celſ. Tuæ

Postridie Andreæ 1. De-
cemb. Anno 1647. *humill. Cliens.*

En etiam Carmen *in meam* imaginem *nu- per satis ad* vivum *confectam, & cadaverosam faciem exprimentem, seriò prolusum.*

SUFFICIT.

Cujus in hac vivam cernis iconâ tabellâ,
Terrenis cunctis intonat, Ohe! ſat eſt!

Natalis.

Religione piâ vestigia Nota secutum
Majorum, *Genio, Nomine, Sorte,* ſat' eſt!

Studia ann. 43.

Literulis, Sacrisq; *operam navasse decentem,*
Ore, Stilo, nisu, lustra per octo, ſat' eſt!

Itinera ann. 9.

Tot Terræ *glebas, Homines, moresq; secutum,*
Linguas*que illorum tot tenuisse*, sat' est!

Labores.

Expertū Augiæ *stabula alta*, & Curiæ & Aulæ
Ingenio Mundi nunquam abitura, sat' est!

Luctæ.

Invidiâ *semper passimque obstante* novercâ-
Combinâsse fidem *cum* probitate, sat' est!

Cura Patriæ ann. 9.

Tum Patriæ, Patriq; *fidem fecisse* novenni,
Christo & Conjunctis *semper, ubiq*; sat'
est!

Conjugium ann. 34.

Constantique juges septem *prope lustra*; novenâ
Prole *Patrem*, Sobole quindecima *esse*,

Augustus favor, ann. 7. sat' est!

Augusta *lumen mutuare ex luce* Selenes
Succumq; & motum *ferre*, quiem*que*,
sat' est!

Senium, ann, 62.

Vitam ad Sexdenum *jam produxisse* secundum,
Corpore *sat tenui*, Stirpis *honore*, sat' est!

Satietas.

Inde rudis *cupidus*, *fracidus membrisq*; *fatiscens*,
Rerum humanarū jam satur, *ohe!* sat' est!
Cur non ut vitæ *plenus conviva recedam?*
Quod gratum ante fuit, displicet, *ohe!* sat' est!
Nempe Tua *annosæ* DEVS *ô, mihi* Gratia *tramæ*
Sufficit (*a*) *inque mea debilitate*, sat est!
(*a*) 2 Cor. 12. ℣. 9.)
Quicquid mî addideris, nimium est (*b*) voti *undiq; damnas*,
(*b*) Gen. 32. ℣. 10.)
Non ego sum melior Patribus, (*c*) *ohe!* sat' est!
(*c*) 1. Reg. 19. ℣. 4.)

EPIST.

Epist. CCXL.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Beasti me planè literis Tuis, quibus curam *eorum, qui* Virtute *& meritis in Rempubl sint conspicui, sed omnium maximè* Pietatis *habiturum es pollicitus, idque exemplo* Majorum Tuorum, *in quos intuearis laudatißimo, ac imprimis illa* Maximi Patris *Ideâ perfectißimâ, quo nihil feceris expeditius. Ab eo enim desumas illius* Pietatis *studium, quæ non* simulacrum *est à Pseudopoliticis ad circumagendos & fascinandos homines fabrefactum, sed* cœlestis flammæ *in imo pectoris accensa, ad Authorem suum acta, cogitataq; omnia referens, & nullo alio, quàm* Conscientiæ *pretio, fidem eidem probans, à quo nunquam non vicißim est amplißimè repensa, cujus illustria passim sunt specimina, omnes famosißimorum quorumque victorias, imperia, opes, gloriæque terrenæ alias materias. longè lateque superantia. Quæ si animo, quod facis, complectaris, simulque eorum fidem ab ingentibus, quæ in* Serenissimum Dn. Patrem DEVS *contulit liberalißimè, donariis tibi ipsi facias, non potes non maxima quæque & optata tibi polliceri, si minus ad Mundi plausum, certè eum, qui perennet, & solidam aliquando gloriam futuri ævi conferat. Quò magis Tibi* Illustrissime Princeps *perpetuum hunc sensum, rectique institutum ex animo precor, scilicet nullis* terrenarum deliciarum *illecebris, nullis* adulationum *discipulis, nullisque* Status, *quod vocant, arcanis, verius nequitiis & flagitiis contaminandum, quem is Tibi salvum firmumque servet, qui dedit, huncque præsentem* annum, *qui leniter effluxit, cum proximo feliciore, imò multis* Augu-

ſtæ Tuæ Domui *auſpicatiſſimis commutet, incrementaque Tibi plurima atque infinita adjiciat. Vale & bonis ſave, ſed & ſave*

Illuſtr. Celſ. Tuæ

Stutg. 8. Decembr. 1647. *Devotiſſimo Clienti humillimo.*

Epist. CCXLI.

Admodum Reverende & Clariſſime Domine Doctor,

PEr aliquot ſeptimanas nihil literarum à te accepi, nec meis moleſtus eſſe volui. Ad tuas autem de 19. prox. Novembr. partim *gratulatorias*, partim verò *nunciatorias*, hac vice, ut paucis reſpondeam, grata & conſtans in nos voluntas Tua me monet atque movet. Et quòd ſanitatem, Dei beneficio recuperatam mihi gratularis, magnas habeo Tibi *gratias. DEVS ter Opt. Max.* huic Tuo voto pondus ineſſe jubeat, & bono publ. utrumq; noſtrum diu clementer præſtet incolumem. Inopinatum caſum, quem commemoras, quod attinet, rerum mundanarum varietatem nobis ob oculos ponit, & *fortunæ* inconſtantiam, & fallaciam oſtendit, quòdque nunquam homini ſatis cautum ſit, quid devitet in horas, declarat. Imò verò docet, omnibus lethi viam eſſe calcandam, nihilque hoc in mundo ab omni parte eſſe beatum. Quare neglectâ fortunâ, Deo unicè nitendum eſſe judico, quia illâ nihil inconſtantius, hoc verò nihil clementius. Quod ſupereſt, ſcito, quòd milite agros noſtros miſerè depopulante, nos *Bellonæ ſævitiam* ſatis ſuperque proh dolor! experiamur:

verùm

verùm *Spes Pacis* Monasterii propediem conciliandæ, dolorem nonnihil minuit. Interim DEUS, cujus in manu omnia posita sunt, subinde rogandus est, ut exoptatissima Halcyonia clementissimè nobis tandem concedere velit. Vale. Dabam *Guelpherb.* 13. Decembr. Anno 1647.

Rev. Tuæ Dign.

Observantissimus.

Epist. CCXLII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

TAntum abest, ut literas Tuas floccifaciam, ut ambabus potius manibus arreptas eas perlegam, perlectasq; quasi exosculer. Idque non tantùm ob verborum lenocinia, quibus sunt refertæ, verùm etiam ob rerum gravitatem & suavitatem, quibus mollem meam adhuc ætatem formare, ac firmare allaboras. Addo, quòd merum erga me amorem semper spirent, quo nomine me non possunt non magnoperè recreare & delectare. Iudicium autem meum levidense de *variis* hominum *opinionibus*, Tibi verò prudentiæ & sapientiæ laude præstantissimo, non displicuisse lætor, Tibique me nec studio, nec auxilio pro mea parte unquam defuturum, promitto. *Rotundum Tuum Carmen*, quod adscripsisti, valde mihi arridet, quia & totius *vitæ tuæ* curriculum mihi breviter enarrat, & ærumnosæ *hujus vitæ* ideam ob oculos ponit, & generosi, atque terrena cuncta fastidientis *animi Tui* imaginem adumbrat. Nihil enim

est

est profectò ex illis, in quo animus noster tandem acquiescere, aut cujus *satietas* brevi illum non capere possit. Quod restat, maximas Tibi ago gratias pro Tuo voto, & ut utrique nostrum ex voto omnia succedant, precor. Vale. Dabam *Guelpherb.* 21. Decembr Anno 1647.

Rev. T. Dign.

Observantiss.

Epist. CCXLIII.

Reverende & Clarissime Domine Doctor,

INstitutiones *Historicas* Tuas, non vulgatæ profectò eo in studiorum genere eruditionis, nec exigui laboris opusculum, cujus paginas hactenus particulatim *Dominus D. Andreæ* gratissimis suis junxerat, integrum tandem & compactum à Te accepi. Quod optatum Benevolentiæ & Studii in me Tui munus, non hâc tantùm ratione expectanti arrisit, quòd eidem meum præfigere nomen, atq; in honestas *Artes*, earumque *Cultores* inclinationem meam in Præfatione conlaudare libuerit; sed eo inprimis respectu, quòd rei literariæ necessariâ, atque ad *Historias* Ductorem poscentibus, utilissimâ sis operâ defunctus. Indè ut illi de hoc augmento gratulor, ita nullus dubito, quin omnes Docti, & quò Tuus iste labor spectet, intelligentes, maximas habituri sint gratias, quòd brevi, nec minus accurato libello, quę ex amplissimis diversorum commentariis erant haurienda, legentium oculis uno vel obtutu obtuleris, atque indefessâ curâ, vigiliisque Tuis aliorum laborem,

rem, docentium & discentium minueris. Hæc Tuo fœtui meritò habebitur *publicè* gratia, quo, ut præsentes nunc verbis, & vitâ, moribusque doces, ita posteros ad nominis *VVagneriani* perennantem gloriam, diutissimè informabis. E quorum numero, qui Tuis vigiliis utentur, ipse & Authoris memor ero, & per quem profecerim, non graviter agnoscam; Si qua etiam posthac Tibi Tuisq; gratificandi suppeditetur occasio, isthâc Tibi obligatione devinctus, ut *Virtutis* & meritorum Tuorum ratione adductus, nihil omittam, quod ab animo memore desiderari possit. Interea Vale, & affectu, quo me dignaris, porrò prosequere. *Guelpherb.* 4 Febr. Anno 1647.

Rev. T. Dign.

Studiosus

Reverendo & Clarissimo Viro, Domino Tobiæ VVagnero, *S.S Theolog. Doctori, ac Esslingensis Ecclesiæ Ecclesiasti primario, Dilecto nostro.*

IV.

Cum Pr. ANTHONIO ULRICO,

EPIST. CCXLIV.

S P. C.

Et felix Anni auspicium!

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

DE insigni meo luctu ex beatissimi Sauberti, *amici mei incomparabilis obitu, paulò post, si sinat Deus, publicè testabor, nec est jam eo funestas*

nostas meas literas faciam, quas pro amabilibus Tuis in hoc anni *exordio, auspicatas esse, ut debeo, ita volo.* Dürreriana manu *Te apprimè delectari crediderim, cùm pro accurato judicio discernas, quantum hic unus omnibus aliis artificio, diligentiâ, & naturæ æmulatione antecellat, Ex omnibus verò ejus speciminibus* Eustachium *in Cælaturâ primas tenere, à peritis rerum accepi, cujus cupream laminam cum Imperator* RVDOLPHVS II. *fel. mem. magno redemisset, inaurari voluit, ne amplius attereretur. Memini tamen legisse, à* Bilibaldo Pirkheimero, *Viro nobili, & in Reib Noribergensi Triumviro clarissimo,* Dürreri *Mæcenate, & Nutricio propè unico, cùm nihil haberet, quod in Eustachiana tabula improbaret, tamen notâsse,* Stapedes *breviores esse, quàm ut* Eustachius *huic equo insidere commodè possit, pænamque artifici indixisse, ut equum instructum depingeret, ad equisonum institutum, quod ille egregiè præstitit, quem sæpè cum voluptate vidi. Ceterùm, quàm venustus est* de Christo crucifixo, *ex* Cervi *capite enato, lusus tuus auditu, salsusque dictu, tam funestum est inter homines inhumanos ac beluinos versanti visu, nusquam in cerebris, cordibus, aut fibris eorum Christum inveniri, & secta hæc cadavera non nisi chryso plena esse, omnium illa malorum lerna, quæ jam Germaniam nostram inundavit; Quid igitur miremur redire* Gothica, & Hunica *tempora, cùm jam non ipsi diruamus muros nostros, pandamusq; mœnia tantùm, sed pectus, & cerebrum adventanti Barbaro equo, quod Ilium nostrum evertat. Sed nos querelis nihil proficimus. Hoc tu potius agito,* Generosissime Princeps, *ut dum Pater Tuus invictissimus* Heros, *nostri seculi* Cocles, *& Germaniæ* munimen, *tum Barbariem ab aris, focisque excludit, & corporis objectu, miraculo audaciæ hostem*

stem obstupefacit, Virtutem indè addiscas, fortitudinemque Paternam, ut venienti seculo pietatem cum bonis artibus salvam asserves & tuearis. Qua in palæstrâ dum Te juvenilibus annis exerces, nos precibus, votisque & applausibus nostris Tibi succollabimus. Vale novum Germaniæ decus & *fave*

Ill Celf. Tuæ

Stutg. Calend. Ianuarii, 1647. *humillimo Clienti*.

EPIST. CCXLV.

Bene Te!

ELegantem Epistolam Tuam, & inter tumultus bellicos, non tumultuariè scriptâ, *Vir Reverende*, quam more Christianorum laudabiliter recepto, rectè à *felicissimi anni* auspicaris voto, accepi, ac lubens legi. In ea mihi animi corporisq; incrementa, & alia omnia fausta cum affluentia bonorum à Summo illo Datore exoptas & precaris: Ego eadem, & majora Tibi reprecor, ut Deus Opt. Max. non tantùm hunc, sed & alios innumeros annos tibi tranquillos, ac prosperos esse, atque Ecclesiæ emolumento diu superstitem velit. Quod addis, non solùm memorabile, sed & admirabile fuisse, insignem illum *pictorem Noricum*, (quem meritò majusculâ literâ hîc veneror) desperato etiam illo, abortivoq; tempore, ad tantam perfectionem, & artis suæ excellentiam pervenire potuisse, id non minus & me afficit, dum insuper illud memoriâ repeto, quod à Studiorum nostrorum Ductore charissimo, non ita pridem mihi dictum, *ipsum domi Xantippen habuisse pessimam, ac divinæ suæ mentis*

mentis flagellatricem acerrimam, Sed uti *Multos magnos Viros calamitas facit*, ita non obstante hoc, fama de *Dürero* nostro apud exteros nihilominus adeò percrebuit, ut plurimi, Italorum cumprimis, ductum ipsius artificiosissimum sequi, impari tamen conatu & successu, ausi fuerint, neque adhucdum erubescant, aliorum picturas camino propius admovere, fumosâ quadam caligine, ut vetustatem eò melius mentiantur, obducere, atque addito Düreri consueto signo non rarò simplicioribus pro genuino ipsius artificio malè vendere. Quem, absit, ut imitari audeam, qui contentus sum in scalpendo cum unguibus gallinarum certare posse, aliquam tamen majorem picturam, si manus exercitatior facta fuerit, me transmissurum non denego. Interea animum meum pro candore Tuo agnosce promptissimum, & cum omnibus Tuis quàm pulcerrimè vale. Dabam inter Musas meas, horis matutinis, *Eclipsin Lunarem* proximè sequentibus, Anno 1647 utinam feliciter, ineunte, optatò tandem exeunte.

Rev. T. Dig.

Observantiss.

ANTH. VLRICVS
Dux Br. & L.

Informator noster chariss. sese *Tuæ Rev.* & filio dilectissimo *Theophilo*, cum quo olim in Gymnasio jucundissimè vixit, officiosè vicissim commendat.

EPIST.

EPIST. CCXLVI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

DVrerum *Tibi in pretio esse nihil miror, & exindè ingenii Tui sagacitatem metior; cùm* plurimum profecisse *illum in arte sentiam, qui de* Artificum *differentiâ inter se, & eminentiâ rectè judicet. Quapropter* Passionis Christi *ab illo delineationem Tibi strenulam hujus anni destinavi, quam aut jam habes, aut brevi accipies, non à pretio, sed artificio, & tua voluptate æstimandam, quàm abundanter Tuo penicillo, quod polliceris, rependes. De morosiore ejus* Conjuge, *nihil mihi prius auditum, hoc verò accepi ab artificibus desiderari, quòd in effingenda* Virgine Matre, *cum puerulo* Iesu, unam suam uxorem, *quæ tamen minus elegantis & formæ, & vultus fuerit, subindè expresserit, cùm cæterà* Symmetriæ *humani corporis observantissimus fuerit. Ego tamen contrarium ipse possedi, & maximo dolore meo in Calvensi busto, perdidi, faciem sc.* Deiparæ, *vivis coloribus, justâ* humani vultus *magnitudine depictam, quâ elegantius, concinnius & formosius excogitari nihil potuit, & quam magno ære meo redemptam velim. Sed & alia Viro egregio exprobrantur, quæ Norlberga constanter pernegat, ex quibus est, quod* Fioravanti *in memorabilibus refert, tam* malæ frugis Oeconomum *fuisse, ut tot operum confector, defunctus ex* publico *efferendus fuerit, cùm mihi probatis documentis sit ostensum, non contemnendam æris & suppellectilis sortem post se reliquisse. Quòd si ex publico ipsi funus decretum, id* virtutis *potius precium, quàm* infamiæ *notam Sen: populusque Noribergensis prudentiss. haud dubio voluit. Quòd verò*

Itali

Itali pictores *sua pro Düreriania obtrudere nobis audent, frustrà sunt, præterquam enim, quòd nihil in eis est, his simile, nec ipse coævus & æmulus* Bonarotus *hoc affectavit, sed diverso quasi stylo eminere voluit, ipsa manus Düreriana, ejusq; inimitabilis diligentia, omnem fucum facilè eludit, principatumque sine controversia obtinet. Sed ne quid de* Dürero *nimis, quæ alias Tuas Musas, inter quas horas Tuas dividis, obturbem, singulisque suas partes in Te informando, excolendo, & perficiendo integras relinquam. Studiorum verò horum Directori Tuo, cùm pro salute dictâ, tum pro amico affectu & gratias ago, & filii Theophili amicitiam in posterum constantem & officiosam polliceor.*

EPIST. CCXLVII.

Fortunam prosperam
cum voto FELICIS ANNI *calidissimo!*

REctè facis, quòd scribis, *Vir Clarissime*, Te paulò post de insigni tuo luctu ex obitu *Beatissimi Sauberti* testaturum, quando animus probè mœrore prius est discissus, ut lacrumæ, factâ per oculos viâ, uberius fluere possint. Perinde enim, ut in corpore flagris cæso, non continuò, sed parvâ interjectâ morâ, livor apparet; sic in animo, tristi aliquo nuncio percusso, lacrumæ non cadunt, nisi crebrâ doloris repetitione probè fuerit contusus, & emollitus. *Cupream laminam* sæpius nominati *Eustachii*, magno olim in pretio habitam ab Imperatore *RVDOLPHO II.* nullus dubito, cùm hæc ipsius laus non postrema, quòd insigniorum *Artificum operas, Horologia* cum

cumprimis *minora* maximo ubique redemerit pretio, & iisdem unicè delectatus fuerit. Nec improbandum judicium Viri celeberrimi, *VVilibaldi Pirckheimeri*, qui tam facilè deprehendit, quod me nunquam observare licuerit, ubi *Bonus dormitârit Durerus*; ut verissimum sit illud, quod dicitur; *adeò in quibusdam effingendis ingeniis, tam largiter sibi indulgere Naturam, ut memoriam, & judicium in numerato habeant; & quicquid aliis præstat longa cogitatio, illis det prima animi intentio.* Quid mirum itaq;, quòd à *Maximiliano Audaci*, (cui aliàs quoque erat familiarissimus) ad *secretiora Consilia* fuerit adhibitus, & à *Senatu Norico* secunda vice, quamvis *invitus*, in Curiam & Collegium Senatorium rogatus, procul dubio, quòd probè cognitum habuerit, quomodo *Stapedes & fulcimenta Imperii*, aut benè constitutæ Reip. deberent esse comparata. De quo multa aliâs apud Historicos sui sæculi occurrunt. Quibus nunc *Vir Clarissime* quam optimè vale, & me Tibi, quod facis, commendatum habe. Scribebam die *S. Pauli*, sc. 25. Ianuar. quæ apud nos satis clara apparuit, utinam etiam optima quæque nobis denotaret. Anno 1647.

Cl. Vestræ

Observantissimus.

Epist. CCXLVIII.

Fortunam prosperam!

MVltum, imò plurimum me Tibi debere profiteor, *Vir Clarissime*, propter illud munus egregium & artificiosissimi operis, quo sum nuper à Te donatus. Parum me Tibi videl. devinctum putâsti eâ obligatione,

quæ mihi antehac tecum erat communis, nisi ad id vinculum aliud insuper adjiceres, quo me tibi longè redderes obnoxium; *Benè de me, benè de picturis meis meritus es*, quibus tam insignis originis & æstimationis adjunxisti socios. Vtinam possem verbis declarare, quàm gratum mihi acciderit munus illud aureum, in quantum exornet arculam meam, in qua hujus generis pretiosa diligentissimè reservare soleo. Sed quia desunt verba, affectui meo paria, satius fuerit, ut tu ex animo meo, quem non puto tibi esse ignotum, facias conjecturam; Fruar istâ liberalitate tua hoc modo, ut non solùm inventionem solertissimam, lineas artificiosissimè ductas, & si quæ alia artifices accuratius observare solent, pro exiguo, quo possum in talibus, judicio, nudè considerem, sed insuper etiam dolores exquisitissimos, contumeliam gravissimam, mortem ac passionem *Salvatoris nostri* acerbissimam, quæ ibi adumbratur, hoc cumprimis tempore probè ad animum revocem. Quod de *majori* quadam *pictura* non ita pridem scripseras, id tantæ mihi curæ fuit, ut me noluerim admoneri sæpius. Adumbravi aliquid *rudi penicillo*, quod convolutum hîc accipies, sed nescio, num audeat subire conspectum & censuram tuam acutissimam, cui addere debent alii integram formam, qui possunt, & quibus in hisce pronior favet Minerva. Tu erroribus, quos fortasse senties plurimos, ignosce, & solam offerendi voluntatem, non rem aut speciem, considera. Quo impetrato, nec de majori desperabo, cùm approbatio tua non possit non animum mihi facere, & ad ulteriora calcar esse. Hisce quàm optimè vale, in Musæo nostro, d. 15. Feb 1647.

Claritati Tuæ

Observantissimus.

Epist. CCXLIX.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Q*Vod paucioribus de* Sauberti mei *obitu ad Te egi, nulla doloris, quem ex eo conceperim, impatientiâ, aut animi mei teneritudine factum est, sed quòd plurima Viri meritis, cùm jure ipso, tum ex pacto nostro deberem, quæ nunc pro ingenii mei modulo soluta*, & Sereniss. Dn. Patris *Tui limatissimo judicio submissa sunt. Nec verò nos* Christianos *decet ullo dolore sic abripi, ut ad faciendum officium inutiles reddamur, cùm hoc potius ipsum sit malorum lenimentum efficacissimũ. Jacturam quidem Ecclesiæ ex tantæ ejus columnæ sublatione intelligamus, sed hoc magis eam, quantum nobis est virium, cordatè resarciamus, & suffulciamus. Tibi verò permagnas gratias debeo, qui jam hoc ætatis, commodis & incommodis Ecclesiæ tangaris, simulque quanti* Saubertum, *ob probatam ejus fidem feceris, testari unà volueris. Quem animum Tibi* Christus *servet, faxitque breví, ut cujus jam Tyrocinia facis, posthâc eminentiori loco Ecclesiæ præsideas, eamque non tam titulo & splendore, quàm pietate, consilio, & ingenio, ad* Gentis Tuæ Ascaniæ sideris Georgi *rarissimũ exemplum, ornes juves, atque tuearis, quod futurum planè ominor. Quantum enim malorum hâc sævâ tempestate tulimus, supplicium ingratitudinis nostræ & tyrannidis in restitutum Evangelium putandum est, qui ejus curam in* luxum. *Tutelam in* Dominatum, *nutrimentum verò in* decipulam *convertimus, quod nisi in feriam* Inspectionem, *fidum* munimentum, *& liberale* subsidium *reformemus, non nisi malo nostro, & Ecclesiæ damno* Pacem *&* Sacra bona *reposcimus.*

Quod ut sub Te aliquando videamus, & quantum ingenio solertiâque literis & artibus vales, tantum Pietatis studio profecisse, ipsum Patrem *cæteris* incomparabilem *referre Te intelligamus*, *Christum Ecclesiæ* Archiepiscopum *toto pectore veneror, qui Tibi propitius adsit, vitæque Tuæ ac flori semper majora addat. Vale & fave*

Ill. Cels. Tuæ

Sutg. 19. Februarii
1647. *Clienti humillimo.*

EPIST. CCL.

Benè Te!

CIrcumspicientes omnium bonorum fortunam, *Vir Clarissime*, neminem reperimus, qui non expertus sit bonę famæ detractores, qni præcipiti quadam censendi licentiâ, non tam turpia,quàm falsa Viris insignioribus affricare solent, ut optandum sit cum Sapientum nostri ævi quodam Sapientissimo, *Maximæ hominum parti linguas potius, quàm cornua deesse debere*. Sensisse harum linguarum quoq; spicula scribis nostrum *Dûrerum*, cui ab aliis imputatur, quòd bene parta minus diligenter conservârit, & famelica potius Mater *Paupertas* familiam ipsius ministrârit; sed rectius de his pronunciant *Noribergenses*, quòd bona & supellectilem habuerit satis splendidam, & uti alii omnes uno quoque ore fateri coguntur, arte suâ tam dives fuerit, ut non facilè longioribus precibus rorem quendam argenteum exorare debuerit; Abeant igitur homines illi, qui malignitatis & invidiæ virus istud in ipsum evomuerunt, & primitus hanc de ipso

ipso famam sparserunt, plùs quàm alatam, quæ sagittæ in morem ad exteros quoque evolavit, & in obvii cujusque aurem illapsa est, penitusque sibi persuadeant, funus hoc fuisse dignissimum ærarii publici sumptibus. Ob industriam enim & virtutem insignem ultimum honorem istum ipsi delatum, satis abundè (ita enim audio ab aliis) suadere videtur Epitaphium, quod adhuc dum videri & legi potest. Quæ aliàs ab Artificibus in *imagine B. Mariæ Virginis* desiderantur, levia sunt, ubi omninò putabimus, ipsum tunc crebriùs ante oculos habuisse uxorem suam, eamque intimius adamâsse. Amorem autem dicunt obcæcare, & fascinare homines, ut nullum dubium, quin *Dürerus Deiparam istam* ad *uxoris suæ archetypum* efformârit. Hisce quàm pulcherrimè vale. Dabantur in nostro Musæo, d. 9. Martii, 1647.

à *Clar. V.*

Studiosissimo.

Epist. CCLI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Amo indolem Tuam generosissimam, & industriam citra adulationem mirificè probo, cujus iterum specimen egregium, incredibili voluptate accepi, quapropter nihil est, quod mihi debeas, cùm potius sic ego maximas gratias Tibi debeam, qui æquo animo minutias meas accipias, & aliquo loco inter Tuas Elegantias reponas, quæ Te Clientis Tui & observantissimi, & dedicatissimi subindè admoneant, quò magis incumbere mihi

video, ut quæcunque ad gustum Tuum facere, aut excolere ingenium Tuum nobile, posse intelligam, ea tecum communicem, cum meliore loco reponi minimè queant. Veniam verò dabis, si mea Tuæ sorti excellenti, & dignitati minus conveniant, cum magna magnos *dare deceat*, parvis *dare* exigua *liceat, favor verò vester rebus precium faciat, de quo apud Te sum planè securissimus, unde confidentius alia atque alia submittam, si quæ rarioris operæ aut manus artificiosæ se mihi objecerint. Nunc quidem præter vota nihil adfero, quæ si rata DEVS, quod spero, habeat, Germanorum Principum futurus es* nemini secundus. *Vale* florentissime, *& fave.*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 12. d. Martii, 1647.

Clienti humillimo.

EPIST. CCLII.

Fortunam faventiorem!

PRoximæ tuæ literæ, ut & Versus tui heroici ad egregia quæq; me extimulantes, *Vir Cl.* fuere mihi quàm gratissimi: non tantùm quia præter monita fidelissima, optima quæque pollicebantur, sed quia id elegantissimè venustissimeq; faciebant. Omninò multa mihi Fama de tua in talibus promptitudine, deque præstantiâ in pangendis Versibus dixerat: sed tu eam opinionem, quàm ego ex ipsius saltem de te sermonibus conceperam, longè multumque superâsti, quamvis uti nullus dubito, ob graviores curas, studia ista dudum sepofueris. Lætaris mecum ex animo, quod non ita pridem aliorum judicio *muneri gravissimo & amplissimo successor* fuerim destinatus.

natus, quod eâ, quâ par est, gratitudine agnosco, Deum Opt. Max. ardenter rogans, ut dignitatem istam mihi, quæ suis exposita videtur adversitatibus, felicissimam & diuturnam esse velit, ut cuncta cedant in Divini sui Nominis gloriam, proximi emolumentum, & propriam animæ salutem. Hodie in hoc communi mundi senio ire pessum omnia, mirari admodum non debemus, sed quantum in nobis est, publicam salutem, & promptè succurrendo, & quod omnium primum, benè vivendo, ire adjutum debemus. Ego sanè *Stadium* illud, quod mihi aliquando decurrendum erit, ita ingrediar, ut non facilè vel ad dextram aut sinistram aberrem, sed *Mediâ* & regia viâ incedam, omnibusque ostendam, *gloria DEI & CHRISTI ejus nihil mihi prius, nihil salute gregis Dominici antiquius esse.* Ita de me, omnes boni, velim, sentiant, ita *DEVS ter Opt. Max.* conatus hosce meos fortunare velit. Vale & me, quod facis, precibus juva. *Guelpherb.* in Musæo nostro, 23. Martii, Anno 1647.

Clarit. V.

Studiosissimus.

EPIST. CCLIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Candidi profectò & ingenui animi est, quòd Dürerum *nobilem Artificem ab obtrectatione vindicandum censes, nec aliter quisquam mihi persuaserit, nisi quòd sublimiora ingenia altiùs defixa, humilium & terrenarum rerum, cum ratione negligentiora sunt, quod nemo æquus Iu-*

dex improbaverit; Epitaphium *verò Viri no.adum vidi, quod descriptum mihi esset longè gratissimum. Cæterùm* Tuæ, *in Coadjutorem Halberstadiensis* Mitræ, *vocationis plenè confirmatæ lætum nuncium avidè expecto, quod Ecclesiæ interesse putem, non tam* dignitate & natalibus, *quàm* pietate & eruditione *præpollentes ei præfici, quæ utraque cum in Te conspicua sint, gemino eam beneficio haud dubio ornabis. Quòd si quæ Tibi ab æmulatione & invidia adversantur,* Serenifs. Dn. Patris *invicta Virtus, & favor Cœli, opinor, superabunt, & nos precibus nostris (quibus ex augmentis Tuis commoda parata sunt) seriò pro Te pugnabimus.* Christus *verò, quæ in Te contulit dona, propria sibi, & Ecclesiæ proficua reddat, ut cùm* beata Respublica *ea habenda sit, cui vel Philosophi imperent ipsi, vel qui Philosophis pareant*, Beatissima Ecclesia *dici mereatur, quam Episcopus ipse pius regat, aut piorum audies, quæ ex juvenilibus Tuis speciminibus confidenter de Te ominor. Vtinam verò hoc* Inclutus Pater *brevi videat, & perspicacissimo oculo suo dirigat, quo me voto absolvo, Totumque Tibi dedico.*

Ill Celf. Tuæ.

Stutg. 2. d. Aprilis, 1647. *Cliens humillimus.*

Epist. CCLIV.

Felicitatem interminam!

QVi possum salvo pudore meo concedere, me huic non debere plurimum, qui me subinde novis donat muneribus, & à quo tot ac tanta sunt in me profectà merita, ut ab ab invito etiam amorem valeant extorquere. Accepi

Accepi iterum aliquot cælaturas à *Clementissimo Dn. Parente nostro*, quæ à Te erant transmissæ, pro quibus vicissim operam meam Tibi spondeo atque polliceor. Habui autem alias ejusdem planè magnitudinis, quas proximè compingi curabo, ita tamen ut tuæ non medium, sed omninò principem obtineant locum, cùm & Tu primus quoque sis inter alios magni nominis Viros, qui me adeò obnoxium & fidum sibi facit. Verissimè autem Tibi persuades, eas esse instar *commonitionum*, quæ faciant, ut unus omnium creberrimè mihi occurras, utque amorem intimum tuum, & omni ex parte suavitatem spirantem, memoriâ sæpissimè repetam. Quòd Te proximè alia missurum polliceris, planè non opus existimo, cùm nunc tam multis, tamque illustribus argumentis tuam erga me voluntatem prospexerim, ut certò sciam, cum, quantum plurimum potuero, dispunxero, semper tamen plus reliqui fore. Ad egregias autem *laudes tuas*, quas tuæ mihi tribuunt literæ, nihil habeo, quod respondeam, nisi, ut juxta vetus adagium, *auribus lupum teneam*, quem neque uti amittam, neque uti retineam scio. Si recipio, nimium mihi, sin refello, parum tibi tribuerim; Vt autem nullibi peccâsse videar, lineas eas me non rectè perspexisse, aut legisse, interea dicam, Tu fac, ut nihilominus me ames, & ab Informatore nostro unà cum dilectissimo filio Tuo plurimam salutem habe. Dabam d. 6. April. 1647.

Cl. Tuæ

Studiosiss.

Epist. CCLV.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

Q*Væ sincerissimo animo Tibi, auctæque Dignitati Tuæ sum benè precatus, ea repetere nihil est opus, cùm potius apud Deum pro salute Tua vota mea excubare præstet, quæ à pio animo profecta irrita nunquam esse possunt. Hinc nolim, quàm senio & invaletudine effœtus jam precibus inutilis Tibi minister videri, cùm* Mosis manus *elevatæ, quàm* Iosuæ gladius *pugnârint, haud paulò felicius, cladẽmque hostibus intulerint. Patere ergò in hoc* Seleniano *meo, ex Tuis me censeri, iisque qui salutem, famam, incrementaque omnia Tua procurata toto animo contendunt, unitatem addere. Nam etsi per Te generoso animo ad præclara quævis & maxima accingeris, tamen ne in viæ humanæ lubricitate unquam vel dextrum vel sinistrum deflectas, monitores fidos minimè aspernaberis, quorum pars aliqua pio officio neutiquam Tibi deero; Etsi enim Moderatorum & Informatorum Tuorum regulis, & præceptis abundas, atque coràm virtutis exemplum exactissimũ intueris, tamen, ut quæ* peregre *advehuntur, quàm quæ* domi *nascuntur, magis adficiunt, ac* muti Magistri, *quàm* loquaces *liberius corripiunt, ita crediderim, quæ è pectore meo, manuq; meâ provenient, nescio quo astro conciliata, non ingrata Tibi, nec inutilia fore, quibus ut Christus benedicat, hunc supplex adoro. Is omnia Tua dirigat in Ecclesiæ suæ usus, & Domus Tuæ ornamentum. Vale & fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 16. Aprilis 1647.

Clienti humillimo.

Epist. CCLVI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Cum nihil hoc temporis, inclutis Fratribus Tuis ex officio de Natali *utriusque fuerit gratulandum, nolui tamen hoc Te præterire, cujus & Genio felicissimo plurimum delector, & in me propensioni singulari, infinitum tribuo. Utinam verò Te in* Sacra illa Dignitate, *ad quam vocatus es, constitutum audiam, ut nova mihi, vel repetita gratulandi materies nasceretur, sed de eo Dei providentia, & Magni Patris prudentia viderit; Interea virtutum progressibus, & ingenii cultu, cum morum amabilitate conjunctis dignum Te facies quavis conditione magnâ, & MAXIMÆ etiam DIGNITATI parem. Etsi enim Fortuna persæpè in distribuendis Coronis, Tiaris, Mitris & Infulis aberret, tamen quibus meritò conferuntur, hi demum, quantò vivi homines statuas, & ratione utentes, belluas post se intervallo indignos relinquunt, & ipsi famâ cluentes, æternæ infamiæ exponunt. Ad quod fastigium ut contendas, nunquam Te hortari per officiosè desinam, sc.* summos honores *merito Tuo, tibi tributos,* non fortuitò *in Te incidisse,* omnes *intelligant. Id verò DEUS Tibi donorum omnium æquissimus largitor conferat. Vale, & quod facis fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 30. April.
1647. *Clienti humillimo.*

Informatori Vestro solertissimo officiosam salutem adscribo.

Epist. CCLVII.

Salutem & fata felicissima!

ANimum meum in liberandâ aliorum famâ Tibi probari, *Vir Clarissime*, gaudeo eò magis, quòd benè cognitum habeam, cùm non homini indigno, sed egregio, & qui omniũ admirationem & famam & amorem, etiam post obitum meritò in se rapit, subvenire voluisse. Cepi autem subdubitare, num officio quoque meo omni ex parte satisfecerim, aut aliquid intermiserim, quod virulentas linguas compescere posset, sed nunc Te fretus, amplius magnoperè non timeo. Optarem, ut copiam memorati *Epitaphii* nunc mittere potuissem, verùm neque ipse adhucdum illud perspexi, quantum autem ex aliorum narratione percipio, tàm manifestè hominis integritatem & sedulitatem in omnibus, atque adeò in re familiari probat, quàm verè dicit, manus artificiosissimas sub cippo illo tumulatas premi. Quodsi verò adhucdum habere potero, de communicatione nullus dubitabis. *Coadjutricem Dignitatem* mihi non ita pridem delatam, sed etiam jam plenè ratificatam ac confirmatam fuisse uberius fortè an ex literis *Clem. Dn. Parentis* Tibi constabit, & ut opinionem, quam de me incognito adhuc alii conceperunt, omni studio, omnique corporis & animi contentione aliquando confirmem, non solùm calidissimo *Voto* Tuo, sed & *exemplo* hortaris; Et quid aliud nos facere oportet, quàm ut in procurandâ & promovendâ populi salute omnes nostræ cogitationes sint defixæ. Ego certè, qui nondum eam facultatem consecutus sum, ut à me quicquam egregium expectari debeat, omnínò mihi persuadeo, hanc

hanc unicam esse causam, cur tam gravissimorum munerum procuratione obstringamur. Quam *DEUS ter Opt. Max.* in me quoq; fortunare, & quod preces nostræ volunt, volenti vires suggerere velit. Valebis, & me amabis. Scribebam *Guelpherb* d. 4. Maii, 1647.

Claritat. V.

Studiosissimus.

EPIST. CCLVIII.

Feli...itatem interminam!

AMplissimis Verbis per literas testaris, quàm Tibi sim curæ, nec dubito, quin semper ita mei rationem habeas. Sanè usurpabo cum honestâ fiduciâ, quòd Te inter monitores meos non postremum polliceris, qui jam caliginem reliquarum ætatum emensum, in prudentiæ luculento meridie quàm perspicacissimè vides, quibus & quàm bonis vitæ rationibus tenera adhuc dum ingenia sint excolenda, ut larga virtutum merces ab iis expectari possit. Neque (quod rectè mones) impedit *Senes* amorum gravitas, & numerus; quò minus *Iuventuti* invigilare, aut consulere possint, abundant *illi* documentis atque observationibus, quibus *Iuniores* ad ætatem maturam pervenire possunt prudentissimi. Ætas autem nostra in lubrico est, & facilè huc atque illuc impelli potest, nisi incentiva labore, studio & oratione intrà repellantur, quam demum exercitationem & correctionem uberrima merces sequitur, perindè ut arbores abundant fructibus, in quibus prius flos apparuit copiosus. Vbi neque hoc abesse debet, ut voluntatem

ſubjiciamus iis, qui nos manu ducunt, quin potius fidelitatem eorum animò quàm gratiſſimo agnoſcamus, in id unicè intenti, ut ſemper apud nos ratum atque firmum maneat, quicquid illis ſemel placuerit. Ad quod dum me hortaris, rectè Tibi perſuades, me nihil ſequius de *fidelitate Tua* ſuſpicaturum, cùm animum meum erga Te promptiſſimum tot jam documentis teſtatus fuerim. Poſſum errare vitio humanæ infirmitatis, poſſum & corrigi. Vale & ab Informatore noſtro cum Filio Tuo dilectiſſimo quàm optimè ſalve. Dabam *Guelpherb.* d. 10. Maii 1647.

Cl. V.

Studioſiſs.

Epist. CCLIX.

Salutem plurimam!

ITa eſt, non poſſum pro incerto habere, *Vir Clariſsime*, quin Tibi de interiori nota carus ſim, cujus rei certam fidem facit animus tuus, qui quamvis alienis rebus ſit occupatiſſimus, mihi tamen nunquam deeſſe poteſt. Vtar itaque liberius priſtinâ reſpondendi conſuetudine, cùm certò ſciam, tibi non ingratum & injucundum accidere, quicquid iſtud eſt officii. Quod de *publica* illa rerum humanarum *moderatrice* dicis, vetus quidem eſt, ſed precipuè hâc noſtrâ tempeſtate invaluit: nunc iſtum *blandæ Matris* inſtar extollit, mox alium inſtar *duræ Novercæ* deprimit, & ſolo tantùm non planè allidit, atque ita dignitates incertiſſimis ſuffragiis circumvolvit, à dignis eas transferens ad indignos. Si quid autem hîc inter-

intervenerit, quietâ fronte ferre decet, eò enim se indigniorem quis hac fortunæ injuriâ ostendet, quo æquiore animo eam sustinuerit. Fuit hæc semper illustrium animarum conditio, ut expositæ sint adversitatum scopo, quemadmodum eos, qui in *luce Solis* ambulant, *umbra comes* affectatur. Sin autem publici hujus fati habenas temperare non poterimus, tum curæ istæ sint curæ illi, qui supra nos curat. Is facilè quicquid est vicissitudinum pro lubitu componere poterit. Interea, sicubi ab officii semitâ divertar, quod facilè in virtutis ac laudum curriculo fieri poterit, liberè me monebis, Benignè ego gratias agam. Vale & cum Tuis ab Informatore nostro, qui Te fert in oculis, salve. Dabam d. 25. Maii, 1647.

Clar. V.

Studiosissimus.

Epist. CCLX.

Reverendiss. & Illustrissime Princeps. Domine longè clementissime,

B*Inas Tuas eadem die accepi, in quibus vel illud inprimis jucundum fuit auditu, destinatum Tibi esse* Episcopatus Halberstadensis Coadjutorium, *nec ingratas esse meas pro suffultimentis muneris Tui amplissimi* vigilias, *cui utrique* Christus *ex alto benedicat, ut in* Ecclesiæ *suæ incrementum & ornamentum cedant cuncta*; Serenissimus *verò* Pater Tuus *de quo gaudeat, & honoratissimum senium demulceat suum abundè habeat.* Epitaphii Düreriani *communicationem avidè expecto*; *Tu vicissim aliquid accipies à manu novi artificis* Moncorneti, Caloti *illius perce-*

percelebris Discipuli & æmuli non infelicis, quod Saubertinæ umbræ, *quæ ad Vos contendit, inserui.* Gallos *ajunt jam primas* Pictoriæ *artis ferre, quibus &* Belgiæ *hactenus Superiores invideant*, Itali *verò ultrò cedant, ut credas ambulatoriam esse ingeniorum excellentiam* Germania *nostra situm & squalorem à Martis contubernio contrahet, nisi Vos literarum & artium Principes & Mæcenates succurratis, quò magis amo Ingenium Tuum ad omnes elegantias natum, plurimumq; præsidii Scientiis in eo pono quòd dum Formatores & Doctores Tui plantant fideliter, & rigant diligenter, næ optimè de Republ Germana merebuntur.* Christus *verò à nobis exoratus incrementum dabit uberrimum, cui Te* florentissime Princeps, *studiaque Tua & actus omnes devotè commendo. Vale & fave*

Reverendiss. & Illustriss.

Stutg. 4. Iunii 1647. Cels. Tuæ *Clienti humillimo.*

Informatoribus Tuis perofficiosam salutem subjungo.

Epist. CCLXI.

Felicitatem interminam!

Diutulè cum fronte mea calculos posui, an ipsi nobis vanâ credulitate blandiamur, sed cum transmissâ non ita pridem munera Tua, & animum ad alia quoque studiorum genera paratissimum impendimus: Hâc opinione frui nos decet, vix alios in terris vivere, quibus magis benè cupias: ita ubique signa comparent infallibilia profusissimi amoris & be-

& benevolentiæ Tuæ. Iactura te movit rei Ecclesiasticę in obitu repentino *Soceri Tui* beatissimi, ut ejus *Vmbram* desideratissimam nobis ob oculos poneres. Verùm noli laborare, lucrum erit in damno illo, Labor iste Tuus efficiet, ut unus omnium creberrimè nobis occurrat; alii habeant, cujus orbitam etiam post fata anxio pede premant, utque posteris hujus conjunctionis vestræ memoria prodatur, & amicos vixisse vos, non æquales modò nostri, sed futura etiam secula intelligant. Sarciet igitur hoc studium tuum, si quid ob subitam migrationem damni fuit illatum: & ut spero, hocce Te consilium quotidie magis oblectabit. Olim quidem animosis Bellatoribus & publicæ salutis assertoribus *trophæa* vel è truncis arborum, vel ære, lapidibus, aut victorum populorum spoliis erigebantur: Hodie verò magnæ eruditionis Viros, & Christianæ pietatis Tutores magis decet *perennitas literarum, & magnorū hominum ingenia*, quippe quos nunquam plenè & satis digna laudū genere prosequi possumus, quarum cùm Tu sis fœcundissimus, meritò operam & studium Tuum, *Vir laudate*, piè defuncto nostro commodare voluisti. Est enim ea profectò jucunda laus, quæ ab aliis proficiscitur, qui ipsi laudatè vixerunt. Vale & pro communicatione Exemplarium, ac inscriptione Carminis unà cum filio Tuo dilecto maximas gratias habe. *Guelpherbyti*, d. 22. Iunii 1647.

Cl. Tuæ

Studiosissimus.

EPIST.

EPIST. CCLXII.

Felicitatem prosperam!

TV cùm firmiter perstes in proposito scribendi, *Vir Clarissime*, & fideliter serves promissam fidem, non possum ego vicissim, quin crebrius tecum communicem per commercia literarum, quando sat spatiosa locorũ intervalla adhucdum prohibeant sociare sermones, & notas audire & reddere voces. Arbitror autem, te ex indicio famæ dudum factum esse certiorem, de iis, quæ in proximis meis literis Tibi jucunda fuerunt auditu, quęque iterum ex animo mihi gratulatus es, ubi dubitare non potui, quin apud idoneos, heroicorum Ingeniorum pulcerrimè starem, qui sententiæ meæ tam fideliter suffragantur, ut me videam obligatissimum studium atq; operam meam bonis communibus devovendi. *Excellentiora & subtiliora ingenia* juxta fatalem & usitatam rerum circumvolutionem, à *gente in gentem* transferri, non est, quod miremur. En tibi *Protogenem*, *Niciam*, *Parrhasium*, *Apellem*, alios, qui in Orientalibus olim Regionibus ad tantam pervenerunt excellentiã & gloriam, ut mirante Natura, vel equos, canes & aves pictura deciperent, vel affectus animorum coloribus exprimerent, & eorum opera non nummis sed talentis æstimata certatim emerentur, cùm ibi jam reperiantur, qui harum rerum tam rudes, ut vix colores dignoscere possint, & collutulatores potius dici mereantur. Causæ autem, cur & hoc, & aliis beneficiis fuerint privati isti populi, sanè dignæ essent, de quibus diligens cogitatio susciperetur, sed eæ pronæ erunt cuivis, pui paulò

paulò altioris est prudentiæ & judicii. Nobis hæc documento erunt, ut ea, quæ nostris nunc concessa sunt terris, quàm reverenter habeamus, & pro eorũ conservatione longiori Largitorem maximum quàm humiliter imploremus. Tu quàm optimè vale, & me Tibi addictissimum amare persevera. Dabam *Guelpherb.* die 13. Iulii, 1647.

Clarit. Tuæ

Studiosissimus.

EPIST. CCLXIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Q*Vòd de* Vmbra Saubertina *& benignè senseris, & pronunciaris cordatè, maximæ mihi voluptati fuit, & efficaci solatio, spem indè concipienti, non defore* causæ Christianæ *in* Sauberto *laboranti patronos cordatiores, & querelæ meæ in exequiis effusæ æquanimiores Censores, utut malèferiatorum turba ringatur & obganniat; Nam cùm* Saubertum, *illud eximium* DEI organum, *non ab excellenti tantùm* ingenio, *præclarâ* eruditione, *singulari* dexteritate, *& compositis* moribus, *nec etiam eximiâ tantùm* sapientiâ, *rarâ* prudentiâ, *& devotâ* pietate, *quarum* trium virtutum *ambitu cæteræ omnes continentur, commendandum, sed* Luctas *ipsi propemodum exitiosas, explicandas, & obstinatum* Mundi callum *exponendum mihi proposuerim, facilè prævidi utrique paratam* Invidiam, *illi defuncto si cicatrices utcunque coalitas refricarem; mihi superstiti si me causæ invisæ socium ipse proderem. Nam cùm omnes cæteros Ingenii generosiores*

fiores actus, & exindè paratos plausus libenter ferat Mundus, iisque præmia conferat, unum hunc Increpationis & correctionis ausum impatientissimè fert, & indignis modis excipit, cujus Saubertus evidentissimum & luculentissimum specimen fuit. Non tamen is solus, hujus temporis fuit, sed alii plures, quos in Umbra illius adumbravi quidem, nominare verò non sum ausus, ne & ipsis novam contumeliam cum Sauberto parerem. Nihil tamen verebor eos in conspectu Tuo retegere, cùm & eosdem in precio apud Vos olim fuisse, facilè mihi persuadeam. Nempe Iohannes Arndius, incluta nostri seculi Tuba fuit, qui torpescentem & sordescentem turbam Evangelicorum increparet, & à streperis Vocibus ad serios sincerosque actus provocaret, multâ ob id calumniâ & invidiâ maculatus, at post fata demum majore luce & ornatu restitutus. Fuit Matthæus Maifardus, ille Academici inquinamenti exactus Censor, ut Novus Actæon à canibus suis laceratus. Fuit Sigismundus Evenius Larvæ Scholasticæ detractor ingenuus, mærore animi ob cassum laborem confectus. Fuit Christophorus Leibnizius, alter in repurgando Augiæ stabulo patrio Hercules, durissimis obstaculis exercitus, sed fine gloriosus. Hodie Iohannes Schmidius superest, Athleta strenuus, sed sub onere sudans, & anhelans, quibus omnibus & singulis Virtutis & Eruditionis fama libenter applausit, & fortitudinis in re Christiana agenda plurimum detraxit, obstantibus primis omnium sui Ordinis Collegis, malæ fidei & dissolutæ vitæ sibi consciis: mox Optimatibus fræni Christiani sive Ecclesiastici impatientissimis; tandem malè consulta turba vocali Evangelio, quàm morali nunc magis assueta, & in omnem libertatem, (quam revocare nefas) seculi vitio prolapsa; Hic si quis Disciplinam Christianam

stianam opponere ausit, næ ille vapulabit, non à professis impiis, quos sua conscieetia vellicat, & repellit, sed larvatis Confessoribus, quorum interiora lupina, leonina, canina, plerunque beluina sunt. A talibus utinam sibi cavere possent Magnates, *utique res Christiana melius haberet, sed prospexerunt sibi cauti* Impostores, *dum omnem licentiæ potestatem in illos per speciem conferunt, sed mox ab iis mutuantur, ac in se derivant, ut ab omni Ecclesiæ obsequio semet absolvant, quâ de re nihil addam gravius. Sufficiat apud* Te generosum Principem, *quod verum, rectumque sit, impunè pronunciâsse, ut si, quod planè confido, id probes, vel Tui unius judicio stem, cui meritò tribuo plurimum, & scio reliquos facilè refutaturum, ac meo, si videbor, alicubi aberrâsse, defensurum. Hoc jam mihi præstitit* Magnus Pater Tuus, *quem rectè æmularis, eandem cum ipso gloriam reportaturus. Vale & fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 16. Iulii,
1647. *Clienti humillimo.*

EPIST. CCLXIV.

Felicitatem interminam!

FAcilè ad suavissimarum literarum Tuarum lectionem *Vir Clar.* animum subiit cogitatio, quantum assiduitatis & industriæ requiratur, novellas ac teneras in horto Christi plantas salubrioribus sanctorum præceptorũ imbribus irrigare, quantumque itidem difficultatis subesse soleat, aliquam diligentis suæ culturæ teportare laudem & gratiam, ubi effrenis *Majorum* lascivia, famosa *vulgi* levitas, perdi-

perditissima *omnium hominum* vivendi licentia, sacros & optimo animo susceptos ejusmodi labores despicatui habet. Nihilominus tamen *docebunt* fideliter, *monebunt* graviter, *castigabunt* liberè, quos Christus ex terris migraturus auctoritate, & donis hisce ornavit, quique religiosê, & laudabiliter de Ecclesia mereri cupiunt. Habeant interea *duri Capitones* isti suam sibi malam gratiam, suoque vivant ingenio, quid mundi ingratitudinem curant illi, queîs merces uberrima in cœlis est reposita? Vnica illa spes, & tranquillitas, quæ præsentes molestias atque ærumnas, si non penitus obliterare, multò tamen tolerabiliores reddere potest. Ea etiam præcipuè causa movit Viros à Te memoratos, celeberrimos, ut magno & alacri animo, suo officio satisfacerent, ad quod interposito juramento sanctissimo fuerunt cooptati Vtinam istorum orbitatem restituerent, felici quoque ac fideli orbitam premerent omnes alii, quorum aliàs prudentia erit nulla, doctrina stupida, & omnis eloquentia barbara. Vale. *Guelpherbyti*, IV. Augusti 1647.

Clar. Tuæ

Studiosissimus.

A fratre nostro charissimo *Dn. Ferdinando Alberto*, ut & ab Informatore nostro dilecto multam Tibi salutem nuncio.

Epist. CCLXV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Præstaret sanè ingeniosissimas Tuas & elegantissimas legere, quàm rudes meas atque insipidas scribere, si alia mihi impetrandi illas, quàm per has, ratio suppeteret. Quò igitur appetentior sum Tuarum, hoc impudentius meis ingerere me pergo, præsertim cùm ad veniam dandam importunitati meæ sis indulgentissimus. Brevior tamen ero, ut vel sic minus peccem, Tuisque Studiis, incivilibus meis obstrepam. Ingeniorum nobiliorum, *eorundemque operarum emigrationem rectè deploras, magnum ingratæ gentis, cui concessæ aliquandiu fuêre, fastidiique supplicium. Non dubito verò, quin eodem animo reputes, non aliam certiorem & expeditiorem eorum servandorum esse rationem, quàm* Magnatum favorem, & munificentiam. *Habent quidem secula in hisce* ortus suos, & occasus, *& sunt, qui Astris etiam hæc imputent, quos negligo. Non* felicius *ingeniis*, maiusque *beneficium contingere potest, Principe propitio, & rerum intelligente, non magis* triste, maleficumque *Principe Amuso & abhorrente. Quid enim non Germaniæ suæ contulit* Magnus ille Æmilianus primus. *Galliæ* Magnus Franciscus primus: *Italiæ* Medicæi: *Saxoniæ* Mellerstadius: *Augustæ Vindelicorum* Fuggeri: *Norimbergæ* Baumgartnerus; *Argentorato* Sturmius *Eques, alii aliis, uno propemodum seculo, ut de gloria exornatæ cultæque Minervæ certâsse invicem videantur. Quò magis Tibi annitendum, ut Domus Tuæ decus* Iulios, Heinricos, Augustos, Fridericos, *aliaque propitia artibus, literisque numina, ipse aliquando sustineas, hoc facilius, quò in ætatis*

ætatis flore ea jam pollicearis, quæ Majorum famam superare etiam aliquando possint; quod ut ubere ingeniorum proventu nobis præstes, Deum adoro, cui studia, conatus, profectusque laudabiles omnes seriò commendo. Vale & fave

Ill. Celf. Tuæ

Stutg. 13. Augusti, 1647. *Clienti humillimo.*

EPIST. CCLXVI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

AD scribendum literas fides ante octiduum data me impellit, etsi nec otiosum, nec animo defæcatum, cùm domi multa, ac inprimis Conjugis meæ difficilimus morbus me onerent, faciunt tamen delicatissimæ *Tuæ* literæ, *ut torpor omnis, quisquis ex rebus adversis subnascitur, mihi excutiatur. Nam dum Tu magno animo approbas, quod malefertatos istos* Capitones, *Christi, & ministrorum suorum juratos hostes, acerbè pungit, & palàm criminantur facis, ut non tantùm genuinũ* Patris Optimi, *qui Causæ Christianæ Patronus perpetuus est, Traducem Te probes, sed spem etiam feras, futurum aliquando, ut sub* Pede *Tuo, & desinant sibilare* viperæ, *& cucurrire ausint* Galli, *meliusque* Veritatis *præcones, quàm* fuci*sartores, consultoresque habeant,* causæque Christianæ *actores, quàm* prophanæ dissolutionis *machinatores, præsidium potius & subsidium inveniant. Quo Te animo ad sublimia emergentem, nos piis votis, & faustis plausibus prosequemur,* Christus *verò lucentem populo, irradiantem Ecclesiam, successioneque Virtutis Majorum æquè ac sangui-*

sanguinis immortalem reddat. Vale Generosissime Princeps, *ac quod omnium præstantius*, religiosissime, *atque quod facis, fave*

Ill. Celf. Tuæ

Stutg 3. Non. Sept. 1647.

Clienti humillimo,

Informatori Vestro off. salutem adscribo.

EPIST. CCLXVII.

Fortunam prosperam!

BEne facis, *Vir Clar.* quòd libenter & confidenter ad me scribis. Non enim eâ authoritate sum, ut quisquam judicium meum, quod ætas & dies adhucdum confirmare debent, vereri velit: & si essem, summa tamen mea erga *Cl. T.* voluntas, omnem istum metum facile adimere potest: cùm Tu præsertim ita doctè, suaviter, purè & jucundè scribas, ut legendis Tuis literis quilibet plures sibi oculos optare, quàm easdem fastidire velit. Ego jure, ac meritò nugas meas decenti verecundiâ aliquandiu supprimere, quàm iisdem miseras & innocentes chartas collutulare deberem. Invitarunt me tamen, ut hoc auderem, cùm alii multi, non è multis, tum Vnus in paucis Vnicus Tu *Vir Cl.* quem auctorem meum melioris notæ elogio designo. Veniam autem mihi hanc dabis, ut ad literas Tuas, quæ mihi jucundissimæ semper futuræ sunt, solutius ac negligentius, hoc est, familiari genere, & quod minus exercitatum Scriptorem arguat, respondere liceat. Nihil enim tam invitè facio, quàm ut intempestivè eò conten-

dam, quo progrediente demum ætate pervenire licet. Si quid erit, quod ad propagandam salutem communem aliquando facere videbitur, nihil omittam, nec committam, ut ulla in re meum à dignis & benemeritis officium requiri, aut desiderari possit. Deus studia, & totam vivendi rationem nostram ad gloriam suam perpetuò dirigat. Vale, & pro cælaturis nuper transmissis à nobis maximas gratias habe Dabam *Guelpherb.* VIII Iduum Septembris, Anno 1647,

Cl. V.

Studiosissimus.

EPIST. CCLXVIII.

Felicitatem interminam!

CVm & plurimis, & manifestissimis indiciis nos Tibi non vulgariter charos, vel ex nuperis saltem cognoverimus, oportuit vicissim, qualemcunque potuimus, animi erga Te nostri brevissimis hisce significationem dare. Scias autem, nobis jucundissimũ fuisse, *Vir Cl.* quòd maximam operam atque curam in iis ponas, quæ nostris commodis & utilitati servire putas, factum à nobis summo studio vicissim, quod nostrarum erat partium. Cùm autem *Cels. Dn. Parens*, seipsum omnia illa curaturum pollicitus fuerit, nos interea gratum animum reponimus, ac promptitudinem nostram tum in hoc, tum in alio officiorum genere, repromittimus. Quod aliàs *picturas* attinet, verum est, quod scribis, mirificè graviorum negotiorum asperitate fatigatos, quasi quodam amœnitatis condimento recreant, atque

atque reficiunt, cùm plus sæpè utilitatis habent, quàm quis uno vel altero oculorum conjectu deprehendere possit. Ego sanè earum voluptate valdè perfundor, volvo, revolvo easdem sæpius, & nunc *Authoris Inventionem* solertissimam, nunc *Manum* artificiosissimam, nunc *ipsam rem* elegantissimè repræsentatam, nunc *aliquid aliud* tacitè mecum reputo. Ita cupiditas, si quos semel incessit, vix saturari potest; Vale. Dab. *Guelpherb.* 12. Calendarum Octobris, Anno 1647.

Cl. Tuæ

Studiosissimus.

Epist. CCLXIX.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

NE meâ culpâ fiat intermissio commercii literarii, en iterum Te provoco meis, etsi corpore malè affecto, importunius fortasse, quàm Studiorum Tuorum rationes ferant. sanè, ut contester, Tuis *ut mihi nihil honorificentius, ita amabilius & pretiosius esse, quas tamen à* 10 *Augusti nullas vidi, id quod incredibili Tuæ modestiæ tribuo, qui malis* mihi, *quàm* Tibi *parcere, cùm me potius deceat, ingenii Tui culturam, frivolis hisce meis minimè interturbare. Sed age ita inter nos* Generosissime Princeps *paciscamur, ut uni per intervalla compellare liceat; alteri respondere ex tempore, non sit necessum, sed differre in tempus commodius, libertas relinquatur. Ita enim fiet, ut minus Studiorum Tuorum penso subtrahatur, & mihi aliquid respirationis concedetur, ne eâdem, quâ vestra accipio, die, eoque plerunque negotiosissimo*

 refun-

refundere mea cogar. Etsi enim mira est Tua facilitas, ut quicquid etiam in buccam venerit, libenter admittas, malim tamen ad Te subinde deferre, quæ vel animum Tuum instruant, vel ingenium oblectent, vel industriam juvent, minusque ingratas literas meas reddant. Nunc verò iconas *elegantioris sculpturæ accipe, indices meæ observantiæ in Te summæ, cui* votum *addo, ut Teipso major semper, meliorque fias, Vale & fove*

Illustr. Cel. Tuæ

Stutg. 24. Septembr. 1647.

humillimum Clientem.

EPIST. CCLXX.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

DVm in commercium nostrum literarium inquiro, Vestramque diligentiam, cum mea importunitate confero, illam quidem laudare & exosculari, hanc verò spontè temeritatis accusare necesse habeo.* Tredecim *enim meis Epistolis T[...] Generosissime Princeps; fratres verò* Majorem 23: Minorem 11. communibus 7. *uno ho[...] vertente anno impetii, quibus singuli* tredeceni *respondistis, tersis ad rudes meas,* elegantibus *[...] plebeias,* exquisita materia *fœtas, ad futiles & nugaces, addo* bonæ spei *&* prosperi successu *plenas, ad meas lugubres, & continuæ calamitat[...] nuncias. Quæ Vestra sive facilitas, sive patienti[...] facit, ut ne nunc quidem abstineam Vos lacesser[...] sum ipsi benignè meam impudentiam* officium, *& loquacitatem* servitium *interpretemini, quo mi[...] sic blandior, ut voluptatis meæ, quam ex Vestr[...] sapio incredibilem, quàm decoris & dignitatis V[...]*

str

stræ rationem majorem habeam; Quando itaque meas admittere, adeoque excipere non desinis, audebo posthâc Te adire frequentius, utinam materia aliqua, quæ Te potius recreet, quàm fatiget: informet, quàm distineat: accendat, quàm torpidum reddat. At cùm apud Nos cuncta squaleant, perpetuisque lamentis misceantur, jamque adeò restituendæ Pacis instrumenta dejecta, & dissipata, certam nobis servitutem minentur, quid aliud à me expectes, quàm lugubres voces! *Cùm igitur præter luctum domi meæ nihil nascatur, malo* cælaturis, *quas subinde mitto, oculos Vestros, animosque afficere, quàm* querelis *nihil nobis profuturis, Vos obtundere, quæ si locum apud Vos invenerint, me unà eò reponent, eâ tranquillitatis sede, sc.* gratiæ & propensionis *Vestræ atrio, quæ mihi nihil contingere posit in humanis vel honorificentius, vel exoptabilius, vel magis in omni vitâ meâ, & ad* seros usque posteros *mihi deprædicandum. Vale* florentissime Princeps, & *quod evidenter facis, fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. Cal. Octobr.
1647. *humillimo Clienti.*

Epist. CCLXXI.

Fata felicissima!

Ita omninò est, *Vir Clarissime*, quos DEVS matrimonio stabili & certo locavit, eos tamen variis ærumnis atque vicissitudinibus voluit esse subjectos, partim ut perspectam haberet fidem ipsorum, partim ut ad majorem illam beatitudinem anhelare, & nihil non sectari discerent, quod ad æternam felicita-

tem eos quasi manu ducere possit. Sicuti enim ex amarissimo Thymo apes dulcissima mella colligunt: Ita pii ex tribulationum amaritudine habent, quod deripiant, & in rem suam convertant. Te quoque paulò graviori *Conjugis* ægritudine perturbatum & afflictum fuisse, valdè doleo, neque tamen dubito, quin facilè teipsum casu hoc gravissimo allevare ac consolari possis, cum voluntatem divinam hac in parte non solùm debeamus habere notam, sed nostram quoque illi quàm tenacissimè agglutinatam, quidquid etiam ægrimoniarum ac dolorum miseratio in nobis conciliare soleat. *Picturas* diversi generis accepimus, & pro studio ac cura tua maximas gratias agimus; sunt inter eas quædam coloribus adumbratæ, de quibus scire vellem, num veræ sint earum regiuncularum & urbium effigies, quas ob oculos ponunt, num verò jucundi tantùm, & per campestria oblectamenta peregrinantis ingenii inventa. Vale, & nostri curam habere perge. Ex *arce nostra*, V. Nonarum Octobris, Anno 1647.

Cl. T.

Studiosissimus.

Informator noster charissimus *T. Claritatem* vicissim officiosè salutatam cupit.

Epist. CCLXXII.

Fortunam prosperam!

EST hoc sinceræ amicitiæ peculiare, ut frequenti commercio gaudeat, nec secundi nec adversi quicquam alteri contingat, quod

quod alter mœsto silentio tegere velit. Idcirco perinde est, *tristia* ne, vel *læta*, & *jucunda* ad nos perscribas, ubique enim de officii ratione nobis constabit, sin hęc, habeamus unde lætemur, & porrectiore fronte tecum agamus, sin ea, frenos animo gestienti imponimus, & dolorem tuum etiam aliqua ex parte nostrum facimus. Nec enim in hanc lucem nati sumus, ut hilaritatibus tantùm, & perenni felicitate fruamur. Expedit nonnunquam de altero quoque fortunæ dolio gustare, ut ejus acrimoniâ quadantenus imbuti, non ad quasvis amaritudines tam facilè torqueamur & flectamur. Quod gratulationem devotissimam ob *natalem* feliciter exactum subjungis, agnosco in eo benevolentiæ tuę constantiam eximiam, cui animum tibi studiosissimum repono, simulque numen convenio, ut felicitate pari, quam mihi ominaris, te diu multumque perennare, ac cum æternitate paternâ progeniem tuam virtutibus ac meritis efflorescere sinat. Vale, & inter mœrores ac perturbationes consenescere desine. *Guelpherb.* VIII. Calend. Novembr. 1647.

Cl. T.

Studiosissimus.

EPIST. CCLXXIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

DE *fratris Tui amantissimi* Dn. Rudolphi Augusti, *invaletudine ex* Serenifs. Dn. Patris *literis intellexi, dolens, quam correctam ex voto meo calido, speraverim; Vxor mea, le-*

ctulo suo utcunque levata, domi tamen ob virium debilitatem tenetur. Ego diei medietatem unam laboribus*: alteram* torminibus: *noctem* vigiliis *contero. Hæ sunt Senum delitiæ, quibus caducæ brevi vitæ admoneantur, dum optato Christi caduceo finiatur. Mihi quicquid ejus est, leve & tolerabile videretur, præterquam quòd à visendis* Vobis, Aulâque Vestrâ *excludor, quod tamen votorum meorum ante fatum meum primum & ultimum. Sed dabit vita altera, & melior, luxque splendidior, & amplior, si hæc negaverit.* Picturis *ad Vos missis, Vos affici & refici, valdè lætor; hoc enim volui, ut jucunda essent seriorum Studiorum interstitia, & indolis elegantioris excitamina. In iis, quæ* coloratæ *sunt, aliæ* veræ *sunt, structurarum, & regionum Imagines in Italia exceptæ, aliæ ad Ingenii lusum* fictæ, *sed quas eruditus oculus facilè discernat. Nec enim quisquam pictor sculptorve naturam certius expresserit, quàm præsentis Archetypi imitatione. Memini verò de* Mich. Ang. Bonaroto *Italorum artifice Principe legisse, postquam Imaginem priscæ artis summâ industriâ imitatus fuisset, hoc unum precio petiisse, ut prius suum exemplum, tanquam veteri ævo confectum, monstretur, quo probato, dehinc cum archetypo conferatur, ut quantum inter archetypum, suumque opus intersit, eniteat. Cui simile quid ipse* Noribergæ *sum expertus, cum* Psittaci *alâ, à* Gartnero *quodam, felicissimo* Düreri *imitatore excepta, mihi tanquam Düreriana exhiberetur, quam cùm diu essem veluti inimitabilem miratus, ubi* vera *Düreri* manus, *juxtà est posita, & collata, adeò illa eviluit, ut noctem diei, vel umbram luci comparatam, non sine stupore, imò & pudore deprehenderim. Præter enim penicilli exquisitissimam diligentiam, ea* colorum *post* centesimum *etiam* annum *claritas summa, &,*

liceat dicere, recentia fuit, ut heri modò illiti viderentur, sanè novitii *hujus partus pallorem & senium explodèrent. Quodsi inter artifices æmulos tantum intervallum esse potest, quantum inter* Naturam *&* Artem, *interque* Imitationem *solertem, & vagam* Effictionem *intererit, quod sagax oculus facilè discreverit? Sed ego fortaßis in his nugis nimius, quas abrumpo, ne fastidium pariam, Tibi verò* florentiffime & ingeniofiffime Princeps *fidem meam, studiaque, operamque omnem humiliter commendo. Vale & fave*

Ill. Celf. Tuæ

Stutg. 29. Octobr. 1647.

Clienti obfervantißimo humillimo.

Epist. CCLXXIV.

Felicitatem interminam!

Jvvat tandem Vos, triftitiæ difcufsâ nube, hilariorem aliquando fortunæ vultum contemplari, qui ferè indefinenter in lamentis luctuque jacuiftis, tot annos bellorum civilium vehementiâ & atrocitate debilitati, fiat autem, ut *nuptiales hæ faces* optima quæque vobis defignent, quorum nos hifce terris nihil vehementer fperare aut expectare poffumus, qui undique omnes ferè copias partim jam fummo cum damno recepimus, partim non fine magnâ calamitate adhucdum expectamus, adeò ut ifta regio penè univerfa feditiofi *Martis ftabulum* videatur. Sunt tamen,qui extremis hifce anguftiis fpe, ut illi quidem putant,minimè dubiâ *defideratißimæ pacis* fuftentantur, quam tandem fummus ille bonorum largitor clementiffimè nobis concedere velit,

ut cessent maleferiatorum collegia, omnesque insidiarum fraudulentæ molitiones, quibus tanto corporis intervallo patria nostra charissima pene submota, eversa, & in summas angustias adducta fuit. Vale, & supplice voto nobiscum felicissima quæque spera. *Guelpherbyti*, 18. Calend. Decembr. 1647.

Cl. Tuæ

Studiosissimus.

EPIST. CCLXXV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

B*Enignissimè facis*, *quòd* lugubres *interdum Epistolas meas non abhorres*, *quibus onustum cùm publicis*, *tum domesticis cladibus*, *animũ exonero*, *ubi jucunda potius*, *&* *Studiis Tuis apta*, *adferenda forent*. *Ac hæret sanè mihi persæpè calamus ad hæc aspera*, *mallemque procul facessere funestam* Bellonam *illam*, *quæ omnem nobis paginam implet*, *almamque tandem* Pacem *literarum materiam illucescere*, *&* *pro atris*, *candidas chartas*, *funestis*, *lætas vias terere*. *Sed quid facias*, *dicesque aliud*, *ubi nihil aliud videas*, *&* *audias*, *quàm* leonum *rugitus*, *&* luporum *ululatus*, *contra* Ecclesiæ *desolationem*, Terrarum *excidium*, Scholarum *situm*, Agrorum *squalorem*, hominum *neces*, *onera*, *famam*, *transfugia*, *&* *quod omnium est tristissimum*, *in beluinam naturam ex humanâ transformationem*. *Nam &* jus *ipsum in chalybem*: cultus *in glaciem*: obsequium *in desperationem*: disciplina *in omnem dissolutionem*: victus *verò* quærendi *ratio in rapinam abiit*, *frustra obnitentibus*, *qui*

vetera

vetera somniant, & blaterant; *Sed quid hæc ad Te* florentissime Princeps? *nempe vides, velut* navita de ventis, de bobus narrat arator, *ita nobis tot malis immersis, quicquid dicere, aut scribere volumus, Bellum est, cùm id ipsum etiam* Pacis *nomen, quod toties, totque verba nobis dedit, tanquam insidiosum bellum horreamus. An igitur nihil aliud superest, quod ad Te scribam magis ingenio Tuo aptum? Esset utique, sed cùm cogito, Te iis omnibus abundare, cùm præceptis, tum exemplis, atque instrumentis, quæ ad efformandum perfectum Principem faciant, nolo meis nugis velut inter* olores *anser Tibi obstrepere, nisi eâdem operâ alter Marsyas cum* Apolline *contendere, ejusque iram experiri velim. Veniam itaque pro tua generositate mihi dabis, si hic subsistam, satis beatus, si omnia mea, qualiacunque sint, in meliorem sententiam interpreteris, & Tuo favori quàm commendatissimum esse patiaris. Vale & fove*

Illustr. Cels. Tuæ

Stutg. 19. Novembr. 1647. *Clientem humillimum.*

Epist. CCLXXVI.

Fata felicissima!

OCcupationes Tuas *Vir Cl.* facilè capimus, & diem te citius sine nube, quàm horam sine impedimentis, laboribus, & domesticis ærumnis habere; Omnes autem cum hâc rerum humanarum Novercâ manus conserimus, & ad eundem finem: nec meta, sed melior deteriorve conditio in hoc quandoq; nos secernit, prout nimirum sapientia, aut si ma-

vis, providentia divina, in magni hujus mundi regimine voluerit. Vt enim sagitta sponte ad scopum non tendit, oculus etiam est, qui collimat, manus quæ mittit: sic vita nostra Ductorem habet & Directorem, & quidem non alium nisi Deum, qui gressus nostros dirigit, actionibus & fortunæ nostræ dominatur: nec plus tamen imponit, quàm nos ferre posse intelligit, sed rerum naturæ & contingentiæ leges dicit, nostræque infirmitati, quâ alii ab aliis, diversi vivimus, vires sufficit. Beatus autem, qui ad hoc se accommodare, & tempori cuique suum tribuere noverit, æquo animo gerens, quicquid à Deo fuit injunctũ, hos enim benigniori vitâ frui vult, qui vitæ suæ auctorem & moderatorem venerantur, nihilque minus volunt, quàm quòd ipsum maximè velle sentiunt. Quòd cùm egregiè facias, *Vir Cl.* Nestoreos tibi spondemus annos, certò nobis persuadentes, illum, qui vitam dedit, longè aliter de vitâ dispositurum. Vale, & ab Informatore nostro dilecto, qui se, suaque officia tibi spondet, vovet, dicatq;, plurimum salve. *Guelpherb.* 1647. penultimo Novembr.

Cl. Tuæ

Studiosissimus.

EPIST. CCLXXVII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

MArs *ille circumambulo, qui Vos etiam lacessit, nondum à nobis abstinet, ubi jam diu satis tragœdiæ suæ scenam constituit. Nunc hyber-*

hyberna sibi apud nos parat, tristia equidem nobis, qui experti sumus, contubernii sui inhumanitatem, quæ sacra prophanaque omnia conculcat, præterquam quòd reculas cum pulvisculo eruat & erodat. Pacis *tamen glaucoma nobis subinde illudit, ut quasi narcotico soporatis minus ex malorum sensu doleat. Hoc pretio vivitur, & interitur: hoc somnium pascit, & enecat: hac spe tempus labitur, & consumitur. Nunc* annum *etiam, quod benè vertat, commutaturi sumus, utinam* purpureum *illum cum candido,* coccineum *cum byssino,* chlamydatum, *cum togato, oleisque coronato, quo me nunc* voto *ex calido animo professo, paulò occupatior absolvo, mox pro Tua, Domusque Tuæ salute idem ligato pede facturus, fidemque meam explicaturus, quod cum* Illustrissimis fratribus *Tibi commune & sacrum esse jubeo. Vale & fave*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 8. Decembr.
1647. *humillimo Clienti.*

V.

Cum Pr. FERDINANDO ALBERTO.

EPIST. CCLXXVIII.

S. P. C.

Et felix anni Exordium.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

SI *quantum mellis flori adolescentiæ Tuæ adest, tantum bilis marcori Senis mei abesset, & quantum Stili Tui acies nitet, tantum ærugo detriti*

calami mei detergi posset, haberes utique à me Lepidissime Princeps, *& jucundiores & elegantiores literas. Sed omninò, quantum â vere, hyems, & Euro Zephyrus, tam nos differimus, forte tamen mea, quàm Tua, hac optatiore, quod viriditate Tua ego quàm maximè delector, Tibi mea ariditas ferenda sit. Quid verò ais in jucundissimis Tuis literis 7. Decembris datis, non posse Te ex tanto locorum intervallo hic exaudiri, quicquid etiam vocem extollas. Ego contra Te non hic loci tantùm, sed per omnem Germaniam, & universum* Pindum, *seu orbem literarium, auditum iri asseveraverim, operamque Præconis lubens addixerim, scilicet superesse ex* Guelphis *Principes, qui exules Germanam pietatem, literasq, & artes liberales, hospitio exceperint, sinuque foveant suo, & posteritati ab interitu servent. Est hæc vox atque Exemplum Vestrum per Parnassum & Olympum, aliaque summorum montium juga, & bonæ famæ buccina percrebescat. Mihi sanè ejus miraculi testes, obsidesque* tabulas vestras *subinde accipere atque possidere in summis deliciis fuerit. Non est ergò, quod vociferaris, aut* Stentorem *agas, sibiles tantùm & Te exaudiam, eroq; Tibi* Echûs *loco, quam mihi Provinciam superioribus Tuis* 8 *Septembr. imposuisti.* Christus *verò faxit, ut honos hic* Domus Tuæ inclutæ *proprius, perpetuusque sit, ut labantibus in Germaniâ Ecclesiæ, literarum & artium rebus monimento, subsidio & fulcro, cum æternâ* Augusti nominis *gloriâ, fuisse dicamini, Te etiam supra communem Principum fortunam extollat. Vale & fave*

Ill. Cels. Tuæ

Calend. Ianuarii,

Stutg. 1647. *Clienti humillimo.*

Studiorum Tuorum Ductori cum voto feliciss. anni salutem offic. repono.

EPIST.

EPIST. CCLXXIX.

Umbraculum Divinum!

AGo, habeoque Tibi gratias, *Vir Reverende, amicorum meorum piissime*, pro auspicatissimi *anni* voto, quod non tam à more, quàm amore profectum, tot alia benevolentiæ Tuæ pignora atq; indicia credere non jubent, qui me adeò diligis, ut emolumenta mea, omnibus negotiis tuis anteponas, quod quidem intelligo, sed parem Eloquentiam adferre non possum. Quamobrem nunc *Votum* hoc vicissim Tibi reddo, & Deum Opt. Max. precor, ut annum istum, cum aliis plurimis, quàm felicissimum esse velit, tibique cuncta ex voto fluant, & contra omnes adversitates, res Tuæ firmæ consistant. Ac quoniam Altissimus militum truculentissimorum (quorum hodie in omni fabula exsecratio est) sævitiam iterum in Vos indulsit, mox tamen ex machinâ res afflictas respiciet, & undè tam luculentum damnum resarciatis, abundè suppeditabit. *Manus* enim *Omnipotentis*, quod è sacris literis nosti, *neque mutila est, neque decurtata*, & facilè, quod deest, cùm vult, largiri potest. Confide modò, & nec nunc tantùm, sed potius omnibus ac singulis diebus DEO Opt. Max. salutem Tuam à me commendari puta. Dabam raptissimè d. 11. Ianuarii 1647.

Rev. T. Dign.

Observantiss.

FERD. ALBERTUS
Dux Br. & Lun.

EPIST. CCLXXX.

Fortunam prosperam, cum voto felicissimi Anni sincerissimo!

QVòd me adeò dilaudas, *Vir Clarissime*, agnosco benevolentiam tuam, & gratias ago. Vtinam is essem, qualem me amor Tuus fingit, vel ut saltem in paucissimis tecum conferri possem, ad comparationem factam non adeò erubescerem, in Te nusquam non signa comparent eruditæ variæque lectionis & Experientiæ, quæ in me nulla esse fateor. Tibi veterano fontes Musarum patent, mihi homini novo & Tyrunculo penè etiam ad rivulos aditus est difficilis. Debuissem ergo meos *Artus*, *Artesque* librare, antequam in hanc Literariam palæstram tecum, *Vir eruditissime*, descenderem. Sed quoniam sub specie laudationis ad *majora* me hortaris, te sequar, *Maxime Virorum*, Tibi parebo, tuâq; auctoritate fultus, audebo & tentabo, quid *valeant Humeri mei, quidve ferre recusent.* Nollem enim me accenseri *Illustrioribus* illis, qui Literis *Bellum* quasi indixerunt, & *aurum* atq; *gemmas* suas *atramentis* inquinari metuunt, *animum* autem *ignorantiâ* cæcum ac sordidum habere non metuunt, uti habent Verba Viri Eruditissimi Petrarchæ. Hisce quàm optimè vale, & quod semper rogo, simplicitatem, ac sibilum meum æqui bonique consulas.

Cl. V.

Observantissimus.

Epist. CCLXXXI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Pro suavissimo refectionum Tuarum, in hac calamitate nostrâ afflatu, maximas Tibi gratias debeo, quas continuatione felicioris Vestræ fortis, Deus propitius solvat, supplex precor. Est sanè tristissima sævæ tempestatis nostræ facies, sed dum eâdem navi nobiscum vehatur, qui etiam dormiens vigilat, *speremus ventis & fluctibus imperatum tandem iri, ut desæviant, dummodo fides nostra & patientia non deficiant; Sin omninò demergendi sumus, vel* Cetus *aliquis nos innoxiè deferet, & post Triduum ad aliquod littus evomet; vel aliqua* fiscella scirpea, *in mediâ algâ sistet, salutis manum operituros. Strenulam, quam ad Te misi perexiguam, brevi, si nondum vidisti, accipies. Est ea* fugæ Christi infantis in Ægyptum *repræsentatio. Cæterùm quæ vel Tua in me sit animi propensio, quam utriusq; Parentis exemplo induisti, nimis luculentis mihi speciminibus approbâsti. Cumulabis autem hunc favorem, si apud* Serenissimam Dn. Matrem Tuam, *præs esse volueris devotionis meæ, quæ pro ejus salute & Conjugii felicissimi perennitate apud Deum sedulò excubet, cunctaque pietatis officia mea deferat. Quo Tuo in me Studio & beabor ipse, & ad Virtutis Tuæ florisq; præconium validè excitabor. Vale* Parentum deliciæ, flos Domus Inclutæ, mea expectatio, *& fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 5. Februarii, 1647.

Clienti humillimo.

Epist. CCLXXXII.

Fortunam prosperam!

Impius sim, nisi Te *Clarissime Vir*, inter piissimas necessitudines meas diligam. Delata non ita pridem pictura quædam Apelleâ arte insignis in Musæum nostrum, quasi mihi donata. De cujus *Donatore* cùm diligenter inquirerem, tandem intellexi, eam abs Te missam esse, quod ut crederem, non me officiolorum in Te, quæ nulla unquam fuerunt, conscientiâ, sed recordatio Tuæ erga me nihil tale meritum benevolentiæ facilè induxit. Faciendum igitur paucissimis hisce lineis putavi, ut & eam salvam atq; incorruptam mihi traditam, munusque gratissimum fuisse, quàm primùm intelligeres. Verùm cùm aliud Tibi hâc vice probare nihil possim, candidum interea animum, & gratum iri probatum Tibi confido. Officia ac fidem meam roga, quæ præstare potero, & volo, & debeo, & hâc dextrâ meâ polliceor. Addo cultum & observantiam, quam præstabo largiter, & in quâ vinci me à quoquam non patiar; sive Hercules mecum certare velit, seu progenies ejus Alexander. Ita omninò tibi persuadeas, & me Tibi addictissimum crede, dum res & ætas, & sororum fila trium patientur atra. Dabam festinanter *Guelpherbyti* d. 15. Febr. 1647.

Claritatis Tuæ

Observantissimus.

Ab Informatore nostro plurimam Tibi, Tuisque salutem renunciamus.

Epist. CCLXXXIII.

Salutem plurimam !

NOn est, quòd gratias agas maximas, *Vir Clarissime*, pro consolatoriis meis, cùm meum omninò fuerit, fractum te temporis acerbitate erigere, & deficienti frigidam affundere. Nec tam anxiè ad animum revocandæ sunt minæ adversitatum humanarum; quarum & contra nos quoque stare videtur acies. Sed murum ahæneum opponimus, *fiduciam melioris*. Tu pari modo curas omnes longiùs valere jubeas, & Tibi lætiora quæque promittas, quis scit, annon ea subsecutura sit tranquillitas, quæ possit præterita mala omnia obliterare? *Sirenam* quam miseras, me dudum accepisse, non ita pridem perscripsi. Est ea non tam *fugæ Christi Infantis* repræsentatio, quàm insignis *fiduciæ in Iosepho* documentum, qui bonâ spe fretus veterem mansionem reliquit, & secessum cum Conjuge Maria, & puerulo Iesu alibi quæsivit. Faxit Deus, ut & Tu non solùm spe istâ sustinearis, sed & votum, quod indè conceperas, omninò ratum ac firmum fiat; nemini erit optatior, *accessus tuus*, quàm mihi, adornabo tibi hospitium, quod tamen nullum præter Te ornamentū habebit, ferias agemus amœnissimas, & quidquid apud me erit, quod aut voluptati, aut usui esse poterit, tuum erit: Et quamvis *Vir Clarissime*, ita omnium animis influas, ut alieno teste minimè indigeas, ex abundanti tamen apud *Celss. Dn. Matrem*, à me quod petieras, accesserunt bona verba quædam, quæ adfectum illius in omni studiorum genere cumulatissimè tibi vicissim testantur.

 Hisce

Hisce quàm optime vale, & Informatorem nostrum, quod facis, tibi commendatũ habe.

Clarit. V.

Studiosissimus.

Epist. CCLXXXIV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Quod ætatem hanc Tuam teneram quàm maximè decet, & ornat, semper aliquid blanditiarum Literis Tuis admisces, quibus quantum ab insolentiæ typho obducaris, & Titi *atque* Trajani *comitati ac facilitati adsuefias, Clientibus Tuis probes, & ad Te eos pellicias. Quod insuper literarum amorem, & æstimationem induis, quæ alibi nimis quàm sordent, næ facis, quàm rectissimè, & spem nobis maximam fore, ut earum* Cultores *non minus* sub Te, *aliquando, quàm quondam* Patre Tuo *laudatissimo, decus suum, subsidium, & tutamen inveniant. Cui si Religionis etiam* Zelum *& Ecclesiæ* curam *super imposueris, eæ Te profectò coronabunt,* MAGNVMq; *olim* FERDINANDVM ALBERTVM *efficient, celebribus quibusque* Ferdinandis *&* Albertis, *quos fama in cœlum extulit, conferendum, vel etiam præferendum. Quo ego Te precibus meis apud Deum assiduis, & paratissimis studiis atque officiis provehere nunquam desistam;* Christus *verò vota mea rata habeat, qui Te salvum & incolumem semper servet. Vale favens*

Ill. Cels. Tuæ

Clienti humillimo.

Informatori Tuo perfideli & dexterrimo officiosam salutem adscribe. Stutg. 19. *Febr.* 1647.

EPIST.

Epist. CCLXXXV.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

Quod meas quisquilias alicujus momēti habes, facis id sanè perhumaniter, nec mihi rependi quisquam majus illâ Tuâ in me animi propensione, posset, quam, ut debeo, ita plurimi facio. Nec opus est, fidem ejus dexterâ tuâ sancias, cùm Verba Principis pro fide *esse, nec à nobis credi debeant, quod Magnus ille Cæsar* Carolus V. *est testatus, cùm fidem; si totâ terrâ exularet, in Principis* aula *hospitium ei deberi, vel potius* pectore, *generosè pronunciaret. Hoc igitur mihi incumbere video, ut dum Tu amore mei vel cum* Hercule *ipso, vel ejus progenie* Alexandro *certare contendis, ego* Nathanis *in excolendo* Salomone *curam & solicitudinem æmuler, & vel eminus illustres profectus Tuos, calamo, pectore, precibus, munusculis, & tota mea, quicquid curtâ suppellectile juvem, quam Tibi dedicatam esse volo. Domi verò, quæcunque Tibi sint optanda, abundè possides.* Parentum *exemplum,* Ephori *prudentiam,* Informatoris *eruditionem,* commilitonum *æmulationem,* populi *vota, publicumq; plausum, quæ juncta Tibi faciliorem viam sternent ad Virtutis ipsam arcem adscendendum, quâ Te repositum, ut videam aliquando coràm, vel procul audiam, Deum precor. Vale & fave*

Ill. Celf. Tuæ

Stutg. 12. Martii
1647. *Clienti humillimo.*

Informatori Tuo, ego & filius Gottlieb *salutem reciprocam mittimus.*

Epist. CCLXXXVI.

Fata felicissima!

QVod proximis Literis Tuis, & omnibus iis, quæ has præcesserunt, tantopere me laudaveris, *Vir Clariss.* debeo tibi tantum, quantum ab eo absum, ut meritò lauder. Vtinam autem operam hanc in argumentum felicius collocares, suavissimas tuas Literas, quando ad me perferuntur, absque rubore legerem, qui meipsum tum meo metior pede, mecumque habito, & novi, quàm sit mihi curta supellex. Sed hic semper stimulus erit ad continuandum studii mei laborem, illaq; animi contentionem excitandam, quam, ut ingenuè fatear, ab ineunte ætate aluit *Virtutum amor, & gloriæ cupiditas.* Ita de me meritus es, itaque assiduè mereris, nulla ut in re unquam à fidelibus Tuis monitis discrepare debeat voluntas mea, sed potius Tuæ arctissimè sit agglutinanda, & in id unum intentissima, ad Divinæ voluntatis perpendiculū facere omnia. Cujus meæ cupiditatis & propositi quæ causa sit, facilè Te suspicaturum puto; Omninò enim mihi persuadeo, hoc *unicum* esse, quod contingere homini potest, *decus*, radium, lampadem, non unam in famam aut ætatem, lumen suum dispergentem. Quibus pulcherrimè vale, & ab Informatore nostro dilecto plurimam & officiosam Tibi vicissim salutem habe. Raptim *Guelpherbyti*, die 23. Martii, Anno 1647.

Clarit. V.

Observantiss.

Epist.

EPIST. CCLXXXVII.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps, Domine longè clementiſſime,

QVod animi mei & devotionis erga Sereniſſimam Principem Dn. Matrem Tuam, *interpretem Te nuper exoravi, non eſt, quòd operosè mihi, tantoque Interceſſore conciliandam putem, quam toties ultrò propenſiſſimam & munificam ſenſi, ſed ut ipſe intelligeres*, quam Matrem *Tibi Deus conceſſerit, quæ ſortem fœminei ſexûs ſupergreſſa, & laudem cùm veterum, tum recentiorum Mulierum exæquans, omnium Virorum admirationem & cultum rapiat, &* Philippum *aliquem* Bergomenſem, & Iohannem Bocacium, *Encomiaſten mereatur, quod ut propius Tibi innoteſceret, (ſi tamen hæc ignorare potes) & quanti hæc Cœli donaria facerem Clementiſſimæ Dn. Matri Tuæ conſtaret, non aptiore internuncio uti potui, ut eâdem operâ utrique felicitatem ſuam, Seculique gloriam inſinuarem, meoq; officio, quod Vobis obnoxium, humillimè defungerer. Cæterùm quod ad Vos mihi anhelanti, omnia mihi paratiſſima offers, non poteſt id non me in meo languore valdè erigere, utinam verò quàm Vobis animo vigilans & ſomnians advolo, imò ſæpius ad* Imaginum Veſtrarum *intuitum converſari vobiſcum, & nugari mihi videor, tam malè affectum corpus transferre mihi eſſet integrum, haberes utique, qui Tuis profectibus applauderet, & ad ſumma quæque aſcenſus votis, precibusque ſuis proſequeretur. Quàm etiam* Bibliothecæ Paternæ *famigeratiſſimæ videndi deſiderium intolerabile me teneat, neutiquam explicavero, ut de ipſo* Bibliothecario *ſinè exemplo taceam, qui omnem meam in his terris ſpem & expectationem*

meam exhaurit. Gratias *interim, quàm possum maximas ago, cùm pro bonis verbis, meo nomine, ad Celſ. Dn. Matrem datis, tum oblato tam lauto,* tamque illuſtri hoſpitio, *quorum illa in animum Maternum deſcendiſſe, ut minimè dubito, hoc tanquam jam præſenti perfrui datum eſſet, devotiſsimè accipio, ita utrumque mihi omni animi mei obſervantiâ, ſummoque ſtudio demerendum putabo. Chriſtus verò Te* Princeps inclute, *ſi minus corpore, animi tamen propenſione conjunctiſsimum mihi ſervet. Vale, & cum Informatore Tuo induſtrio iterum ſalve.*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 2. d. Aprilis
1647. *Cliens humillimus.*

Epist. CCLXXXVIII.

Fortunam proſperam!

SI has licet eſſe quiſquilias & fæces eruditionis ſolidæ, *Vir plurimum Reverende & Clariſſime,* quid mihi dicendum erit, de parte ſelectiori & nobiliori elegantiarum Tuarum, quæ ad guſtum meum nil niſi nectar erunt. Vtinam eo ad ſatietatem aliquando mihi frui liceret, non certè *Catonis* in morem pitiſſarem, ſed potius confertim & avidè biberem, imò omne, ſi poſſem, ingenium tuum ingurgitarem. Robur & dextram verbis meis addo, non ut de ſinceritate & confidentiâ tuâ, quæ mihi abundè ſatis perſpecta, ullus dubitarem, ſed ut nonnihil ex conſuetudine hodierna facerem, dum non *ſimplex fides, ſed compoſita,* probè ſuffulta, & oculata demum aliquid valet, ſimulque ex animo doleo, quod etiam

etiam in noſtrâ Germaniâ, ceu propria & genuina ſede, & ubi tam conſtanter olim fuit ſervata, ita paſſim violetur, & exſcindatur. Auro contra habeo quoque illud *Caroli V.* inſigne, qui non ſolùm fidem ſemel datam, intactam & ſacroſanctam, dum vixit, ſervavit, ſed ei quoque de hoſpitio, quo cum primis etiam poſt obitum exciperetur, ſolertiſſimè monitis ſuis fideliſſimis proſpexit, cui & illud Scribani ſubjungo: *Principem, uti dignitate, & potentiâ, ita etiam promiſsionum conſtantiâ DEO præ cæteris debere eſſe propinquiorem.* Tu quàm optimè vale, & me, quod facis, ama. E Muſæo noſtro, die 6. Aprilis, 1647.

Clarit. Tuæ

Studioſiſſimus.

EPIST. CCLXXXIX.

Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps, Domine longè clementiſſime,

QVòd ſcribendis ad me literis minimè fatigeris, argumentum mihi eſt, Tuæ erga me benevolentiæ luculentiſsimum, cui rependendæ cùm nulla mea ſit facultas, tamen ne nullas, aut à materiâ inanes à me recipias, id mihi curandum puto, at qui alias, quàm ex publica noſtra calamitate lugubres. Accipe ergò, quod diebus hiſce accidit Göppingæ, *quarto abhinc lapide,* Mulierem gravidam, *cùm ſe partui vicinam ſentiret, cupido inceſsit, priusquam dolores partus ſubiret, potu fontis acidi, qui ibi percelebris eſt, ſe reficere, ad quem egreſſa, obviam habuit ex peditibus Ducis* Turrenii *graſſatorem, unum, qui nihil irritatus, ſceleratâ libidine innocentem ſclopeto caput trans-*

verberavit: Fortè supervenit alius miles ex equitibus, qui indignitate rei motus, fugâ dilapsum latronem insecutus, in vepretis deprehensum retraxit, Duciq; sistit. *Interea loci Chirurgus* Blessingius, *palpitantis adhuc Matris uterum secuit,* gemellosq; pueros *salvos extraxit, qui uterque ipso* Duce fidejubente, *sacro lustrico tincti sunt; Ac unus quidem haud diu supervixit, alter verò vivit, & liberalibus Ducis impensis alitur.* Latroni *gula fracta est, ne tamen impunè periret, commilitones socium è custodis manibus eripere ausi, hunc ictu petierunt, qui dubiâ vitâ decumbit, sibi crucem meruerunt. Hæ nostræ delitiæ sunt, dum à* Pacis *expectatione distinemur, actaq; Tragica novæ Iliadis, sed priscis tristiora experimur. At hoc unum jam Te scire volui, ubi Dei misericordia Satanæ furori intercessit, quæ nobis porrò subsidio esse velit; toto animo precemur. Vale* inclute Princeps, *& nisi molestum est, Informatorem Tuum ex me peramanter saluta, ac fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. die *PassionisChristi,*
16. April. 1647. *Clienti humillimo.*

Epist. CCXC.

Salutem & felicitatem prosperam!

DAbis veniam, *Vir Clarissime,* vel si Te bene novi, favebis nihilominus mihi, quamvis mentem Tuam haud rectè assecutus fuerim. Debemus nonnunquam amicis, si rectè memini, melius consulere, quàm vel à nobis ipsi postulant, & ita cessisse quoque ea, quæ nomine Tuo cum *l. Domina Matre nostra* contuli, omninò existimo, sive internuncii vel

alte-

alterius cujusdam titulo hac in parte officio meo defunctus sum. Diu animum meum jucundâ spe oblectavit expectatio Tui, de qua, uti è proximis Tuis Literis videre mihi licuit, jam cogitationes ad nos præmiseras. Vbi verò ex postremis jam comperi, Te malè affecto corpore detineri, tanto sum mœrore affectus, ut propemodum in præcipua parte infelicitatis meæ deputem, quòd tantâ spe exciderim. Faxit *Deus ter Opt. Max* ut debilitate corporis solutus, pristinam membrorum firmitatem propediem recuperes, & nobis atque Orbi Christiano quàm diutissimè luceas, id quod commodius fieri poterit, si Teipsum, quod facilè auguramur, ab indefessis Studiis, & magnâ negotiorum multitudine nonnunquam subduxeris. Notum enim est illud Naturæ Consultoris optimi Plinii, *corpori vacandum esse, ut ejus fulturis animus sustineatur.* Bibliothecam nostram si Tibi aliquando contigerit perlustrare, non tam videbis, eam multâ diversorum Scriptorum multitudine & supellectile instructissimam, quàm *nomine* quoq; *Tuo* insignem. Vale & ab Informatore nostro, qui Filio Tuo charissimo quàm primùm ad amicas suas Literas respondebit, salve. Scribebam die 4. Maii, 1647.

Cl. V.

Observantissimus.

EPIST. CCXCI.

Felicitatem interminam!

QVò minus mihi fuerunt ignotæ calamitates eæ, *Vir Clarissime*, quas Literæ Tuæ mihi nunciarunt, eò certè magis me affe-

cerunt. Nec temerè eſt, quòd lugeas immanitatem iſtam plus quàm beluinam, & Tragœdia hæc in omnium ferè oculis luditur, ubique fiunt mala crudeliſſima, ac pauci erunt, quos nondum purpurarunt. Quare ut quondam *Dædali*, ſic *Martis* hodie in omni fabula execratio eſt. In tantum ſcil. Germaniæ inebriatus eſt *Calix Tribulationis*, ut neque illius caput, manus, pedes, nec ullus Imperii Status, amplius officio ſuo fungi, & malo huic acerbiſſimo mederi poſſit, ſed tremunt, nutant, languent, & exhauſtis tot calamitatum amaritudinibus exanimes concidunt. In quantum autem illa hominum purgamenta deteſtamur, in tantum egregiam *Ducis* Virtutem celebramus ac deprædicamus, qui ſceleris deformitatem ſeveritate ſupplicii emendare, ac relictam prolem in tutelam ſuam recipere voluit, quod ſuis documento erit, ne prius illud committere audeant, aliis verò incitamento, ut cuncta hæc memoria tenaciſſimè apprehendant. Sint inpoſterum quoque, quibus æquum ac bonum curæ atque cordi eſt, quique vitiis ac ſceleribus, in quorum voraginem tot jam *Curtii* inſiluerunt, metas ponant, & graviſſimarum pœnarum veluti molem quandam objiciant, quod afflictiſſimæ rerum ſtatui ſaluberrimum erit, quodque *DEUS ter Opt. Max.* ex alto fortunare velit. Scribebam 10. Maii 1647.

Clarit. V.

Obſervantiſſimus

Epist. CCXCII.

Salutem plurimam!

ETſi paucis abhinc diebus ad Te ſcripſi, *Vir Cl.* tamen flagitium ſit, ſi dilectiſſimorum meorum Fratrum Literæ ad Te perveniant incomitatæ meis, qui ſilentii aut oblivionis nomine nulla ratione ſuſpectus eſſe volo. Agnoſco benevolentiæ Tuæ conſtantiam in tam calido voto; & non tam de natali, qui haud ita pridem fauſtiſſimus atq; feliciſſimus illuxit, quàm de illa mihi gratulor. Inæſtimabilis enim mihi Theſaurus *magnorum Virorum* erga me *affectus*. Perinde autem facis, ac confidentes ſolent agricolæ, qui poſtquam ſemina terræ norunt eſſe concredita, ſpem ſuam in longum præmittũt, ac largiſſimam ſibi meſſem pollicentur. Sunt hujus ætatis ingenia noſtra agelli, quibus diverſa *Scientiarum ac Virtutum ſemina* committuntur, quæ ſi ad maturitatem pervenerint, fructus ferant uberrimos, de quibus cùm & multa mihi promittas, faxit Deus ter Opt. Max. ut opinioni, quam ſpe & animo præcepiſti, eventus reſpondeat feliciſſimus. *Decimas* exindè ſolvã fideliſſimè, & dum alii ſibi ferunt, ſibimetunt, ego lubentiſſimè quicquid à me proficiſci poterit, aliis pendam. Quòd ſi verò omnia non potero in ſuccum & ſanguinem convertere, præclaræ tamen voluntatis gloriâ me ſuſtentabo, quæ potior eſt humili & minutâ felicitate eorum, qui nihil arduum, & aſperum cogitatione complectuntur. Vale & dum *meſſis in herba* eſt, divinam ex alto benedictionem mecum implora. Dab. currente manu d. 25. Maii 1647.

Cl. V. Obſervantiſſimus.

EPIST. CCXCIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

GEminis Tuis quod respondeam, profectò non habeo, adeò enim comitatem omnem iis exhausisti, ut quid blanditiarum reponam, non inveniam. Malo igitur Tibi herbam porrigere, & inurbanitatem meam fateri, quàm ut in Apologo est, cum Cumano animali, catelli melitæi lusus, quos Hero faciebat, calcibus stolidè æmulari, & vapulare. Quis enim Te non tantùm Domûs Tuę, sed & Terrarum Vestrarum Delicium nescit, cujus amor cum incrementis annorum & laudabilium Studiorum semper crescet, fructusque publico rei Christianæ bono uberes feret; Ad quam metam Te contendentem ego piis precibus, & officiosis plausibus consequar, beatus futurus, si boni omnes Virtutis Tuæ testimonio concinant, Christusque ipse propitius annuat; ita vivas, ita valeas mellitissime Princeps, ita faveas

Ill. Celf. Tuæ

Ex Seleniano, 4. Iunii, 1647.

Clienti humillimo.

Informatori Tuo officios. salutem subscribo.

EPIST. CCXCIV.

Salutem plurimam!

NOn est, Vir Clarissime, tarditatem in scribendo, si quæ ita dicenda est, apud nos excusare velis, novimus, quàm assiduæ Te curæ conficiant, ut nullum superfit vacuũ tempus,

tempus, quod amicis impendas, nisi illud continuis ac redeuntibus occupationibus surripias. Audimus & cognoscimus ex aliis, quantum laboris animarum Curatoribus incumbat, cujus adspectu vel Hercules perturbaretur, putans sibi tertium decimum laborem restare. Quapropter si brevissimam dilationem istam inconstantiæ tuæ in cultu & amore nostri putamus esse argumentum, næ parum diversas hominum conditiones, & te memorem debitorem, cui nunquam vellenda sit auris, nosceremus. Non ingratum mihi quoque fuit exemplar *umbratilis* delineationis Tuæ, ut & appositæ pagellæ non inelegantis artificii, pro quibus ingentes ago gratias, operam daturus, ne te liberalitatis hujus unquam pœniteat, tantò quidem magis, qui minime omnium promeritum me talia sciam. Rectè fecisti, quòd argumentum istud tractandum susceperis, pro quo labore & studio omnes bonos, qui Viros bonos & egregios à mortalitate vindicatos cupiunt, hoc animo esse oportet, ut velint te quàm diutissimè superstitem omnibus iis, qui pro salute animarum strenuè fecerunt, ac propterea æternitati, famæque Templo consecrandi sunt. Vale *Vir officiosissime*, & ab Informatore nostro plurimam salutem habe. *Guelpherb.* 21. Iunii 1647.

Cl. Tuæ

Observantissimus.

Epist. CCXCV.

Felicitatem prosperam!

Legimus viciſſim Tuas literas, *Vir nunquam ſatis pro meritis honorande*, & eleganter ſcriptas, & omnibus humanitatis notis tinctas. Læti ſumus ex animo, quòd amicitiam noſtram faceres tanti, ut eam novis ſubinde muneribus laceſſere non deſinas, neque exindè aliud conjecturare poſſumus, niſi quòd in amore & negotio ſcribendi conſpires, & paria nobiſcum facias lubentiſſimè. Quâ cauſæ bonitate freti, & liberiores, & crebriores ad Te mittimus, neque libenter concedimus, ut vel literæ Tuæ paulò diutius apud nos ſine reſponſo detineantur, vel noſtræ ad Te concedentes gradu teſtudineo iter emetiantur. Vbi tamen hæc quoque cura noſtrum angit animum, fore, ut graviora fortè negotia Tua frequentioribus & intempeſtivis noſtris intercludantur. Sed Tu facias, quæſumus, quod commodo Tuo fieri poterit, neque patiaris, ut ullâ ratione Tibi incommodi videamur. Habemus iterum, unde gratias Tibi maximas agamus, quòd aliquot *diverſorum Auctorum libros* forulis noſtris deſtinaveris, quæ profectò talia ſunt, ut noſtram deprædicationem fere aſpernentur, & non niſi maximâ remuneratione digna habeantur. De me certè velim ſic exiſtimes, me animo iſta omnia ſedulò viciſſim complexurum, quæ ad emolumentum Tui, Tuorumque, & gratitudinem quavis ratione declarandam pertinere videbũtur. Mea nihil habent, quod ſpiret tam ſublimem originem, abundè mihi tribuis, ſi credideris Muſas noſtras adhucdum circa littus natare. Valebis,

lebis, & nos Tui observantissimos amare perseverabis. Dabantur *Guelpherbyti*, die 13. Iulii, 1647.

Cl. T.

Observantiss.

Epist. CCXCVI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Quotiescunque in Epistolas Vestras intueor, felicitati Vestræ gratulari subeo, qui non tantùm iis literis & artibus, quæ ætatem Vestram deceant, & personam ornent, instituamini, sed rectiore etiam de rebus majoris momenti sensu, quàm alii vel possint, vel velint, atque judicio imbuamini, & hinc rei Christianæ *olim tractandæ melius, & curandæ certius apparemini. Qua in parte* Patris Vestri providentissimi *Sapientiam eximiam laudare debeo, eos Vobis Formatores, & Magistros, deligentis, qui non tam præclarâ virtute & cognitione polleant, quàm pietatis Zelo, vitæ innocentiâ, & morum compositione, quæ filiis hujus seculi contemptui esse, vel neglectui solent, prævaleant. Præterquam enim quod melior fama, fidique Testes jam dudum illos mihi fecerint commendatissimos, in omnibus literis Vestris ea spirat rerum Divinarum & Sacrarum æstimatio, terrenarum verò & prophanarum vilitas, atque dedignatio, ut hoc unum satagere mihi videantur, qui in hoc dignitatis Vestræ fastigio Vos ad veriora & sublimiora bona attollant, à simulatis verò & fugacibus, quæ* humi figunt, *abstrahant. Cujus rei argumentum ex postremis Tuis*, florentissime Princeps, *capio, quibus de*

Saubêrti *quondam mei* Vmbra *ſupra ætatem Tuâ cordatè, prudenter, & æquanimiter, ſcilicet ita probè edoctus pronunciaſti, ut aliorum Iudiciorum aleam ſubire, minus vereri, ſcriptionis ſanè, vel oblatrante Invidiâ, pœnitere non debeat. Quo nomine iisdem Moderatoribus ac ductoribus Tuis, multum debeo, quos faventes & amicos ut ſemper habeam, magnâ curâ mihi annitendum eſt, ſic enim Te mihi propitium in poſteros etiam annos ſervabunt, & famam meam, ſi quam promerebor, apud alios tuebuntur, & ea calamo Tuo ſubinde ſuggerent, quæ mihi ſummæ voluptati eſſe poſſint.* Chriſtus *verò faxit, ut hæc efformatio mentis, Ingeniique exactior cultura, ad* Optimi Patris *exemplum Reipubl. Chriſtianæ bono, Tui ornamento, illorum commodo, omnium bonorum utilitati cedat. Vale* maximis rebus deſtinatus, & *favere perge*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 16. Iulii,
1647.

Clienti humillimo.

Officia paratiſſima cum ſalute plurima Ephoris & Doctoribus Veſtris adſcribo.

EPIST. CCXCVII.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps,
Domine longè clementiſſime,

C*Vm Te reſpondere minimè pigeat, compellare aliis atq; aliis literis minùs dubitaverim, nec enim aliud eſt, quod retardare poſſit, quàm arundinis meæ ſenilis imbecillitas, & hebetudo, quæ cum ardenti tuo ſtylo collata, ludibrio eſſe poſſet, niſi Tuâ indulgentiâ eam ſuſtineres. Quanti-*

ſper

ſper ergò videro, ne Studiis tuis oneri non eſſe, nec impedimento liberalioribus exercitiis, facilè aliquid ſucciſivi temporis invenero, quod Scriptioni ad Te tribuam. Si quid etiam ex libellis meis, *quos Tibi deſtinavi, aliquid commodi literariis profectibus acceſſerit, næ ego beatus mihi videbor, qui eos optimè locaverim, & quaſi iniquis poſſeſſoribus in noſtra hac barbarie eripuerim. Nam dum* Martis partes *prævaleſcunt*, Palladis artes *vileſcunt, ac tum* Pietatis res *frigent maximè, cùm ſeculi vitia in flammam erumpunt. Nec dubito, quin non tam in libellos minutioris pretii, quàm meipſum ſis intuiturus, cujus ſi in* Te tuâq; Domum inclutam *animum devotiſſimum, ſtudiumq; dedicatiſſimum penitius introſpicias, cùm nemine mortalium camparandum rectè cenſere, certè aſpernandum haud putare poſſis. Quantum enim mihi curæ eſt, ut emergat* oppreſſa *pietas, refloreſcant* expulſæ *literæ, excolanturque* ſylveſcentes *artes, tantum mihi impoſitum video, ut herbeſcentis Tuæ Virtutis* incrementa, *uberesque* proventus, *precibus meis aſſiduis, & ſtudiis indefeſſis proſequar, ut quibus aliquando ſalus publica innitatur. Id quod* Chriſtus *ratum gratumque habeat, in quo* florentiſſime Princeps *creſce, & adoleſce feliciter, quod vovet ex animo*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 13. Auguſti,
Anno 1647. *Cliens humillimus!*

Ductoribus & Doctoribus Tuis ſalutem perofficioſam adſcribo.

Epist. CCXCVIII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Quod semel atque iterum fratrum Tuorum literas non es comitatus, nihil succenseo, nam & invaletudo Te facilè excusavit, & amantiss. frater Anthon. Vlricus *partes Tuas satis supplevit, sed & ipse, etsi literas Tuas cùm ingeniosè fictas, tum eleganter pictas, valdè amem, atque desiderem, nolim tamen hoc exercitationis genus Tibi molestum aut tædiosum fieri, sed non nisi aliquà voluptate delinitum, integrum servari, quid enim aliud ad scribendum ad me literas Te impellat, quàm Indolis Tuæ florem, & styli aciem exeras, atque perficias, non ideò, dum adultior ætas materiam aliam atque aliam Tibi suggerat, & in latiorem rerum humanarum cognoscendarũ campum Te emittat. Quapropter vehementer Te hortor, ut si continuare hoc reciprocandarum Epistolarum studium non displiceat, nihil tamen suscipias, quod vel oneret Ingenium Tuum, vel teneram Manum fatiget, aut recreationes Tuas perturbet, cùm nullas acceptiores ad me dare possis, quàm quas ab hilari & festivo animo profectas intelligam. Vale* dulcissime Princeps, *& elegantiis Tuis me recreare perge*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 3. Septembr.
1647. *Clientem humillimum.*

EPIST. CCXCIX.

Fortunam prosperam!

TErnas jam à Te, *Vir Cl.* intra ſpatium aliquot Septimanarum accepi, ad quas tamen uſque huc nihil reſpondi, oportet itaque, ut Muſas meas tenellas & ſopitas excitem. Vbi fortè quæras, Lethargus ne fuerit, an Somnus in me? Nullum certè horum. Mala me vexavit aliquandiu tuſſis, quæ ad hæc & alius generis officia me planè reddidit inhabilem, & ſæpius ad ſcribendum accedenti calamum manu excuſſit, omnem itaque negligentiæ & procraſtinationis longioris, ſi quæ fuit, culpam ea ſuſtineat. Quòd ſcribis, nihil tibi magis curæ eſſe, quàm ut extincta ferè *pietas* in lucem protrahatur, omnesque *artes* & *Studia* ad priſtinam ſtabilitatem & nitorem reducantur; Laudamus animum tuum, atq; adeò, qui noſter eſt in Te amor, de ſerio hoc propoſito Tibi ex animo gratulamur. Nam quotusquisque eſt hodierno tempore, quem hæc cura tangat? Omnes adeò modicæ fidei & curtæ ſpei ſunt, ut difficultate commoti, facilè deterreantur. Melius Tu, quem in tantum deperditarum rerum amor tenet, ut in reſtitutione earundem nullo tædio fatigeris. Informator noſter chariſſimus potius ſe Tibi debitorem humillimum offert, & in oculis, in ore, in pectore Te habet, obſervantiamque, ſtudium ac candorem ſuum in omni officiorū genere Tibi cupit eſſe probatiſſimum. Ita enim ſingularis Tua eruditio, & earum rerum notitia, quas omnes boni plurimi ſemper faciunt, meretur. Vale. 8. Iduum Sept. 1647.

Cl. T. Obſervantiſſimus.

EPIST. CCC.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

DVm me ad scribendas ad Te literas paro, Tuæ adveniunt, septimo hujus datæ, quibus injurius sim in comitatem Tuam, si in hac temporis angustiâ, tumultuaria verba reponam, dum animum, sermo jam in publico habendus, totum quasi occupet. Veniam igitur morulæ dabis, intereaque animum elegantioribus, quas mitto, pagellis oblectabis, propensione in me, quod facis, non interruptâ, quam me DEO assiduis precibus commendare, & perpetuis studiis atque officiis demereri humilibus fas est. Vale suavissime Princeps, *& fave*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 24. Septemb. 1647.

Clienti humillimo.

EPIST. CCCI.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

VErbosior ad Inclutum fratrem Tuum Ant. Vlricum *fui, apud Te brevior ero, nolim enim meas tædio Tibi esse, quæ quo minus habent verborum, hoc se facilius absolverint. Gratulor de restituta sanitate, & ut firma perpetuaque sit, ex animo precor. Generosi animi habitaculum, quo firmius & magis incolume, hoc aptius est, ad laudabiles functiones provehendas, si rectâ ratione regatur, non in luxuriem, aut temerarios ausus devergat, sed quæ in Te nobis, sub vigilibus Custodi-*

studibus, aptisq; Magistris minimè metuenda sunt. Informatori Vestro plurimum debeo, cùm ob ea, quæ in Te *confert studia, Reipublicæ olim salutaria & proficua; tum* me *etiam, quibus Ingenium, Manumque Tuam in mei amorem inflectit, atque deflectit, quo me sibi reddit planè obnoxium. Nec immemor est filius meus* Gottlieb *veteris amicitiæ, quam non tam renovatam, quàm continuam, & perpetuam esse percupit. Vale* floridissime Princeps; *& quam iniisti* Pietatis *&* Virtutis *viam, calca, non aliis gradibus ad summa quæque mortalium facilius & certius evehendus. Vale & fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. Cal. Octobr. 1647.

Clienti humillimo.

EPIST. CCCII.

Fata felicissima!

ITa meretur erga me singularis amor tuus atque propensio, *Vir Cl.* ut nolim scribendi munus, quando ad me deventum est, paulò laxius, & in alios subinde dies protrudere. Indignus enim sit, quem Musæ ament, qui in amore semper quàm promptissimè non respondeat iis, à quibus provocatur, quiq; præter amoris hujus exercitium etiam omne illud quærunt, quod nobis maximè accommodatū & salutare esse intelligunt. Neque est, quod metuas, plus oneris me esse suscepturum, quàm ferre possim. Sum enim ex eorum numero, quod ingenuè fateor, qui nolunt esse subsarcinati, neque tamen etiam inanis incedere vellem, cùm ii, qui cervicibus nonnunquam

quam aliquid imponunt, accuratius & felicius rerum cursus observare soleant, quàm qui compressis, ut aiunt, manibus aut sedent, aut ambulant. Tu quod facis, ad majora, & alia omnia me subindè perducere perge, & sicubi titubavero, quocunque volueris modo, me stabilias, communiasque. Vale. *Guelpherbyti*, V. Nonarum Octob. 1647.

Cl. Tuæ

Observantissimus.

Epist. CCCIII.

Felicitatem prosperam!

SInt nonnunquam Verbis adstrictæ literæ tuæ, *Vir Cl.* sensu tamen ita prævalent, & elegantiarum varietatibus adeò abundant, ut earum inspectione animus multò longius ducatur, quàm diuturnâ lectione aliarum rerum quarumcunque immoderatius excurrentium. Fieri etiam quandoque potest, ut & breve sit tempus, quo occupationis Tuæ amplissimæ negocio huic mutuo indulgent, ita enim facilè cogitationes præpediuntur, quò minus plura comprehendere, & longius exspatiari possint, proindeq; non est, quod brevitatem hanc pluribus exemptam purgatamque eas. Dum Informatori nostro dilecto tam benè cupis, facis convenienter moribus tuis, quemque semel ornandum suscepisti, commendatione & patrocinio non desinis honestare. Agnoscit ille amorem hunc animo quàm gratissimo, teq; in oculis, in ore, in pectore habet, & omni, quod ajunt, pede in Te honestando vicissim consistit. Vale & ab eo, cum

cum filio Tuo charissimo, quem non ita pridem ab antiquæ necessitudinis memoriam literis invisit, plurimam salutem habe. *Guelpherb.* VIII. Calend. Novembr. 1647.

Cl. Tuæ

Observantissimus.

Epist. CCCIV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

R*Ediit ex oris Vestris ad nos Vir perIllustris*, Iohannes Iacobus Rupis, *Spoleri regulus, postquam restituendo* visui *aquas* Hornhusanas, *nequicquam adhibuisset, præco tamen admirandarum curarum, quas coràm in aliis esset expertus, vel laudatas audivisset ab iis, qui ab omni ope Medica, & Chirurgica destituti, restitutionem & salutem suam voti rei, hic invenerint: Nempe* Medicatas *aquas, non* miraculosas, *quod ipsi erat animo persuasum, reperit, sed inveterato suo malo inutiles, etsi* Divinum Numen *accessisse multorum curationi non abnuerim, cujus cultum postquam fortunæ creverint, plurimum ibi refrixisse, sunt qui testentur & detestentur. Sed & illud, cùm ex itinere, aliquot* aulas *peragrasset, magnificè extulit, quòd longè aliam & feliciorem ingenii culturam, & pietatis cultum, quàm quæ hic locorum videatur, inter Vos invenerit, quo testimonio & valde sum lætatus, & gratias DEO solvi, qui invalescenti* barbariei & atheismo, *pessulos adhucdum, & obices ex* Illustrissimis familiis *paret, ne cum terris & fortunis suis* Germania oculos *suos &* cor *perdat, sive* eruditionis & pietatis *unà usum & fructum tanto olim opere à*

Majo-

Majoribus *reparatum, amittat. Ex iis jam dudum* Te, *florem Principum, cum* inclutis fratribus *Rei Christianæ & literariæ restitutioni & amplificationi, animo meo destinavi, nullis profectò blanditiis, sed certis argumentis, & auspiciis ex* Serenis. Dn. Patris *longævitate & felici curâ desumptis, quæ fundandæ & perficiendæ Virtuti Vestræ, à propitio DEO Vobis concessa prorogantur. Quæ quò Vobis diuturniora, hoc ad exemplum expeditiora, ad continuationem aptiora, & ad fastigium usque famæ bonæ, certiora erunt, supplicibus nostris votis, Vobis à Supremo Numine procuranda. Quo in studio, dum sedulò pro Tua salute excubo, patere* Dulcissime Princeps, *ut, quod ultrò postremis Tuis es pollicitus, ingenii Tui elegantioris* lusibus, *& literariis* exercitiis *diutius perfruar, dum ad seria magis accingaris, Reipubl. Christianæ utilem, Tibi gloriosam operam navaturus. Vale & fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 29. Octobr.
1647. *Clienti humillimo.*

Efformatoribus & Informatoribus Vestris perofficiosam salutem adscribo.

Epist. CCCV.

Felicitatem interminam!

QVòd tardius ego, *Vir Cl.* ad amantissimè scriptas literas tuas, quàm optabas, respondeo, peto à te, ut id pro consuetâ humanitate tuâ, non dicam aliis impedimentis, sed afflictæ valetudini meæ, quâ interea conflictatus sum, condonandum putes. Nam cùm

cum per aliquot dies, tanto *dentium dolore* vexatus ſim, ut & ſomnum mihi adimeret, & efficeret, ut neque cibum caperem, & id ipſum, quod capiebam, non manderem, & extenuarem, ita me magnitudo cruciatuum efferaverat, ut ad conſuetum ſcribendi munus planè inutilis factus viderer. *Ardere* in Sueviâ *bellum* ſcribis, quod ferè non miramur, illud potius ſtupemus, unde funeſtiſſima flamma hæc ſemper ſuum habere poſſit nutrimentum. Aut enim non erit, quod rerum ſpeculatores de voracitate hujus tradunt, aut de occultis ejus qualitatibus nondum ſatis edocti ſumus. Faxit autem DEVS, ut experientiâ tam luctuosâ nunquam comperiamus, quæ libenter neſcimus. Vale & ab Informatore noſtro dilecto plurimam ſalutem habe. 18. Cal. Decembr. 1647.

Cl. Tuæ

Obſervantiſſimus.

EPIST. CCCVI.

Illuſtriſsime & Celſiſſime Princeps, Domine longè clementiſſime,

QVod brevitatem literarum mearum benignè interpretaris, tumultuarium ſcribendi genus generosè admittis, facis ſanè indulgentiſsimè, quo nomine infinitas gratias debeo. Ego verò non tam mei, quàm Tui rationem mihi habendam cenſeo, ne vel legendis meis, vel ſcribendis Tuis copioſioribus faſtidium Tuæ ætati parem, quæ laboribus impar eſt, & amabiliora ſuo jure depoſcit. Nam ut ſint, quæ animum meum diſtendant & diſpergant, quàm occupent, nihil tamen ejus

erit,

erit, quod non officii, quæ debeo Tuis, postponendū, nec tam charum carumque quicquam quod impendendum Tibi Studiisve Tuis non putem, cujus imperium Tuo arbitrio relinquo. Ab Informatore Tuo me amari planè sentio, & gratum habeo, cui contra omne meum studium polliceor. Amori namque debitum est, amari, & ut ameris, amandum, ita amatus, ames. Christiani officium quid ni sit, cùm qui odio habeant, & infectentur, sint diligendi. Sed nolo philosophari. Vale floride Princeps, *& fave*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 19. Novemb.
1647. *Clienti humillimo.*

Epist. CCCVII.

Salutem officiosam!

Literas meas à Te, *Vir Cl.* viſas & lectas tantum apud Te poſſe, ut oculos animumq; tuum oblectare, faventiamque inſuper & amorem demereri queant, ſeriò & ex animo gaudeo. Quanquam mehercule tanti non ſunt: ſed propenſiſſimæ tuæ voluntati hoc totum tributū eo, quâ me diu ſanctiſſimè complecteris. *Aquas* noſtras *vicinas* ex aliorum relatione, ut audio, prædicas, & quidem ob vires ſaluberrimas, & curationes admirandas. Vires in iis occultas agnoſco, easque, quotiescunq; arcana illa naturæ in homine, extra hominem, in toto hoc univerſo impenſius apud me volvo, non poſſum non admirari. Curationes non nego, quoties verum eſſe deprehendo, plurimos felicem & auſpicatam corporis ſanitatem conſecutos fuiſſe. Si quis autem

tem hoc quoque ſecum reputet, quàm diverſa ſit corporum temperatura, quanta hominum ex ætate, ſexu, loco, cœlo varietas: quot, & quàm contraria ex contrariis & pugnantibus cauſis morborum genera, ille non mirabitur, plurimos votorum ſuorum compotes factos non eſſe, ſed fruſtrà periclitantis, ac depoſitæ ſalutis ſuæ remedium quæſiviſſe. Tu inoffensâ valetudine diutiſſimè nobiſcum vive, & quàm optimè vale. *Guelpherbyti*, penultimo Novembr. Anno 1647.

Cl. T.

Obſervantiſſimus.

Epist. CCCVIII.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps,

Domine longè clementiſſime,

Gratulor mihi, Tibi gaudeo, quòd eodem temporis puncto de invaletudine Tua, & reſtitutâ ſanitate intellexi, ita enim Tu morbi moleſtiâ, ego per Te ſolicitudine citius liberati ſumus, quod diuturnum Tibi opto. Mirarer autem Te hoc ætatis, dentium dolore *vexari, niſi ipſe ego in juvenili meâ ætate id malum, toto & continuo decennio duriter eſſem perpeſſus, quo poſthâc Dei beneficio ita ſum liberatus, ut præter quatuor, quos tum perdidi dentes, reliquis omnibus integris, nunc rectè utar.*

Heri Biga illa Illuſt. Sororum *à nuptiis* Mompelgartenſibus *DEO conduce incolumis rediit, articulo uno in avita ſede repoſito, & cognato Principi adjuncto. Cujus Tibi* imaginem *hic ſiſto. Nempe* VLRICI tertii VVürtemberg. Ducis *lineâ in Nepote* Ludovico *extinctâ, ſucceſſit fra-*

ſit fratris Georgii, *quæ per ejus Nepotem iterum diviſa nunc coaluit, quod facilius ex ſchemate cognoſces, Sed &* Duo Principes mei, EBERHARDVS Herus, & VLRICVS frater, *cognati ſanguinis, & ex eâdem* Solmenſi domo, *Conjuges duxerunt. quod itidem ne neſcires, appoſui. Omen utinam Deus impleat, ut quò arctius ſunt inter ſe nexi, eò conſtantius familiæ concordiam alant, ſerventque, nec ſimultatibus unquam diſtrahantur, quæ certiſſima Illuſtr Domuum ruina & clades eſt. Supereſt lætum Tibi & omnibus animi corporisque Tui illuſtribus incrementis fætum felicemque* annum *ſuccedaneum precer, quod idem opto fideliſſimo & induſtrio Informatori Tuo, quem valdè amo. Vale & fave*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 8. Decemb.
1647. *humillimo Clienti.*

Heinricus
Comes VVürtemb. & Mompelgartenſis.

Vlricus *Dux* 3. *VVürtemb.* — Georgius *Comes Mompelg.*

Chriſtophorus *Dux* 4. *VVürtemb.* — Fridericus *Dux* 6. *VVürtemb.*

Ludovicus *Dux* 5. *VVürt.* — Iohann Frid. *Dux* 7. *VVürt.* — Ludov.Frider.

Eberhardus *Dux* 8. *VVürt.* — Sibylla - Leop.Frid.

Iohann

Iohann Fridericus *Dux VVürtemb.*
Barbara Sophia *Brandenburg.*

Eberhardus – Anna Sophia — Vlricus
Dux VVürt. Catharina Dorothea *Dux VVürt.*

Ioh. Casimir-Dorothea Heinric⁹-Mar.Magd.
Rheni & Sylvæ VVilhel. *Com. Oeting.*
Comes.

Iohann Georgius
Comes Solmensis.
Margaretha
Baronissa de Schönburg.

EPISTOLÆ ANNI M DC. XLVIII.

I.

Cum tribus Principibus.

EPIST. CCCIX.

Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principes, Domini mei longè clementiſſimi,

JVſſu Sereniſs. Dn. Patris Veſtri, *Domini & Heri mei omnium clementiſsimi, (qui enim per me id auſus fuiſſem)* Symbola, *quibus Magnatum exemplo, in inſcriptionibus nominum Veſtrorum, niſi à ſenſu Veſtro aliena eſſent, uteremini, ſelegi, eaque infelici licet pictoris vel potius lutarii penicillo expreſſa, ſuperiore ſeptimanâ ad Vos miſi. Maluiſſem equidem, clariſsimus Vir & ſummus Artifex*, Goskius Veſter, *id Vobis officii præſtaret; ingenioſioribus inventis, &* Buno *Veſter*, Freiſiusque *feliciorem operam conferrent. Quid verò Vos voluerim, & quò digitum intendam, etſi pro ſagacitate Veſtra intelligitis, & additi Verſus, inſulſiores ſic ſatis explicant. Tamen his literis amplius diducere, & hoc magis inſinuare viſum eſt, quod ne ægrè feratis, majorem in modum, & quà debeo, animi demiſsione Vos rogatos velim.*

Elegi autem Symbola, *quæ cum* Sereniſſimi Dn. Patris *per Orbem celebratiſsimo illo* EXPENDE *quàm proximè convenirent, Tuæ ergò Celſitud.* Generoſiſſime Princeps, Dn. RVDOLPHE AVGVSTE, *animo meo* ATTENDE, *deputavi, ſcilicet, cùm Tibi cæli fa-*

vor

vor non tam Paternarum amplissimarum possessionum, fortunarum, & terrarum, quàm Virtutum successionem destinârit, qui rectius hoc ingens nus alter post Atlantem fessum Hercules subibis, & Imperii Domus Guelphicæ *habenas rexeris, uàm si ad Exemplum Patris, quo nullum est perfectius,* ATTENDAS, *illudq; omni animi contentione exprimas, quod eò Tibi est factu facilius, uo anni Patris Divino beneficio amplius protenduntur, Tibiq; interea judicium crescit, ut ad singulos illius egregios & incomparabiles actus* atendas, *& quid Tibi faciendum posthâc sit, documentum capias. Sed &* ATTENDAS *maximo peri, quod DEUS Tibi commissurus, & quantò ignitate, potestate, & opibus inter Germaniæ Principes eminueris, tantò magis sublimem hanc Suam Stationem ornes, & spem omnium de* Te *onceptam adimpleas. Hinc est, quod* Statuarium *ffinxi, ad exemplum nobilioris alicujus operis, à* Praxitele, *vel* Phidiâ, *confecti, aliud exprimenis, famamque eandem sectantis, quæ* Tibi *haud ubio continget, si ad dicta facta, constituta & ancita, Optimi Patris, sed maximè* Pietatem *ximiam, &* Iustitiam *incorruptam, cum summa ruditione conjunctam seriò & sedulò* ATTENDES.

Tuæ verò Celsit. ingeniosissime Princeps, Dn. ANTHONI VLRICE, PROTENDE *applicavi; Nam cùm Te videam cum Patris amâ, quam sibi supra communem sortem incredibili studio, munumentisque literariis incomparabilibus, paravit, contendere velle, ne pondere operum ejus, & ingenii terrearis,* Stateram *Tibi proposui, ubi minoris ponderis porrectione, majus æquari, & progressione minuti appendiculi, attolli ondus maximum queat. Etsi enim in Patre Tuo mnia sunt summa, & propemodum inimitabilia,*

ut qui unus sui seculi inter Heroas, Basis & fastigium dici mereatur: Tibi tamen D E V S, *tanquam sanguinis & ingenii, sed & educationis & institutionis rectæ, legitimo hæredi, nihil negavit, quò minus* Virtutis *progreßibus & incrementis ad eandem gloriæ & famæ metam pertingas. Aude ergò felicibus auspiciis Patrem assequi, &* pondus donorum *Tibi divinitus concessorum rarißimum, in laudati cursus staterâ promove, quo maximum etiam pondus, Celebriorum in Ecclesiam, Remp. literariamque Paternorum meritorum libramine Tuo adæquabis, aut quod vel ipse Pater non invideat, superabis.*

Tuæ demum Celsit. florentissime Princeps, Dn. FERDINANDE ALBERTE, EXTENDE *proprium esse volui, allusione ad* Didonis *commentum, quo* taurino corio *in tenuissimas partes secto, amplum satis locum condendæ Vrbi suæ* Carthagini *est circumplexa. Intelligis quid velim, ferant sanè* natales, *priores, quod familiæ legibus & pactis sancitum est, Tibi* propria Virtus *vel novum regnum paret, vel concessum minus amplificet. Patrem Tuum cogita, in minore olim sua sorte nunquam animo, nunquam opere, nunquam famæ præcopio* minorem, *ac ne nunc quidem tantis factis accesßionibus, quàm ante,* majorem. EXTENDE, *extende sortem Tuam, qualemcunque* D E V S *Tibi aßignabit, animi & virtutum magnitudine, & quo majore nisu fortuna amplior Tibi paranda erit, hoc decus majus, opusque gloriosius Tibi successurum memineris, nempe* Fata viam invenient, *quæ Te per arduos, in sublimi positi* Virtutis *templi, anfractus deducat, & gloriosâ tandem inter Majores Tuos sede reponat. Hæc mihi animo meo post* Serenisſ. & feliciſſimum Dn. Patrem Veſtrum EXPENDENTI, *ingens gaudium, & spes maxima nascitur,*

citur, fore, ut haud sinistro aut vano omine meo, Tria *hæc Vobis* Symbola, *auspicatò cedant, scilicet* : ATTENDENDO *exquisitiori Exemplo* : *&* PROTENDENDIS *ingenii exactioris viribus* : *atque* EXTENDENDIS *avitæ gloriæ finibus, ad summa quæque pertingatis, non nisi cælestibus & æternalibus bonis terminandis. Quo me voto in præsens absolvo, fiduciæ plenus, si minus ad* Genium Vestrum *hæc à me excogitata sunt, tamen ut à pio & devoto pectore prolata, veniam apud Vos faciliorem impetratura.*

ATTENDITE *operi, &* PROTENDITE *virtutis profectus, ut famæ* Guelphicæ *illustrissimæ terminos* EXTENDATIS &c. *Salvete & favete* Illustrissimi Principes

Illustriss. Celsit. V.

Rutg. 25. Ian. Convers. Pauli 1648. *Clienti humillimo.*

In Symbola
TERNIONI PRINCIPUM AVGVSTORVM
Brunsuig. & Luneb.

Tetrasticha Emblematica.

I. ATTENDE.

Imitari, quàm præire facilius.

Felix, Archetypum cui contigit arte politum,
Cui gnavè Attendat *ingeniosa manus,*
Is & Praxitelem *referet, celebremve* Myronē,
Et post Augustum Hic Ectypus Alter *erit.*

II. PROTENDE.

Aequat progressus maxima Virtus.

Porrige libramen radio; hinc appende *minutum*
Pondus, & æquabit pondere majus Idem.

Virtus virtuti compensa Nepotibus olim,
Progressu Stirpis præminet inter Avos.

III. EXTENDE.

Hoc decus, hic labor est.

Taurino *poterat regnum circundare* tergo,
Dido *suum, postquam in lora minuta secat.*
Ferre gravem sortem, magnum est, majusq, tuer
Facto extendere *eam, quantum opus, ac de cus est ?*

IV. EXPENDE.

· Gaudent Generosâ prole Parentes.

Gaude hâc prole Pater! si quid Tibi fata minentu
Nunc etiam Augustus *restat*, Imago(*a*)*Tu*
Et qui Te superet, *noritque* extendere *sortem :*
Expendisse *Bonum hoc, Teq; Tuosq; juva*
(*a*) *Syrac.* 30. ℣. 4. 5. 6.

Ad Serenifs. Dn. Augustum.

‡

Luna *mihi in Terris : Cœlo* Sol *emicat alto :*
Sufficit ! *hinc Mundo salvus utroque ferar*

+

Christe sciant quæcunque alii, mibi sufficit *una*
Cognitioque mei, cognitioque Tui.

EPIST. CCCX.

Illustrifsimi & Celfifsimi Principe
Domini longè clementifsimi,

C*Vm ad Vos scribere instituerem, non alia Vol dignior materia occurrit, quàm quæ hoc tem poris merito suo nos totos occupat, & exerce nempe* PASSIONIS IESV CHRIST

NC

NOSTRI Hiſtoria, *quæ ut ſapienti majorum* *nnua recitatione nobis in memoriam revocanda;* *ta totius vitæ noſtræ decurſu, tanquam* Brevia- ium Theologiæ *ruminandum, & identidem re-* *etendum venit, quo ſtudio ſive ad ſolidandam fi-* *em, ſive efformandam vitam noſtram nihil cer-* *ius & expeditius eſt. Ac hujus quidem Anni ſa-* *ræ meditationis director* GEMINVS-ADAM, *uem D. Paulus Romanis epiſt. 5. ℣. 12. & ſeqq.* *eſcribit, eſto, ut quantum* primus *perdiderit, tan-* *um reparaſſe nobis, & reſtituiſſe* ſecundum *re-* *ius intelligamus, & exactâ utriusque collatione* *ala noſtra, bonaque ad hanc paſsionis lancem ex-* *endentes, meritis Chriſti, quas poſſumus laudes* *ratesque rependamꝰ Ecce enim, ut* 1. Serpens il- *peſtilentiſsimus mali malum, & verè* Eridos omum *nobis propinavit, totosque diſsidio infe-* *t, paratum eſt ex* Arbore vitæ Alexicacon, *quod* Concordiam *reddidit, dum* Charitas *ipſa ad nos* *ſcendit, & ne de alieno daret, ſuo & Corpore &* *nguine ipſo paſcere, & reficere inſtituit. Hinc* mbitio *noſtra ſumma, imâ* Humilitate, *& ſer-* *ili ſchemate repenſa;* *inexhauſta* Avaritia, *li-* *ralißimâ* Pauperie *expleta; temerariâ & exi-* *oſa* curioſitas, ſimplicis veri & boni exemplo *ſtigata ſimul, & rectius inſtituta eſt. O felices* *s S. Euchariſtiæ epulas, & agnum Paſchalem,* *æ infernalibus illis dapibus tam pretiosâ victi-* *â expiandis.*

Iam 2. HORTVM VTRVNQVE *nferamus, illum* Paradyſi *& hunc* Oliveti: *àm enim primo Adamo* delicatus *iſte fuit, tam* *c ſecundo* Horroris *& tremoris plenus factus eſt,* *ortis tam diræ & indignationis ob id divinæ in-* *itu. Quàm dulces & ſapidi* fructus, *tam ama-* *s* calix *omnibus noſtris inquinamentis repletus;* *àm* aura *ſuavis, lætaque, tam torrens* æſtus

 ſangui-

sanguineas grumas exsudans; *Quàm paratum a-nimalium* obsequium: *tam tristis* solitudo, *& intimorum etiam somnolentia*; *Quàm varia e universi hujus* concentu *& elegantia* delecta-tio, & refectio, *tam ad obversantia passionis* in-strumenta, *ipsumq; malorum invectorum chao* nausea *& animi deliquiū objectum est.* 3. *Ade-mus porrò, quo nihil est prophanius*, SACRVI CONCILIVM, *Adamicæ pietatis speculum nonne pro ipsius* Apostasiâ, *Secundus Adam p* Hæretico *pronunciatus? ab Hypocritis impostur suæ consciis*, blasphemiæ *accusatus*: *à loquaciu & nugivendis*, *ob* veritatis *professionem indig. percussus*: *à sciolis*, *& cum ratione deliris*, *pro t* tuo & deridiculo *habitus est*: *Caiphâ machina-te*: *Iudâ prodente*: *Petro abnegante*, *cunctis de-rentibus*, *publicè proscriptus?* Nec *melius* 4. *A-dami* FORVM, injustitiæ *ipsius tribunal*, *u* tyrannis *obsequium factionis arguit*: fraus *ben gnitatem maleficii accusat*: ventricola *sobriet tis crapulam culpat*: strepitus *& clamor tranqu litatem turbarum convincit*, *Pilato histrionia interim agente*. 5. AVLA *verò qualis? ve Adami Scena*, *ubi plurimum* pompæ, *contra e nanitum* Christum: *multum curiosæ indagin contra silentem Christum*: *multum contumel contra obrigescentem Christum*: *multum collus nis cum illâ ludibrii pilâ*, (*Christo*) Herode *leo nam vulpem*, Scribis *villum lupum*, turba *bo los canes agentibus*. *Quam itaq;* 6. *aliam*, DIRAM SENTENTIAM *expecten culpæ Adamicæ*, *non Christi innocentiæ condigna* Ecce Hominem, *quem* libido & petulantia *n dum* flagellat: *Ecce*, *quem* Ambitio *larvat spinis* coronat: *Ecce*, *quem* Avaritia *exutum exsanguem* despuit, *& laniat*: *Ecce quem c* pula *famelicum & sitibundum oleto* perfund

Ecce vermem, *non Hominem, ut beluinum Adamum in Hominem* redderet. 7. *Ipsum inde* SVPPLICIVM *Christi, quàm ignominiosum ipsi, tam Adamo est gloriosum.* Exitus *illius, huic reditus & interitus ad deperdita bona, & regni pro exilio restitutio*: Onus *illius* sub cruce, *huic levamen à malis, & refrigerium*: fixio clavium, *læta liberatio ab omnibus vinculis*: sanguinis imber, *sacrum lavacrum, & fœditatis omnigenæ ablutio*: Deprecatio Christi *excusat*: Pietas *curat*: Exemplum *excitat*: Clamor *juvat*: Sitis *restinguit*: Consummatio *sigillat*: Exhalatio *salutem nostram comitatur.* 8. *Tandem &* SEPVLTVRAM *Christi intueamur, & unà veterem Adamum sepeliamus*: *expianda nempe morte Christi, mors illius omninò fuit, & stipendium peccati persolvendum*: *Lytro persoluto* depositus est de cruce, *ut nos deponamus Adamicas exuvias*; obvolutus est linteis, *ut nobis imputetur nova Justitia candentibus stolis*; putrefactionem non est expertus, *ut nostram naturæ debitam vitali æterno succo, perfunderet, qui ad tubæ sonum excitatos, nos aut secundæ morti adjudicandos, vel ad veriorem vitam admittendos sisteret*; ipse Caput *gloriosus & triumphans* resurrexit; *ne de membrorum lætâ successione, dubitatio unquam ex horrore sepulchri subrepat.* *Hæc sunt* Illustrissimi Principes, *quæ inter sacras meditationes animum meum subiêre, non indigna mihi visa, quæ hoc temporis Vobis communicarentur, non quòd non satis ab iis instructi, aut per Informatores Vestros edocti elegantius & felicius mihi habeamini, sed quia tempori serviendum, & huic sacræ contemplationi præ cunctis aliis studiis vacandum mihi fuit. quæ si non ingrata Vobis, aut importuna videbuntur, plurimam gratiam debebo. Nam & prodesse Vobis, & unà operâ placere, hoc studium,*

opusque meum, ex quo admissus ad Vos sum clementissimè, ut fuit semper, atque unicum ita porrò erit humillimo obsequio, & germanâ fide, ad ipsum usque sepulchrum mihi continuandum Superest, pro humanissimis literis, quas pridem 7. Martii Illustrissime Princeps Dn. ANTHONI VLRICE, *& nuper 13. Martii* Illustrissime Princeps Dn. FERDINANDE ALBERTE, *ad me dedistis, quoniam ad eas respondere non licet, ingentes tamen gratias agam, non tam summæ delectationis, quàm generosæ sponsionis loco habiturus eas, non importunas meas Vobis videri, nec invitas Vestras ad me redire, & reciprocationem hanc literariam haud inutilem vel molestam censeri, cui ut porrò operam suam Informator Vester, quem multum amo, conferat, majorem in modum rogatum & salvatum velim. Valete* optimi Principes, *& favete*

Illustriss. Cels. V. V. V.

Stutg. 29. Martii,
1648. *Clienti humillimo.*

Epist. CCCXI.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

In hâc temporis turbatissimi angustiâ, tùm ne conjunctis quidem, ne dum singulis, pro voluntate mea, respondere liceat, malui paucissimis, quàm nullis palam testari, aureis Vestris literis, nihil esse acceptius, *nibil videri* elegantius, *nihil haberi* pretiosius, *nihil reponi* sanctius, *nihil expectari* ardentius, *nihil agnosci ad obsignandam Vestram gratiam mihi* certius *& conspicatius. Me verò nihil contrà habere, quod agam antiquius, quàm*

uàm humiles gratias; *reponam promptius, quàm* *nctam germanamque* fidem; *obstringam ar-* *ius, quàm* studium obsequens; *dedicem devo-* *us quàm* officiola *mea perexigua ut intelligatis,* lute Vestra *nihil mihi optari sublimius*; incre- entis *nihil curari studiosius*; felicitate *nihil de-* *lerari operosius. Vivite, virescite, valete* Prin- pes generosissimi, *& favete*

Ill. C. C. C. V. V. V.

utg 3. Maii,
1648. *Clienti humillimo.*

Epist. CCCXII.

lustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

Q*Vòd nuper adstrictius ad Vestras responderim,* *id mihi jam liberiore stilo rependendum puto,* *ne vel in Vestram sedulitatem iniquior, vel* *manitatem inofficiosior appaream. Cujus mihi* *iteriam suppeditavit,* Iohannes Marianus Hi- anus *egregio de* Republ. Christianâ *vernacu-* *sua conscripto*, *& Regi suo* PHILIPPO III. *:rato* libro, *Anno* 1615. *ubi post multa alia in-* *niosè excogitata, & cordatè prolata*, Principis *mni* CAPVT *effingit*, sensibusque *suis ornat*, *quia nondum Latio donatum vidi, in usum Ve-* *um, non eâ sanè quâ scripsit prolixitate, sed* *àm potero contractissimè, delineandum potius,* *exponendum, quàm transferendum putavi,* *:us & Dignitati Vestræ conveniens hoc fore, &* *Inventionis elegantiam ingratum esse haud pos-* *Sic autem* Principis CAPVT *effigiat, ut* *imum omnium* OCVLIS *binis, veluti* Soli *&* *unæ hujus Politici Microcosmi,* Sapientiam *ad-*

ſignet, Inſpectione *omnium rerum & actionum accuratâ, edoctam*, *quæ ut* Bonos *obſervet*, *ita notet* malos *ac improbos*, *maximè verò ad* oppreſſos *attendat, ne vim ullam patiantur, ſed jure ſuo uti frui poſſint*; *Id quod primum diuturnitatis & felicitatis imperii fundamentum, ſummumque aſſerit.*

Addit dehinc GEMINAS AVRES, *quibus* Iuſtitiam *attribuit ſuffultam cognitione Veritatis, auditione omnium conceptam, & fido conſilio, ſubſtitutisque auditoribus bonis ſuffultam, unde* commutatio *omnis juſta & æqua procedere*, diſtributioque *pro meritis cujusque, & dignâ æſtimatione fieri poſſit, gratia officiis, pœnæ culpæ repenſa, & donationibus nec profuſioribus nec actiſis nimis, ad libellam expenſis, quod alterum firmamentum ſtabilis & beati regiminis ſtatuit.*

Sequitur OLFACTVS, *quem* Prudentia *inſignit*, ſagacitate & diſcretione *diviſa*, *quæ caput tot aliis elatum inſigniter ornet, & quà magnitudine & fortitudine* venerabile, *quà humanitate & comitate* amabile *reddat*, *quo utroque in ſublimi hac ſtatione nihil Deo propius. Cavendum ergò, ne* imponi *ſibi facilè*, *ac* alienari cor populi *patiatur, ab iis, qui ſuus dum naſus ſivè veri indago abeſt, cum publicâ ruinâ agunt.*

GVSTVM *verò, cùm duplicis ſit officii, & tam palato, quàm voci per Linguam articulatim proferendæ ſerviat, in* abſtinentiam *placitorum, quæ in magna fortuna perquam fræno opus habēt, &* Veritatis *prolationem & cuſtodiam dividit. Illa voluptates & vitæ recreamenta moderatur, ac cohercet: Hæc Fidem dandam & ſervandam, juxtaque ſilentium dextrè adhibendum docet, adulatoribusque linguas noxias præcidit, easq; procul abigit.*

Supereſt TACTVS *ſenſuum infimus, &*

cum

cum brutis communis, altera Temperantiæ *specie, quæ circa amores & odia versatur, notatus, quam eò vult adstrictiorem, quò licentius summa potestas extravagari, & mali exemplo peccare nocentius solet. Sed & qui propius tangunt, sive* privata *gubernationis instrumenta sunt, intimæque admissionis*, continentiæ *adstrictioris &* modestiæ *solicitæ admonet, ne indulgentiâ Principis abutantur, in populi flagella, & Heri sui dehonestamenta degenerantes, suo & publico exitio, seculique flagitio, execrabilem memoriam inveniant. Habetis* ILLVSTRISS. PRINCIPES, *quæ* triginta *integris* capitibus *pertractata, in hoc Breviarium contraxi, digna ni fallor, cognitione Vestra, etiam si placeat, penicillo, ubi* Principis perfecti imaginem *uno intuitu contemplari & quid in boni malique confiniis positum sit, animis Vestris infigere possitis. Quod si licebit ipsum librum vel* Hispanicâ, *quâ scriptus est, linguâ, vel* Italicâ *aut* Gallicâ, *in quas est translatus, aliquando legere, non ingrata Vobis erit hæc mea opella, quæ* Summarium *totius operis, oculis Vestris jam antè exposuerit. Ego sanè hoc ingenuo lusu*, Vobis ut placerem *sum annixus, si minus, ab incredibili* Vestra indulgentiâ, *quicquid insulsi à meo calamo, picturæ non inconcinnæ accessit, supplebitur, fortasse etiam nostræ sub armorum concussione, fluctuationi condonabitur. Ita namque mihi persuadeo, Vos Martis & inhospitalis, & incivilis conscios, haud ita pridem, capere simul, & commiserari nostram sortem, quæ jam diu malis exercita, inter tot Pacis anhela desideria, insidiosa suspendia, captiosas oblatas spes, & noxias elusiones, tandem nos internecioni exponit, citius alios, alios tardius, omnes verò hoc luctiosius, quo inermibus, & ab omni sociorum ope derelictis est intereundum. Solatur*

tamen nos causa nostra cum Christo *conjuncta, quæ quò magis laborare sub vi & fraude Satanæ videtur, hoc gloriosius emergit, & invictam se præstet; quem utinam sic corde ut ore: sic professione ut confeßione ex nostris partibus haberemus, & observaremus, nihil sanè adversi, nobis metuendum, nihil boni desperandum esset, sed deficit charta, & Studiis Vestris parcendum est. Valete* Illustrissimi Principes Domus Vestræ corona, *& favete*

Ill, C. C. C. V, V. V.

Clienti humillimo.

Ephoris & Doctoribus Vestris perofficiosam meam salutem valdè adscribo.

II.

Cum Duobus Principibus,

Pr. Pr. ANTHONIO ULRICO

&

FERDINANDO ALBERTO&c.

EPIST. CCCXIII.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

V*Eniam precor humillimè, quòd dum singulas Vobis debeam, conjunctis hisce me ad Vos expediam, cum Ecclesiæ officiis, tum aliorsum scribendis literis, impeditus. Nec verò, quod unius propemodum argumenti, utriusque Vestrûm Epistolæ fuere, satis me excusatum putarem, nisi temporis angustiæ ratio mihi vel invitißimo, habenda fuis-*

fuisset. Cæterùm quòd Illustrissime Princeps Dn. ANTHONI VLRICE *de* LVNA *imagini meæ suffixa, divinatus es, pace Tua dicam, non ad mentem meam, sed potius ex animi Tui propensione attigisti, non enim me illa notat, sed Te Tuosque, imò ipsam* Serenissimam Domum Guelphicam, *quæ dum augmentum sui, sinistris cornibus ostendit, omnia mihi dextra, felicia, & auspicata sub* Augusto lumine *pollicetur. Verius tamen, & propius* Selenianum *meum designat, ad quod jam munificentiæ* Serenifs. Dn. Patris Vestri *paratu, totus contendo,* Sufficit *illud meum, non tam verbis, quàm sarcinarum depositione, & vitæ tranquillioris usu, reipsa ostensurus. Nempe* Rudis meæ *Symbolum* LVNA GVELPHICA *erit, tantum Vobis omni donorum, bonorum genere accrescens, quantum mihi vitæ dies decrescunt; Tibi verò Illustrissime Princeps* FERDINANDE ALBERTE, *pro illa ad literarium porrò exercitium promptitudine hoc repono, non commissurum me, ut abs te provocatus, unquam detractem pugnam, quantum vis armis, viribus, & dexteritate inferior. Quòd etiam munuscula mea non levidensia, aliquo apud Vos esse loco censueritis, in ipsum magni muneris loco habeo, maximasque Vobis & immortales gratias ut debeo, ita solvo.* Christus SOL *noster, in quem intuemini, pleno Vos lumine respiciat, & impleat. Valete, augescite & favete*

Ill. Ill. C. C. V. V.

Stutg. 16. Februarii 1648. *Clienti humillimo.*

Epist. CCCXIV.

Illustrissimi ac Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

Satis diu cessatum opinor inter nos mutuis literis, cujus ne qua mihi culpa imputetur, rumpendum hoc silentium, & excitandos Vos mihi duxi. Ac Illustriss Dn. fratrem Rud. Augustum *jam peregrè abiisse, crediderim, cui secundum Iter, & auspicata omnia apprecor, Vos eodem foras exeundi desiderio teneri, non dubitaverim; Est enim ingenui & generosi animi, non uno semper loco concludi, sed in conspectum speciosæ hujus scenæ, maximè literariæ emitti velle, cujus opportunum & debitum tempus* Sereniss. Dn. Parens Vester *rectissimè prospiciet. Nunc verò paratu Vobis opus est, scil. iis instrumentis & ornamentis, quæ Vos capaces rerum visendarum, & idoneos agendarum reddant, quo utroque olim idem Pater Vester se planè admirabilem in* tribus *Germaniæ* Athenæis *præstitit. Nempe* Religionis *solidis fundamentis*: Artium linguarumque *peritia:* Iudicii *acumine*: Memoriæ *excellentiâ: insuper* Morum *elegantiâ, & modestiâ*; Conversationis *comitate, sed etiam ad quævis nobilia armorum, & equestria* exercitia *agilitate & docilitate, ut in bonæ mentis mercatu non tam comparare sibi velle, sed ipse adferre pretiosas merces, & ad invidiam exponere visus fuerit, cujus memoriam nulla ætas delebit, Vestra verò imitatio denuò lucidissimè accendet. Qui verò rectius annos adolescentiæ Vestræ impenderis, & curam Moderatorum, atque Informatorum Vestrorum felicius collocabitis, & expectationem Parentum uberius explebitis, & Germaniæ debitum liberalius exsolvetis, & Divinis in Vos collatis muneribus dignos*

gnos evidentius præstabitis, quàm si ad Paternū speculum, *domi compositi, foras aliquando planè & ad unguem similes prodeatis, & eundem plausum, quem ille tulit, mereamini. Faxit CHRISTVS, hoc me vivo contingat, novosque alterosque* Augustos *Europæ Orbis videat, audiat, stupeat, prædicet, ornet, & saluti publicæ adhibeat. Quàm Vobis tum animitus applaudam, quàm calidè gratulabor* rei Christianæ, *quàm ego in sinu gaudebo intimè, renasci in Vobis Guelphorum gloriam, & quæ in* Vnum Augustum *confluxit, famam in Vobis rejuvenescere. Vos eò fortunam Vestram, indolem, studia, vigilias, obsequia, & quæcunque cœlum donaria abundè Vobis contulit, alacriter conferte. DEVS verò generosis Vestris ausibus propitius adsit. Valete* Illustrissimi Principes, *immensum crescite, & quod facitis, favete*

Ill, Ill. C. C. V. V.

Calvæ 14. Iunii, 1648. *humillimo Clienti.*

EPIST. CCCXV.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

D*Ivi Iacobi Majoris solennia, & quæ iis accesserunt Ecclesiastici mei muneris, me arctarunt, ne ad disertiss. Vestras liberieri calamo responderem, cujus comperendinationem in octiduum à Vobis quâ possum animi observantiâ, sed & ne scribendis ad me literis unquam abstineatis peto, an pro incredibili Vestrâ facilitate planè mihi polliceor. Vicem ejus maximus debitor, quo potero*

potero studio, opere & officio, humillimè redditurus. Valete & favete. 26. Iulii 1648.

EPIST. CCCXVI.

S P.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

Q*Vò minus singulis literis, ad binas Vestras respondeam, cohibent me Ecclesiæ Patriæ negocia, quæ hoc temporis me quasi totum deposcunt. Est enim laudabili apud nos instituto receptum, ut quotannis* Synodus Ecclesiastica *coëat, quæ in* ministrorum Ecclesiæ, *quos* 634. *olim ager VVürtembergicus aluit, &* 113. *juventutis studiosæ* Informatorum, *ac* 330. *Theologiæ S.* alumnorum, *præter Ludimagistrorum in pagis incredibilem turbam, religionem, studia, mores & victum inquirat, & ne quid detrimenti res Ecclesiæ capiat, sedulò provideat. Constat ea præter* Consistorium, *quatuor* Superintendentibus Generalibus, *qui* 27. Specialium *annua per visitationem notata recensent, & quæ rectè facta probant, quæ secus sive à ministris, sive privatis sint commissa, pro re nata in judicium adducunt, & solicitè emendant. Debemus hoc institutum laudatissimo quondam Principi nostro* CHRISTOPHORO, *ut omnia quæ* VVürtembergiam *evexerunt*, altero *Patriæ suæ Terræ* fundatori, *& verè* Patri, *Ecclesiæ* nutritio, *Iustitiæ* Tribunali, *abundantiæ* promo-condo, *Germaniæ* ornamento. *Is Synodum hanc* alterum oculum suum *appellare solebat, quæ in intima quævis populi sui, & Præfectorum ejus penetraret, & ne qua vis aut fraus vel injuria Christo in*

ſto in ſuis fieret, conſilio & authoritate caveret. Et ſtetit ſanè res Chriſti, quantiſper hæc integritate ſuâ ſtetit, vellicata nonnunquam eâ, non parum labefactata eſt, Bellona potiſsimùm inſoleſcente. Huic ergò dum vacandum mihi eſt, veniam dabitis Optimi Principes, *ſi minus ad ſcribendum mihi ſit otii, cùm tamen nihil æquè libens faciam, quàm vobiſcum confabuler, quos ità mihi nuper deſcripſit Hipparchus veſter, nobilis à Lente, ut quos à dignitate, ingenio, & in me propenſione ſum quidem veneratus, nunc ob placidiſsimos & amœnos mores, agilitatem corporis, & cujusvis rei capaces, dociles que animos magis admirer, & colendos mihi in omnem vitam ducam. Accedunt inſuper Ephori Veſtri, nobilis Im-Hoffii egregiæ dotes, quæ in uſum & commoda Veſtra haud dubiè vertent, ut cum Ductorum Doctorumque veſtrorū fide & induſtria, veſtra docilitas & obſequium certatura videantur, in ſalutem publicam, veſtramque gloriam olim redundatura. Ab Incluto fratre* Dn. Rudolpho Auguſto, *aliquid literarum, vel ſaltem nuncii accipere valde deſidero, quem Aulæ ſtrepitu diſtendi, & à Studiis avocari, facilè crediderim. Sed rependet, opinor, cùm domum redierit, recitatione eorum, quæ foris notavit, ditando nobili ingenio ſuo idonea, cui D E V S propitius aſpiret, quæ vota mea & deſideria, ut cum humili ſalutatione mea ad ipſum literis veſtris (cùm mihi non liceat) deferatis, omni obſervantiâ oro. Valete* florentiſſimi Principes, *& favere pergite*

Ill. Celſ. V. V.

Stutg. 30. Auguſti,
1648. *Clienti humillimo.*

Ephoro, & Informatori Veſtris peroff. & amicam ſalutem adſcribo.

EPIST.

EPIST. CCCXVII.

S. P. C.

Illustrissimi & Celsissimi Principes, Domini longè clementissimi,

ITerum mihi venia petenda est, quòd rebus Ecclesiæ nondum planè confectis, ad scribendum accedam imparatior. Dandum tamen aliquid literarum fuit, ne in eximiam Vestram diligentiam injurius, & incredibilem animi erga me propensionem ingratus dici merear, etsi profectò pudet iisdem næniis Vos subinde obtundere, & elegantias Vestras inani verborum strepitu rependere. Ac jam quidem non Vos Fratres separabo, quos DEus, Sanguis, & Concordia conjunxit, cùm plusculum erit otii, suum cuique DEO propitio exolvam. Tuis primum desideriis, Generosissime Princeps, ANTHONI VLRICE, ut in lucem & publicum radios illustris genii aliquando mittas, eorumque splendorem & usum mihi quoque præsenti impertiaris, totumque animi tacitum affectum effundas, uti seriò faveo, ita auspicata ea reddi à supremo Numine, & Augusta, totus precor, ac videre eam diem gestio. Princeps noster IOH. FRIDERICVS (Natus 1637. 9. Sept. Argentinæ) jam in procinctu est, ut Tubingense Athenæum adeat, Comitibus Ludovico Berchtoldo Ephoro, & Magno Hesenthalero Informatore, Viris usu rerũ, & linguarum peritiâ conspicuis, à quibus posthac idem expectamus, quod jam in Te effectum & supra annos perfectum, non sine admiratione intuemur, quod Christus augeat, & ad Virtutis Guelphicæ apicem producat. Nunc quidem non nisi imaginem Tibi sisto, Generosi Baronis Iörgeri, Noribergæ quidem hospitantis, jam verò res suas apud nos agentis, Viri in omni scientiarum genere versa-

versatißimi, & artis pictoriæ (quam & ipse amas) supra communem sortem periti, cujus specimen egregium albo meo, manu suâ, contulit, vix ipsis artificibus imitabile. Is cùm Tua lineamenta & excellentes ausus apud me vidisset, plurimum iis est delectatus, & majora artis incrementa sibi de Te pollicitus.

Tibi verò florentißime Princeps FERDINANDE ALBERTE, *pro pio voto, quo* nuptialia *mea jam trigesies quinquies repetita* solennia *prosequeris, connubialemq; nostram perpetuò coronas, ingentes gratias ago, & ne obulus meus desit, en Viri fortißimi imaginem* Conradi VViderholti, *arcis Tuelæ defensione dudum, nunc cultus Divini liberali promotione, & in literas (quas ipse non imbibit) artesque propensione inusitatâ longè celebrioris, cujus intuitu, etsi per Te sanguinis instinctu, magis etiam ad Virtutis arduum iter, quod nulli fortunæ est inaccessum, Vestræ verò conditioni semper expeditius, prosequendum accendaris. Faxit propitius* Christus, *ut quanto genere, indole & conductu cæteris mortalibus præstatis* Tres incluti Fratres (*nam & Illustr. Pr.* RVDOLPHVM AVGVSTVM, *cui foris benè sit, vobiscum alloquor*) *tantò uberiores ejus fructus aliquando Ecclesiæ, Patriæ, literis, & bonis omnibus conferatis. Valete & favete*

Ill. C. C. V. V.

humillimo Clienti.

Nob. Dn. im Hof. Algaier Civis noster, quondam itineris Persici comes sui memoriam cum salute commendat. Ego itidem, ut & Informatori opt. Vestro perofficiosam salutem subscribo.

EPIST.

Epist. CCCXVIII.

S. P. C.

Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principes, Domini longè clementiſſimi,

NOlo ſilentium Veſtrum, meo rependere, ſed nec decet importunius calamum Veſtrum exigere. Sufficiat pauciſſimis lineis officium meum teſtari, & ne deſit Vobis quod reſpondeatis, materiam ſuggerere. Cùm itaque nuper in Apologum *incidiſſem, non alienum à temporis hujus noſtri hiſtoria, viſum eſt, eum communem Vobis facere, ut quæ me adhuc latent ejus myſteria, Veſtra applicatione, quæ mihi ſemper experta arguta & exactiſſima, pateant. Indagate, exenterate, prodite, quæ ſunt abdita, ingenia Veſtra exercete, acuite ſtilos, nihil facturi mihi acceptius. Valete florentiſſimè & favete*

Ill. Celſ. V. V.

Stutg. 27. Sept. 1648.

Clienti humillimo & devotiſſimo.

Salveant Ephorus & Informator.

Apologus
De Familiâ Rei Chriſtianæ.

RES *Chriſtiana* foris *Bellonæ* ſævientis intemperie graviter afflicta, cùm inſuper *Atheiſmi & Barbariei* nimis atrocibus terreretur, quæ domi ſibi ſuppetiæ & vires adverſum ſupereſſet, diſpiciendum, & penitius explorandum ſibi putavit. Inquiſitione igitur in familiam ſuam inſtituta *lumini gratiæ*, nam *naturæ* jam dudum caligabat, & *conſcientiæ*, ut domeſticos omnes & ſingulos ſuos penitiſſimè excute-

cuterent, id negotii dedit, diemq; censorium *Iohannis Bapt:* Conceptioni sacrum constituit. Primus omnium examinatus *domus claviger*, homo verborum multus, operum parcus, cum queis Heræ gazam depromeret & reconderet, proferre jussus esset, illam quidem in promptu habuit, hanc se per incuriam amisisse fassus est, inutile ratus, quæ omnium usibus jam sint publica & trita facta, arcta custodia, anxiaque claudere. Successit 2. *Sigilli custos*, arcani Heræ consilii conscius, magni supercilii nugator, quem fortè deprehensum obsignare chartas quas vocant blancas, & amanuensi *Dispensationi* vili pretio vendendas, committere, ipsaque domus arcana prodere, jam satis magnæ culpæ reum inquisitio habuit. Vocatus inde 3. *Comus*, de quo dudum familia omnis quam tenuiter aleret, & acerbissimis verbis flagellaret, conquesta erat, ipse Ventricosus, & immenso sinaso turgidus apparuit, vel corporis mole quæ vorago quod cujusque ministerio negaretur & subduceretur, interciperet & hauriret, fassus, & abire in triclinium jussus. De *domus Præfecto* 4. melior spes erat, forisq; vultum gravem fingebat, cætera totum corpus tinnulus. Cumque quid sinu gereret, excuteretur, aleæ erant, folia lusoria & id genus aliæ nugæ, quæ familiam potius dissolverent, quàm regerent & corrigerent, quid quod cum recutitis colludere videbatur indicio tabellarum usurariarum, quibus liciti census rationes corrumperent. Quod idem propemodum 5. in *Censore* deprehensum, quem verbis asperum minisque trucem, tamen cùm in rem ventum est, histrionem, ludionemque in fabulâ agere, apparuit, nihil minus quàm mores compositos disciplinæ re-

ctitu-

ctitudine exigentem. Ipſe etiam 6. juventutis *Pædagogus*, homo futilis & delirus, vah! quàm ſe in examine proſtituit, quo aſinus ad lyram habilior, bos ad choreas aptior, quàm ille ad inſtillandam veritatis ſcientiam, & formandum boni uſum, clamoſus, plagoſus, ſumtuoſus, cætera inter Veneris ancillas ſordidus, ſola dediſcenda docere ſuetus. Porrò 7. *Vigiles* domus, dies noctesque temulenti, & ob id lippi deprehenſi ſunt, hi quid procul proſpiciant, qui cominùs tacti non ſentiunt, quid rectè provideant, quos vino ſepultos nulla cura tangit, conjectu facile eſt. Sed nec Sacrum Spiritum nec bonam mentem, nec rectam rationem hæc olida vaſa inhabitare credibile eſt. Ventum inde 8. ad *actuarium*, cujus munus Heræ dicta actaque notare, tum acceptorum & expenſarum rationes conficere, ac in faſtos referre ad poſteritatem transmittendos, at is factus ſuavis adulator, fabulator inſignis, detractor lividus, captator auræ, ſummatim nugivendulus, in rationibus verò reddendis planè lubricus & futilis, ut qui nec lucra nec damna Heræ ſciret, vel diſcerneret, vel ea per fraudem diſſimularet, minora majoraque arbitratu ſuo faceret. Hinc 9. *Cenſus* quidem collectus, & caveæ incluſus, ſed ita clatratæ, ut vel ſponte diffflueret, vel corripi à prætereuntibus poſſet, nemini verò minus, quàm quibus jure meritoque deberetur, cederet, ſupinos & adipe plenos potiſſimum ſaginaret, vix unquam in fundum felicis ſegetis projiceretur victus Supererat 10. *Lex* verna victus & elumbis, familiæ ludibriū, qui veteris mundi fabulas ſine novo exemplo narraret, & quoties commiſſa culparet, vapularet, pannoſum hunc & annoſum miſereri potius erat, quàm

quàm censere, cùm ei ad nova subinde imperia aliud obsequium subeundum, vultusque & vox sumenda alia ad momenta fuerint. Cætera II. familiæ turba, quid nisi pecora, & uno verbo *Davus* ignavus erat, strepitu quàm operæ pretio, voce quàm labore valens, hinc rixæ, inde collusiones, hinc furta, inde delationes, hinc torpor, inde aѐtuositas, hinc fames, inde vomitus, hinc pactum, inde proditio, & hujusmodi dissona, quæ ejectis domo *cruce Christi, subactione rationis, cohercitione carnis & fræno linguæ*, non pessum dedisse œconomiam, ipsasque cum Herâ ædes non dudum evertisse & subruisse miraculo propius est. Hæc talia cùm cognovissent inquisitores, & ad Heram bonâ fide retulissent, parum abfuit, quin deliquium passa animam exhalarit. Vbi verò aromatibus refecta, ad se paululum rediit, in lachrymas & planctus soluta, consilii & rei inops, ad DEI *Sapientiam & Misericordiam* confugit, domusque suæ quà foris insultus, quà intus angustias, totas exposuit, totas concredidit, totasque corrigendas & immutandas subjecit, ut quæ hâc tali familia omniū esset miserrima, & certo exitio exposita, sive hac immutata, sive cum alia commutata, opulenta rerum, præsidiis firma, concentu tranquilla, moribus conspicua, ingenio felix, justitia probata, religione sancta, omnium fortunatissima & tutissima in terris redderetur.

EPIST.

EPIST. CCCXIX.

S. P. C.

Illuſtriſsimi Principes, Domini longè clementiſſimi,

DVlce PACIS *nomen, poſt tot heu nimis fallacia intervalla, tot gaudia fugacia & volucria: nunc ubique inclamatur, & deteſtabilis ſit, qui non ſuum quoq; plauſum addat, tanto muneri, cui æſtimando omnis humana cogitatio impar eſt, celebrando os omne infans & hebes, unicum enim Pacis nomen, verbo complectitur, quicquid pulchrum & optabile eſt in beneficiis temporariis. At quàm vereor ne Pacem ad nos redeuntem minus dignis excipiamus modis; habeamus rationibus; teneamus mediis, ſolidam & conſtantem, potiusque ad malorum noſtrorum veteres ſcopulos impingamus. Nam* 1. *ſi* Religionis *cauſa (ut publicè quidem jactatur) agitur, memini in ſumma olim altaq; Pace, eam maximè fuiſſe ſtudiis attritam, ſenſibus depravatam, ſectisq; ſciſſam, dehinc in oſtentationem ingenii converſam, velandis moribus aptatam, & excitandis turbis adhibitam, cujus ſcintillæ ſub cineribus hactenus latentes & gliſcentes, neſcio annon paulò poſt in* chartaceum bellum *inteſtinum & internecinum ſint erupturæ. Sin* 2. bona Eccleſiæ *(ut quidem prætenditur) in Miniſterii alimentum, & juventutis ſubſidium pauperumq; uſum vindicanda ſunt, optandum ſanè eſt, manus poſthac continentiores quàm pridem experiamur, ubi* Chriſti *peculium,* Papæ *libidini & voragini ereptum,* mutatis *tantùm* harpiis *ceſſit, quibus debebatur, eos tenuiter aluit & malignè fovit. At* 3. literis, artibusq; liberalibus *fomentum ſedesque quærimus, quibus Bellona exilium paſſim indixerat. Quid verò illi*

jam

jam olim illiteratius, & illiberalius, quid prophanius & à Christo alienius, quid deformius, & Penalismi *monstro maculatius & contaminatius fuit, ut sub loligine seges Christiana suffocationi proxima fuerit. Sed* 4. libertas Germana *restituenda fuit! Illa ne, quæ sine Rege, sine lege, sine formâ, sine normâ, sine amore, more, re, & ad cujusvis* arbitrium & libidinem *populum oppressit? Saltem* 5. Oeconomia, *& suum cuique, quod in bello ut alienum, & primi invadentis salvum posthac sit, ita nempe salvum, ut alienum nusquam sit tutum, crux Christi aliena, cultus DEI supinus, opus operatum summa religionis, scilicet micat impietas togata, superbia armata, egestas tentata, audacia contermina, & dementia domestica, quorum flagris expulsa quondam Pax alma, vix erit ut dehinc iis commodè cohabitet.* Orandus *igitur nobis DEVS,* hanc *prius* mentem *supremo munere concedat, quàm* vitia *non ut ante decolorent;* crimina *non infament;* invidia *non timet;* hostes *non convellant; sed* pietas virtusq; *condecorent, cui* Pax *assistat* perpetua, *pax cultrix sanctitatis genetrix bonæ posteritatis reddatq; urbes decori, agros culturæ, convulsas familias integritati, leges suæ vi, magistratus authoritati, sanctitati, liberos pietati, famulos fidei, universos cultui DEI, cujus clementia addat, quod humana infirmitas non præstat. Ita nobis commodo, sociis præsidio, hostibus terrori, omnibus verò admirationi iterum erimus, & placato DEO, pacati ipsi inter nos, pacificique erimus, & filii DEI vocabimur. Hæc mihi ad Tuas Illustrißime Princeps* ANTHONI VLRICE, *de meo* somnio, *conjecturas* 10. *hujus scriptas in mentem venerunt, quæ si lætior eventus, & Pacis optatæ fructus feliciores dispellant & refellant, beatus ero, nec vereor trepidantiam meam senilem fate-*

ri, inque gratulari, quibus uti frui, tam felicibus temporibus, & aureo seculo contigerit. Quòd vero Tu Illustr. Princeps FERDINANDE ALBERTE, *de Barone* Iörgero, *Viro ingeniosissimo juxta & generosissimo exquiris, sic habet, non imaginem ipsius, à suâ manu, sed aliud specimen excellentis artis albo meo insertum esse, quod cum quovis artifice certare, palmamque ferre haud dubio possit. Hipparchum Vestrum* Lente, *salvum ad Vos rediisse gaudeo, & ne promissis* stet lentè *monitum velim. Salveat cum Ephoro Vestro Imhofio, & informatore Saxo, quos observo & amo. Valete* incluti Principes, *& Pacem ad nos reversam amplectimini, ornate, tuemini.* Christus *Vos augeat, & servet.*

Ill. Cels. V. V.

Cliens humillimus

Illustriss. Dn. Fratri Rudolpho Augusto *cùm occasio erit, preces & hum. obsequium meum deferri, precor.* Stutg. 25. *Octob.* 1648.

III.

Cum Pr. RVDOLPHO AVGVSTO

Epist. CCCXX.

Illustrissime & Celsissime Princeps Domine longè clementissime,

Quod desiderare scribendi officium meum videris, etsi probare id apud non iniquos judices idoneis testimoniis facilè possem, malo tamen infrequentiam literarum mearum abs Te, quàm importunitatis accusari, quod illud eximii Tui

n

ne affectus luculentum sit indicium, hoc ab omni porrò literario commercio, fatigationis Tuæ & nauseæ metu, absterrere posset. Dedi *ad* Celsit. T. *superiori anno* triginta quinque *epistolas, aliquas satis loquaces, ne nugaces ipse fatear, quas* XXII. Tuis *rependisti, ubere profectò proventu, si ex dignitate Tuâ æstimem, quo etiam nomine immortales Tibi gratias ago, & in hunc annum parem Tuam facilitatem mihi enixè, & quâ possum observantiâ expeto, quod idem oratos* Inclutum par fratrum Tuorum, *Dominos meos clementissimos, quantum ipsis graviora studia permiserint, maximoperè velim.* Bellonam *invisam nobis tot annis, durissimamque hospitem, ad Vos quoque jam divertisse, iniquissimè fero; Neque enim cum iis sentio, qui ex* societate malorum levamen capiunt, *quin magis affligor, ubi diduci mala nostra, & per oras Germaniæ diffundi video, ut remedio hoc minus sit locus. Erit autem opinor Vobis stimulus, ut pari affectu, nobiscum, animique contentione,* Pacis *impetrandæ rationes ineatis, & difficiliores ejus conditiones æquiore animo admittatis, sed quâ de re prudentiores, & quorum hæc cura est, viderint. Sanè Historia olim testabitur, & detestabitur posteritas, per quos steterit, quòd hoc tanto tempore Pax minimè coaluerit, tantumque sanguinis innoxii sit effusum. Nos* precibus *instemus, ac si nulla etiam nos pax revisat alia, eam complectamur, quæ nos Deo uniat, & in conscientiæ tranquillitatem reponat.*

Quod verò SVFFICIT meum *non improbas, ab affectu Tuo est, eoque indulgentissimo. Mihi tamen hæc rerum* satietas, *ad colligendas sarcinas meas, instituendumque rectius* Mortis *iter, multum conducit, viamque carnis universæ expeditiorem reddit. Tibi verò in virtutis, felicitatisque procursu Christus propitius adsit, & hunc*

Tibi præsentem annum adoreis memorabilem reddat. Lentium, *Equili Vestro nuper præfectum, veterem amicum meum, à fide probatum, velim Tibi esse charum, quem salvere jubeo.* *Vale* florentissime Princeps, *cum* Illustrissimâ Fratrum Bigâ, *& fave*

Ill. Celſ. Tuæ

5. Ianuarii Anno 1648. *Clienti humillimo.*

Ephoris & Informatoribus Vestris cum voto felicitatis, salutem perofficiosam adscribo.

Epist. CCCXXI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

QVantâ me lætitiâ affecerint literæ Tuæ, in quibus de fèlici *Novi Anni* auspicio, nobis gratularis, exponere satis ferè non possum. Etenim cùm in tam clarorum & candidorum Virorum sis censu, haud ignoro, quo in loco ista Tua gratulatio sit habenda. Proinde pro tanto Tuo in totam Inclytam *domum nostram* amore, quem satis etiam hac in parte ostendisti, gratias Tibi ago maximas. Deus huic Tuo voto pondus inesse clementer jubeat, omnesque nostras actiones ad sui nominis gloriam & multorum salutem dirigat. Te quoque cœlestis favoris aura in *grandæva* Tua *senectâ* ubique reficiat precor, & corporis ac animi incolumitatem Tibi clementissimè largiatur. Quod reliquum est, rogo, ut hunc erga nos animum semper tenere velis, me non memo-

memorem tantùm, verum etiam gratum fore, Tibi promitto. Vale. *Guelpherb.* 11. Ianuarii, Anno 1648.

Rev. Tuæ Dignit.

Obſervantiſs.

Epist. CCCXXII.

Admodum Reverende & Clariſſime Domine Doctor,

TVæ de 5. Ianuar. *novi* hujus *anni* rectè mihi ſunt traditæ. Pro iterato benevolo Tuo voto gratias ago maximas. Non eſt, quod pro meis ad Te *ſuperiore anno* datis literis tam magnas agas gratias. Ego potius Tuas ſapientiorem me ſemper reddentes, non propo ſolùm, & exoſculor, ſed earum frequentiam deſidero maximè. Et volo, ut velle debeo, Te intelligere, & ſic de me ſtatuere, ſcriptionis Tuum exercitium mihi eſſe gratiſſimum, etiamſi tardis aliquando, vel per valetudinem, vel alia impedimenta Tuis reſpondere haud valeam. Vt igitur ſuperiore, ita & hoc anno, in eodem benevolentiæ teſtandæ officio pergas, rogo. *Pacis* negotium, maximo cum Reip. noſtræ detrimento ita protrahi, dolendum, & deplorandum ſanè eſt. Si Deus nobis propitius eſſet, & ii, quibus ſalus Germaniæ cordi & curæ eſſe deberet, amore patriæ & concordiæ de ſuo jure, ſi quod haberet putarent, nonnihil cederent, quod ipſum non tantùm utile, ſed ſummè interdum neceſſarium eſt, non laboraremus. Vtinam obſervaretur unicum illud *Scipionis* dicentis, *ſe malle unum civem ſervare, quàm mille hoſtes occide-*

tidere. Verum *non est malum* (pœnæ sc.) *in civitate, quod non facit Dominus*, à quo uti propter peccata nostra hæc permittuntur, ita æquo animo & patienter à nobis sunt perferenda. Exorandus autem est *DEUS ter Opt. Max.* per veram pœnitentiam, ut nobis sit propitius, nostris consiliis adsistat, atque in nominis sui gloriam dirigat, & omne malum tandem à nobis averruntet. De cætero vale & fave

R. T. D.

Dab. *Guelpherb.* 25. Ianuarii 1648.

Observantissimo

Epist. CCCXXIII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

QVòd mihi elegante *Emblemate*, cujus nomine maximæ debentur Tibi gratiæ. Sereniss. *Dn. meum Parentem* exempli loco imitandum proponere volueris, exinde constantem animi Tui in me, nostramq; domum affectionem iterum intellexi. Cur enim aliunde exempla petam, istum ipsum Principem, in quo *Principe digna* insunt, quotidie intuens, neque quidquam ab hoc diversum. Hic igitur meritò mihi intuendus est, hic imitandus, hic ex: & imprimendus ad vivum & hâc meâ adolescentiâ & quoad vivam. Quod me facturum perpetuò, Tibi certè persuadeas velim. Vale. Dabam *Guelpherb.* 8. Februarii Anno 1648.

R. D. T.

Observantissimus

Epist. CCCXXIV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

B*Inas Tuas, quo nomine geminas debeo, & maximas gratias, uno propemodum tempore accepi, sed adeò contractò, ut respondere minimè licuerit. Bellonæ rationibus maximè irrationabilibus, omnes ordinis rationes turbantibus & evertentibus.* *Interea* Symbolorum, *quæ* Serenifs. Dn. Patris V. *mandato, Vobis destinavi, explicationem. cum voto auspicatioris* anni, *ad Vos misi: felicem me, si animi Vestri sensa sim assecutus, ut admittenda posthâc in memoriæ tesseram ea censeatis. Generosum verò institutum Tuum, quo* Virtutum Paternarum onus, pondusq; *subire maximum, in Te recipis, valde laudo, quod ut felicitet, omnibusque numeris absolvat, Christum precor. Faciunt autem prosperi successus mihi fidem, bona omina quæ ex jam factis & jam probatis nobis attentè imitationis Tuæ gressibus & progressibus concipio, quos nunquam sisti, nunquam retroagi D E V S sinat, semper urgendo promoveat. De Tuo verò in me amore, de me judicio, pro me curâ, quid citra pudorem dicam? Te Illustrißimum Principem, tali loco natum, hisque dotatum cœli beneficiis, tantillum hominem usque eò attollere? Sed referam hoc omne, ut debeo, ad Christum meum, quem in minimo Servulorum suorum veneraris, ab eo vicißim inter maximos benefactorum suorum reponendus. Nam & hoc ab* Incluto Patre *hæreditarium habes, ut quæ Mundus maximè despicit, Tu æstimes; quæ abjicit, suscipias; quæ persequitur, tuearis; quæq; exuit recuiis suis, fovenda & alenda Tibi censeas, & ad limina atrii Dei stare, quàm celsa impiorum pala-*

tia inhabitare gloriosum magis & beatum reputes. Sed & munuscula *mea longè benignius suscepisti, indigna sanè sublimi conditione Tua, nisi me incredibilis Tua comitas, fidentiorem dudum fecisset. Vis autem & in iis amplius institui, quod equidem lubens facerem, nisi me jamdudum quos habui Discipuli, à libris* Mathematicis *exarmassent. Itaque conducendos Tibi Magistros & ingeniosum illum* Suenterum, *vel Collectorem* Hulsium *suaserim, qui abundè huic honesto Tuo desiderio satisfacient. Vtinam verò mihi aliquando contingat* Te coram *habere, sive elegantias hasce, quibus in re literariâ nihil est amœnius, jucundiusque percipientem, sive jam in iis laudabiliter progressum, quàm sit mihi futurum sepositas has speculationes, in memoriam revocare voluptati, atque recreationi? Sed desino; & loquaces literas voto finio, ut quantò ego sum gratiâ Tuâ & favore inferior: tantò incrementa fortunæ tuæ fiant expectationi meæ quantumvis maximæ* MAIORA, SVPERIORA, *atque* GLORIOSIORA. *Vale* Inclute Princeps *& fave*

Illustr. Cel. Tuæ

Stutg. 9. Februarii, 1648.

Clienti humillimo.

PaCis LaCtaVIt *qVæ* MVL*tos haCtenVs annos,*
Spes eXhInC VoVeo nos reCreare noVo.

HErr ChrIst VerLeIhe DIeses Iahr/
ALLs gVts VnD nVzLIChs / bhVt fVr G'fahr/
TreIb fern hInVVeg aLL KrIeges sChaar.

EPIST.

Epist. CCCXXV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

ETsi ex ipsis *Schematibus* nuper transmissis, de mente tua mihi satis constare poterat, multò tamen rectius eam Tuæ me docuerunt literæ. Quo etiam nomine mihi sunt gratiores. Maximas autem Tibi ago gratias pro promptissimo Tuo in excogitandis *Symbolis nostris* obsequio. Etenim & ob ingeniosam inventionem, & convenientem cohærentiam maximoperè mihi arrident. Nam quid quæso honestius, quàm ad celebratissimas *Parentum* Virtutes, quàm proximè accedere? Quid magis necessarium, quàm ad omnia *attendendo*, ex presentibus prudentum actionibus de propriis & futuris consilium petere? Siquidem *non minor est virtus*, ut cum Poëtâ loquar, *quàm quærere parta tueri?* Quid dignius, quidve utilius? quàm Ingenii fœtus diligenter excolendo famam *protendere?* Quid deniq; laudabilius, quàm *Avitum nomen fortibus extendere factis?* Huc accedit, quod ad mutuum CONCORDIÆ vinculum, haud obscurè respicere, nosque admonere videris, quo sanè nihil potest esse exoptabilius? Quandoquidem *Concordiâ*, secundùm illud Sallustii, *res parvæ crescunt, discordiâ autem maximæ dilabuntur.* Quod superest, ex intimo cordis scriniolo DEVM supplex oro, ut Tuo voto pondus inesse, omnesque nostras actiones ad sui nominis gloriam, multorũ salutem, atq; Inclutæ *Domûs nostræ* stabilimentũ dirigere dignetur. Vale. *Guelpherb.* 15. Februar. 1648.

R. T. D. Observantiss.

Epist. CCCXXVI.

Illuſtriſſime & Celſiſſime Princeps,

Domine longè clementiſſime,

Video Te ad hujus etiam anni literarium exercitium generoſiſſimo animo accinctũ, id quod, quàm ſit mihi longè gratiſſimum, explicare nequeo. Etſi enim mihi obſervari animo poſſet, quantum & Stili nitore, & materiæ elegantiâ Te ſim inferior, tamen dum gloriæ Tuæ, & ſtudiorum incrementis accedat, famæ, hanc meam jacturam libenter patior, quam gratiæ Tuæ pretio abundè rependis. At quàm nuperis Tuis ex animi mei ſenſu Pacis deſideratiſſimæ *procraſtinationem, injectasque alias atque alias remoras, tricesque deploras, eisque ſuccenſes, qui* gloriam ſuam *tot provinciarum excidio:* opes, *tot animarum internecione:* finium prolationem, *tantâ vicinorum injuriâ:* beneficii precium *tantâ innocentis ſanguinis profuſione:* libertatis ſimulacrum *tam dirâ alterius jugi impoſitione:* Religionis cauſam, *tantâ veræ religionis jacturâ & exitio ſectantur, & poſteritati ſe execrabiles reddunt. Sed omninò Dei nos, noſtraque averſantis indignatione permitti, credendum eſt, qui inter cumulata aggravataque mala noſtra, magis magisque indureſcimus, tantum abeſt, corda emolliti ad eum, à quo receſſimus, redeamus, & verâ pœnitentiâ, ſeriâq; morum emendatione placatum nobis reddamus. Vos utcunque levatos, majorique periculo exemptos eſſe ex animo lætor, & ut diuturna ſit, perpetuaque incolumitas, toto pectore precor. Sed maximè, ut ſalva ſit* Domus Tua incluta: *ſalvus ſis ipſe* Illuſtriſſime Princeps, *& ut natus, datusque bono rei Chriſtianæ, ita quàm diutiſſimè ſuperſtes. Vale & fove* Ill, Celſ. Tuæ

Stutg 16, Febr, 1648, *Clientem humill.*

EPIST.

EPIST. CCCXXVII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

EMblema, *quod nuper ad Te misi, ex Tuo sensu fuisse, & Serenissimi Dn. Patris Tui approbationem invenisse, est, quod mihi plurimum gratuler, & in magna felicitatis parte ducam. Nec enim majus tenuis opellæ pretium, vel Vos dare potuissetis, vel ego mereri, quàm* Symboli *hujus* tesseram, *quæ aliquo apud Vos loco meo fuisse, in Memoriæ Templo testetur, clementer suscepisse. Pro eo verò, quod ad imitationem* optimi, maximique Patris, *Te totum componis, multum Te æstimo, & ut auspice id CHRISTO, facias, & perficias, ex animo precor, quantum enim inter* præcepta *virtutis, &* actus *ipsius interest, tantum molis Tibi incumbere putato, ut* Patris laudatissimi *actiones, non tam tonatu quàm opere ipso exprimas, ac quod nec ipse quidem Pater invideat, superes, quod nisi divino munere, nunquam impetraveris. Proinde ad ipsum Patris exemplum,* Pietate *Tibi, quæ in illo primaria virtus est, primo loco opus erit, ut propitio Numine* reliqua omnia, *quæ ad maximã laudem faciant, obtineas. Hoc ego, perpetuis precibus, propitium Tibi conciliabo, quas pro Ecclesiæ suæ & salutis publicæ usu, nunquam irritas sum expertus. Mihi verò, gloriosum putabo, aliquo Te charactere insigniisse, non minus quàm olim famosissimus ille Eques* Petrus Terrailius Bajardus, *quem unum* FRANCISCVS I. *Rex Galliarum dignum judicavit, à quo Ordinis Equestris ornamenta, & insignia acciperet. Felix futurus, si Te aliquando non tam felicem alieni exempli* imitatorem, *quàm ipsum posteritatis* exemplum perfectũ *intuear.*

Interea operi maximo, & laudatiſſimo feliciter A. T T E N D E. *Vale & fave*

Ill. Celſ. T.

Stutg. 23. Februarii, 1648.

humillimo Clienti,

EPIST. CCCXXVIII.

Admodum Reverende & Clariſſime Domine Doctor,

LIteras meas non ita pridem transmiſſas, Tibi gratas fuiſſe gaudeo; Etenim eruditis placuiſſe Viris, ego ſemper non ultimam duxi laudem. Quò itaque jucundiores Tuæ nuperrimæ mihi fuerunt, eò ad reſpondendum ad eas fui promptior. Primùm autem Epiſtolæ Tuæ caput tacitum me relinquere poſſe autumo, quia quantâ lætitiâ, *Symbola* à Te excogitata, me cumulaverint, ſuperiores, & jam procul dubio redditæ literæ meæ Te ſatis ſuperque docere potuerunt. Pro meâ verò erga Te benevolentiâ non eſt, quòd tam prolixè agas gratias. Quandoquidem & ex *Sereniſſimo Patre* & ex Sapientum Virorum ſcriptis, Viros de bono publico benè meritos admirandos & colendos eſſe didici. Tuis inſuper multimodis in familiam noſtram ſtudiis & officiis, ne ex parte quidem reſpondere, piaculum putavi. Quòd *præſentem me* deſideras, ſcias velim, me dudum quidem tam benignam mihi optaſſe fortunam, per quam è ſede patriâ evecto mihi coràm Tecum agere liceret: verùm tempori hactenus ſerviendum fuit; Quare, ut omnium Moderator DEVS ſincero Tuo voto clementer annuat, & tot

votis

votis expetitam *pacem* nobis tandem largiatur, animitus precor. Hisce vale & fave

R. T. D.

Guelpherb. 29. Februarii,
Anno 1648. Observantissimo.

EPIST. CCCXXIX.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

QVantum *Tuæ Celsitudini pro eâ facilitate, quâ* Symboli *alicujus suggestionem, ejusque explicationem admisisti, debeam, jam ante octiduum sum ingenuè testatus, nec repetendum duco, ne vel adulari Tibi, vel ipse mihi blandiri videar.* Christus *propitius auspiciis Tuis adsit, votaq; pro Te mea impleat. Quas ad Magni quondam* Hafenrefferi *sanctæ mihi memoriæ, nepotem dedisti literas, rectè curavi. Vtinam quàm nomine, tam re ipsa* Avum *referat, de quo tamen utpote non nisi à facie mihi noto non est meum pronunciare. In illo verò omnia summa fuerunt, pietas, eruditio, candor, temperantia, & eximia quæque in Theologo ornamenta, quæ coram vidisse, & domesticâ consuetudine animo infixisse sæpè mihi sum gratulatus, doluique contra in aliis ejusdem ordinis longè dissimilia experiri, quapropter me* Viri *de me* præclarè meriti, *familiæ libenter obnoxium profiteor, ut qui* patris mei *collega olim, & conjunctissimus amicus, quæcunque se accepisse agnovit, mihi ubertim rependit, cui jam ante hoc debebam, atque plurimum, quòd* lustrico fonte *ipsius ministerio sum ablutus. Sed frugi sit, oportet, Nepos, Vestrisque rebus idoneus, id quod polliceri, nedum præstare, meum non est. De* pace *quid nobis sit*

expectandum, anxiè hæremus, nedum prædæ sumus undiquaque expositi, serò nimis illius nobis contingat beneficium. In pacis ergò Authorem ipsum recumbentes, ad obsequium compositi vel totius bujus machinæ ruinam erectis capitibus operiamur. Salvum verò Te Princeps Inclute, *Christus præstet, in quo vale & save*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 1. Martii,
1648. *humillimo Clienti,*

Epist. CCCXXX.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Parcior *esse scribendis literis inter conglomeratos labores possum, postquam proximis diebus fui prodigalior. Occupat autem nos totos,* Homo *quidam* [Ioh. Keyl Gärlingensis] apparitionem Angelicam *audacter jactans, etsi cum Sacris Literis parum convenientem, plurimorum tamen sententias in partes distrahentem. Nos in veritate facti indaganda adhucdum versamur, quæ* vacillare *videtur. Illud* plausibile *est, quòd* pœnitentiam *seriam, morumque emendationem urget, quam ipsa malorum moles, sævaque cervicibus imminens tempestas, imperare posset, nisi occalluissemus. Accedunt varia* prodigia, *& proximæ cladis* omina, *quæ nunquam impunè visa sunt, & nostri excidii anteambulones fuisse tristes, meminimus. At nobis interea hoc animo sedet,* probandos Spiritus, an ex Deo sint, *atque ad Lydium Verbi Lapidem, cum Satan in lucis Angelum transformatus fallat, & vel vera dicendo mentiatur, bonoque jubendo nequiter agat,* præ-

præstatq; ad Gamalielis consilium moram aliquam judicio nostro interponere; Si quid certius experti fuerimus, faciam ex me scias, Vale Celsissime Princeps, *& fove*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 9. Martii,
1648. *Clientem humillimum.*

EPIST. CCCXXXI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

V*Ideo nos idem subinde agere, Me quidem maxima quæq; & optima mihi de Te polliceri: Te eorum fidem præclaris argumentis, & liberalibus sponsionibus mihi facere. Vtrique faveat Christus, & bono publico vertat. Nunc verò* pacis *expectatione & desiderio, quasi in carcere detenti, ea nobis paremus tanquam in otio & sub tegmine instrumenta, quæ in lucem hominum & ad actus producta, non tam usui, quàm laudi & ornamento apud quoscunq; esse queant. Quò haud dubio* Serenissimi Dn. Patris *incredibilis prudentia collimat, quæ Te diutius apud se detentum, iis artibus domi instruit, quibus foris aliquando reliquos æqualium Tuorum antecellere, & admirationi omnibus esse (quod familiæ Tuæ proprium) possis. Feres ergò eò patientius aliquam adhuc moram, quò majore fœnore, paulò post emissus, ac utinam nobis hîc locorum concessus, rem literariam beabis. Ego interea pro valetudine Tua, flore ingenii & vigore animi assiduus apud Deum intercessor ero, felix futurus, si quæ absens lætus audio salutis Tuæ nuncia, coràm aliquando intuear, ejusque fructus capiam. Annuat Christus, qui Te augeat,*

geat, sospitet, & servet; *Vale cum* Illustrissimis fratribus, *quibus eadem precor, & fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 25. Martii, 1648.

Clienti humillimo.

Epist. CCCXXXII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

T*Ernæ*, Tuæ *literæ*, quibus hactenus aliis distentus respondere non potui, variis modis me affecerunt, benevolentiam Tuam constantem in universam nostram familiam abundè docentes. Non autem est, quòd pro benevolo meo in Te animo, tam prolixè gratias agas. Quandoquidem & ex Sereniss. *Dn. Parente* & ex Sapientum Virorū scriptis, Viros de bono publico meritos admirandos & colendos esse, satis superque didici. Multum discriminis esse inter *actus & præcepta Virtutis*, & non in his, sed in ejus actione, hominis felicitatem consistere, unà cum sanioribus Philosophis meritò tecum sentio, & ut Poëta canit:

- - - *famam extendere factis*
Hoc denique est virtutis opus.

Præcepta igitur virtutis Sereniss. *Dn. Parentem* imitando, *factis* meis ut exprimam, elaborabo, cum DEO, sedulò. De *apparitionib*[illegible] *gelicis*, quam foves sententiam, appr[illegible] enim cuilibet Spiritui credendum [illegible] tan, ceu mille artifex se in Ang[illegible] transformare queat, ut si non direc[illegible], tamen per obliquum hominibus imponat: ejusmodi

appa-

apparitiones etiam authoritati & ſufficientiæ S. Scripturæ multum hodie derogare jam non dicam. *Prodigia* tamen, tanquam ob peccata noſtra imminentis mali indicia & irati DEI ſigna, haud contemnenda eſſe puto. Rogandus eſt *DEVS ter Opt. Max.* ut omne malum tandem à *Germaniâ* noſtrâ averruncet, nosq; *almâ pace*, cujus *ſpes* affulget maxima, aliquando beet, ipſique in tranquillitate ſervire poſſimus. Vale. *Guelpherb.* 28. Martii, Anno 1648.

R. T. D.

Obſervantiſſimus.

Nous boiſons les mains a Mesdames les Princeſſes de VVirtemberg, principalement les Dames nos Socurs, ſe recommendent à leles, ne ſouhaitant plus, que d'avoir l'honneur, de leur eſtre cognues par ſes ſervices. A Dieu.

EPIST. CCCXXXIII.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps, Domine longè clementiſſime,

PAſchalibus feriis *defunctus*, *ſeceſſi in* Selenianum *meum*, *ubi dum* diem natalem Serenifs. Dn. PATRIS TVI ſeptuageſimum, *cum amicis ſelectiſſimis lætus ago, Tuæ accedunt teſtes, non ingratas fuiſſe ternas meas priores literas, quo nomine felicitati Tuæ plurimum debeo. Interea fabula* Keyliana, *propemodum tota denudata, in* ludibrium *abiit. Nam cùm homo ſubinde exploratus, parum ſibi conſtaret, conjectus in carcerem, & minis territus, vatillare cepit,*

pit, tandemque piam, *quam sit commentus* fraudem *quasi fateri & deprecari, nondum tamen omnem Imposturæ ordinem explicare, qui per quæstionem* extorquendus *jam videtur, cùm aliam post aliam præstigii telam, Vir minimè simplex, texerit. Dici non potest, quot, quibusque* Viris, *nedum* Mulieribus fucum *fecerit, quorum in utramque partem digladiationes in* risum *publicum, &* ruborem *intimum haud dubiò abibunt. Id* unum *verò mihi dolet,* Satanæ *paratum hinc esse* lusum, *ubi &* pœnitentiæ *tam necessariæ illudat, &* dissolutionem *morum,* Paci rediture *unicè obstantem provehat, quo nobis nihil est nocentius.* Verbo *quidem* Divino *nihil est ad curandam salutem nostram certius,* apparitionibus *verò nihil lubricius. Nemo tamen saniorum Theologorum* Angelicum ministerium, *si ita DEO videatur, in commodum nostrum, hodiernum penitus exclusit. Dieu soit loue, qui nous a baillé ses Saincts Anges pour tuteurs & gardiens, a fin que de pensees plus paisibles nous facions nostre devoir en la vocation á laquelle nous sommes appelles de lui. Quo finio, salutemque Tibi cùm* Illustriss. Dn. Dn. Fratribus *communem Domui Vestræ faustam & propitiam toto animo apprecor. Vale & fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 11. Aprilis, 1648.

Clienti humillimo.

EPIST. CCCXXXIV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

PIæ Tuæ de *Servatoris nostri Iesu Christi passione* valde nos delectarunt, quippe illius recordatione & continuâ ruminatione sive ad solidandam *fidem*, sive efformandam *vitam* nostram nihil certius & expeditius esse tecum consentimus. *Tuam de me expectationem* magis magisque *confirmari* gaudeo, quam ut ne fallam, sedulò elaborabo, & licèt Inclyt. *Dn. Parentem* meum ad vivum exprimere, & omnibus lineamentis repræsentare non possim, summis tamen viribus annitar, ut ejus aliquam imaginem adumbrem. Turpe quidem foret, *Summum talem Parentem* non imitari, & expectationi tot Bonorum non satisfacere. Mihi itaque gratulor, meque ex tanto Parente esse natum, regieq; educatum, & eundem quotidie, ut *vivum* virtutis *exemplar* ad imitandum conspicere, felicem prædico, & quicquid de me imposterum curari velit, ipsius Celsi. prudentiæ & paternæ dispositioni meritò committo, Eidemque me submissè subjicio. *DEUM ter Opt. Max.* interim enixè rogans, Illustrissimum *Dn. Parentem* diutissimè incolumem superesse & servare, Tuaq; vota fortunare velit. Vale. *Guelph.* 18. Aprilis Anno 1648.

R. T. D.

Observantissimus.

Epist. CCCXXXV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

PEr-mihi-gratæ fuerunt literæ Tuæ. Vidi enim in iis constantem Tuam in nos benevolentiam, quam insuper in Tuis ad Serenifs. *Dn. Parentem* testatam fecisti, dum propter *Iter meum* ad *Electorem Brandeburgicum*, in *Belgio* hodie degentem, de mea salute es sollicitus, & sanè haud sine ratione. Est enim præsertim turbulento hoc Reip. statu omnis peregrinatio ferè periculosa, & ob hodiernos mores, & peregrinandi consuetudinem, *Chinensium* exemplo, gravissimo edicto interdicenda. Verùm enimverò tollatur *Abusus*, & maneat usus. Quippe admiranda variarum Nationum scrutari, mores asperiusculos limâ peregrinationis emollire, domesticam rusticitatem extero civilitatis, cultusq; sale macerare: eniti denique, ut ea, quæ quis alibi audiverit, viderit *vitia*, fugere; contra quæ quis animadverterit *laudabilia*, in succum & sanguinem convertere, datâq; postea occasione, Reip. suæ negotiis cum fructu & gratia attemperare queat, non solùm jucundum, sed publicè privatimque cum maximo sæpè gloriæ & existimationis fœnore, duco utile, imò necessarium. Non dicam, quantum utilitatis secum trahat, Viros Principes cum suis *æqualibus* & *superioribus* alere & fovere familiaritatem. Cùm igitur Serenifs. *Dn. Parens* ab ineunte ætate omni disciplinarum genere me imbui, inprimis verò *articulos fidei*, & quæ salutem æternam concernunt, quàm diligentissimè & exactè domi doceri hactenus curave-

rit,

rit, inque iis quotidie etiamnum confirmer, nunc autem Celsit. Suæ, ut *oculis* quoque videam, foris quæ facienda & fugienda sunt, videatur; nihil est, quod vereare, *Vir Rever.* me à verâ viâ, cum salutis æternæ jacturâ, unquam defecturum, sed *mortem potius oppeterem, quàm veram religionem, in qua natus & educatus sum, mutarem. DEUM Opt. Max.* quoque dies, noctesque invoco, ut Spiritu Suo S. me regere, & in *sanâ EVANGELII doctrinâ* servare, atque indies confirmare velit. Tibi autem maximæ à me debentur gratiæ pro curâ, consilio, & voto, quod Deus fortunet precor, & quem amas, ama, rogo. Vale. Dabam *Guelpherb.* 30. Maii, Anno 1648.

R. T. D.

Observantissimus.

EPIST. CCCXXXVI.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

ETsi scio, *Te jam in* Belgium *abiisse, tamen prosequendum Te literis meis duxi, idem facturus, si vel ad Garamantas, aut ultimam Thulen concesseris. Ea namque literarum Tuarum est dulcedo, & mea hinc æstimatio, ut si carendum iis sit æquo diutius, vitam ipsam mihi acerbam sim ducturus, quàm igitur possum, enixè peto, obsecro, supplico, ut si quid erit Tibi post graviora negotia, succisivi temporis, ejus aliquam particulam mihi impertiaris; qui Te profectò sincero animo veneror & colo, salutemque Tuam DEO assiduis precibus commendo.* Belgium *Ser. Dn. Patris judicio, primam contemplationis scenam, electum, illum*

elegan-

elegantiarum Microcosmum, *& omnigenarum* Artium Mercatum, *cui Deus hoc postremo seculo, quicquid habuit Orbis terrarum pridem reconditum, navigationis beneficio reclusisse mihi videtur, quibus ingeniorum erectiorum, (quale omninò Tuum) acies exerceatur, & capacitas impleatur, cujus specimen abs Te & usumfructum in literis, magno desiderio expecto. Beasti autem me, quòd curam meam & sollicitudinem pro Te benignè es interpretatus, & securum esse volueris, nempe sic Te in* Religionis *sinceritate, &* morum *rectitudine esse obfirmatum, ut affrictum errorum, & contagium vitiorum minimè metuas, quod etsi à Patris prudentiâ, & educationis institutionisque Tuæ felicitate, planè expectabam, tamen volupe mihi fuit, quàm muniveris ipse pectus Tuum, ex Te intelligere; Sed nec deerunt Tibi custodes, & monitores, si quid adversum machinetur Satan, & obstabit Patris absentis, tanquam præsentis vultus venerandus, ego verè pro incolumitate Tuâ votis & precibus sedulò excubabo. Ita vale* Inclute Princeps, *& prosperè age, ut* Patris *consilium non tam impleas, quàm superes, omnibus ornamentis condecoratus, Tuis reddendus, quod precatur ex animo*

Ill. Celſ. Tuæ

Calvæ 21. Iunii,
Anno 1648.

Cliens humillimus

EPIST. CCCXXXVII.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

DVas, dum hîc ago, à Te accepi litera quarũ lectione eò magis fui delectatu quò Te amantiorem nostræ ſalutis ex i cogn

cognoverim. *Mariani* iste liber admodum mihi arridet, cognovi jam tum in istis, quæ summatim mihi inde degustanda proponis, *ex ungue leonem*. Vtinam ejusmodi præcepta, quæ hinc inde traduntur, in nostro animo firmiores radices agerent, melius de nobis nostrâq; Germaniâ forsitan comparatum esset. Sed de isto scripto, ubi ipse illud legero, fortasse ad Te plura. Id autem nunc Te non præterire volo, me non in Belgium, ut Tu opinaris, abiisse, sed ad aulam Clivensem *Electoris Brandenb.* ad tempus duntaxat concessisse. Cùm spes non dubia me teneat, fore, ut *Clementiss. Dominus Parens* hac occasione me etiam *Belgii* oram lustrare & sic pleniorem aliquem peregrinationis fructum hinc aufferre, aliquando concessurus sit. Illud verò Lipsianum ob oculos mihi semper versabitur monitum, quo cavere sibi peregrinantem jubet, ne *paternas virtutes*, quas cum lacte quasi nutricis imbibit, patriâ secum efferat, *vitia* autem *exterorum* eidem patriæ posteà inferat. Quod pro mea incolumitate summum Numen precibus Tuis fatigaturus sis, longè mihi est exoptatissimum, ago Tibi proinde hoc nomine immortales gratias, rogoq; ne in hâc pietatis palæstrâ defatigeris. Ego vicissim tutelæ Maximi DEI Te jam commendatum volo. Vale. Dabam *Cliviæ* 4. (14.) Augusti, Anno 1648.

Rev. Tuæ Dignit.

Observantissimus.

EPIST.

Epist. CCCXXXVIII.

S. P. C.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Cum jam literas ad Fratres Tuos dedissem, & ut vota mea, salutemq; ex me, ad T. C. *deferrent, enixè rogassem, Tuæ exoptatissimæ adveniunt,* Cliviæ 4. *Augusti datæ, fidemq; fecerunt, ne inter Aulæ quidem strepitum memoriam mei esse labefactatam, sed servari integram, quo nomine ingentes Tibi ago gratias, & ut hic animus in me perennet, DEUM precor. Interea Hipparchus Vester Lentius, quem Patris nomine dignaris, amicus veteranus, & probatus, mecum fuit, testis & præco Virtutis Tuæ, eruditionis variæ, & in omni exercitiorum genere, agilitatis, quæ mihi audire, maximæ fuit voluptati, reputanti, quam ea instrumenta & paramenta ad exprimendum aliquando, & Germaniæ conferendum perfectum Principem, Saluti publicæ profutura, quibus si usus major, & exterorum regulata conversatio accesserit, sanè de quo Tibi Domuiq; Tuæ gratulemur, nobis gaudeamus, DEOq; gratias agamus, erit affatim. Lentii filium in comitatu, ministerioque esse, atque Tibi probari, ex ipsis Tuis ad Patrem literis intellexi lubens, beatumq; judico, si sub Te, atque Tuo exemplo ad Virtutem adolescat, cujus primitias bonæ frugis, cùm hic esset, nobis ostendit. Id verò jam cumprimis laudo, quòd peregrè tanquam in DEI Patrisque incluti conspectu* cautè ambules, *nec domum referre, nisi bona quæque, & Patriæ Tuæ salutaria cogites, cui generoso & pio instituto, ut propitium Numen Tibi perpetuò adsit, precibus meis seriis, & assi-*

duis

tuis nunquam me Tibi defuturum, iterum atque iterum in me recipio. Vale Inclute Princeps, *prosperè age, salubriter vive, salvus ad Tuos redi, & fave*

Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 30. Augusti,
9. Sept. 1648. *Clienti humillimo.*

Epist. CCCXXXIX.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

QVòd literæ meæ semper Tibi gratæ sunt, ex ipsis Tuis 30. Aug. datis probè intellexi, ideoq; non potui, quin in eo officio erga Te perseverarem, gratias semper agens pro eo affectu, quo me meaq; nunquam non amplecteris. *Lentium* nostrum *non lentum* in me deprædicando fuisse, ideò lubens quidem audio, quòd illud signum eximii ejus erga me amoris est, sed vereor, cùm ille *Patris nomen* susceperit, ne etiam *Patris affectum* ita induerit, ut plus cæco patris amori, quàm rei veritati indulserit, & majora animo de me conceperit, quàm ego animo & corpore præstiti, amorem itaque ejus laudo, & si ille paulò plus excesserit, officium meum esse autumo, ita me inposterum gerere, ut habeat, quod reverâ amet. Vt Senes omnes, qui sunt integræ vitæ, Patris loco habendi sunt, ita ille, qui & annis intemeratis, & beneficiis apud me magnus est, eo nomine facilè dignus est. Si Tibi porrò animus, quem ad *peregrinationem* attuli, probatur, id Te oro, ut DEO eum ita commendare pergat, ne à recto tramite unquam

T aber-

aberret: noſti enim, qui nobis obices objecti ſint, quantæ inſidiæ & noſtris annis & noſtro ordini ſtruantur, ita ut optimus & cautus quoque falli & vendi poſſit Princeps. Tu ſi quid porrò habeas, quod moneas & doceas, utere eâ libertate, qua decet Tui ordinis & ætatis homines; Certus ea animo obſequenti nunquam non grata fore. Vale. *Cliviæ* 7. (17.) Octobr. 1648.

R. T. D.

Obſervantiſſimus.

EPIST. CCCXL.

S. P. C.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps, Domine longè clementiſſime,

Jam à 4. Auguſti præteriti, nihil Tui videram, quò magis deſideratæ literæ Tuæ advenerunt 7. Octobr. ſequentis ſcriptæ, quas 14. *Nov. hujus maximo gaudio accepi, teſtes conſtantes Tui in Virtutis recto tramite animi, & mei non immemoris, quo nomine Tibi gratulor, mihi gaudeo, & DEum Tibi ad peragenda quibus deſtinatus es quoq; præclara propitium, mihi ad obtinenda Tibi precibus meis maxima bona atque dona faventem & annuentem precor, De* peregrinationis *Tuæ modo, tempore, & locis* prudentiſſimus Dn. Pater *omnium rectiſſimè ſtatuet, talium, ut omnium, maximè gnarus & expertus. Nec deerunt Tibi qui caveant, ne quicquam Tibi ſit incommodo, vel fraudi. Mihi hoc unum relictum eſt, ut* perpetuis *Te* precibus meis *quoquo iveris ſubſequar, ut Angelicis excubiis comitatus Patriæ terræ integer, ſal-*

salvus, & *rerum, hominumque usum instructior, reddaris. Nec monere eum opus est, qui per se ad optima quæque contendit, potius optandum, ut ad fastigium humanorum bonorum pertingat*, & *in eo solidè consistat. Quod faxit Christus, qui Te seculi Tui bono ornet, servet, ac æternùm beet. Vale* generosissime Princeps, *nunquam immemor*

Illustr. Cels. Tuæ

Stutg. 22. Nov 1648.

Clientis humillimi.

Epist. CCCXLI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

Literæ tuæ 22. Novembr. datæ, 16(26) Decembr. mihi allatæ sunt. Quòd tardius illæ jam adveniunt, non est quod mireris; cùm enim non rectà, sed per ambages mittantur, facilè in via morantur. In me nihil moræ est, quin iis statim respondeam, id enim & earum jucunditas, Tuus in me animus, & Parentis jussus ita requirit. De peregrinationis meæ progressu securus vivo, quia domi habeo, qui illum curat, certus dum senioris utpote prudentioris, imò *Patris charissimi* consilia sequor, DEUM omnibus cœptis feliciori semper successu favere. Hactenus res benè successit, dum corpori & animo non malè est, quorum ille quotidianis motionibus robustior, hic multis exemplis, quæ vitanda, quæ imitanda sunt, circumspectior redditur. DEus modò ILLUM diu salvum præstet, qui mihi instar multorum, omnium maximum exemplum est. Tu quoq; ut rebus Christianis ro-

busto animo & corpore diutius præesse, adeoque exitum *hujus anni* felicem, initium & progressum *futuri* feliciorem, omnesq; *sequentes* annos felicissimos semper videre possis, ex animo ipsum precor. Vale. *Cliviæ* 21. (31.) Decembr. Anno 1648.

Rev. T. Dign.

Observantiss.

Epist. CCCXLII.

Serenissimi & Clementissimi *Dn. Parentis* benevolentiæ in piè defunctum *HAFENREFFERUM*, Avum Tuum testimonium, *Vir Cl.* Tibi Tuisque fuisse gratum, sanè gaudeo. Patet enim indè, Serenissimum *Dn. Patrem*, quanti excellentes & benè meritos Viros faciat, quantique sibi sit Bonorum memoria, ostendere volentem, non fuisse frustra. Ideoque non possum non meâ Te complecti benevolentiâ. Et quidem non tantùm ob paternæ cum Cl. Hafenreffero p. m. intimiorem conjunctionem, cujus *ut facultatum, meritò etiam filii hæredes esse tenentur*, Isocrate teste. Verùm etiam ob animi Tui *gratitudinem*, quæ sese in omnibus Epistolæ partibus ostendit. Persuadeas Tibi proinde velim, me ad omnia amoris & favoris, quæ quidem à me proficisci poterunt, officia, Tibi, Tuæq; familiæ præstanda fore paratum, Tu modò *Inclutæ Domui nostræ* tutamenta, & incrementa cum Tuis precari perge & Vale. *Guelpherb.* 10. Februarii, Anno 1648.

Tibi amicus

RUD. AUGUSTUS.

Clarissimo Viro Dn. Matthiæ Hafenreffero, &c. *Tubingam.*

IV. Cum

IV.

Cum Pr. ANTHONIO ULRICO.

Epist. CCCXLIII.

Felicissima Novi Anni auspicia!

FOrtè hæc in animum Tuum, *Vir Cl.* descendet cogitatio, esse casum aliquem, qui nobis facultatem scribendi eripuerit, cùm intra spatium unius vel alterius septimanæ ne datariam quidem à nobis salutem acceperis; Et ita comparatum est, nec de nihilo fuerunt istæ cogitationes Tuæ. Me enim quod attinet, *invaletudine* quadam, ex improviso correptus, totum hoc, quod intercessit temporis ferè in lectulo meo transegi; DEO autem Opitulatori maximæ sint gratiæ, qui interpositâ salutari manu suâ, majora, quæ imminebant, mala, quàm longissimè à me abesse voluit; Propensum illum animum Tuum, & mei amantem in tam calido voto agnosco, & ne parum videar officiosus, eundem quàm constantissimè repono. Tantum autem apud me habet momenti, ut certò mihi persuadeã, me illâ benevolentiæ Tuæ flammâ plurimum incaluisse, quod tum etiam ad recuperandam sanitatem pristinam maximè requirebatur. Fiat autem, ut Tu quoque annum hunc decurrentem, omnesq; qui sequuntur, inoffensâ corporis valetudine beatissimè vivas, nobisque sæpiùs Calendas istas celebres. Vale & ab Informatore nostro dilecto, qui Te vicissim omnigenæ prosperitatis voto, quàm officiosè donat, plurimum salve. Dabam manu

insuetâ, & tremulâ. *Guelpherb.* III. Idus Januarii, 1648.

Cl. T.

Studiosiss.

Epist. CCCXLIV.

Salutem plurimam!

Impatiens tarditatis nostræ longioris, non dies modò supputabis *Vir Cl.* sed & horas, quibus ad Te nostræ pervenire debent. Sed culpam omnem sustineat ille *vetus morbus*, & *invaletudines* quædam *novæ*, quæ me per intervalla affligunt, ut ille in Ætna ignis, qui cùm desæviisse creditur, redit. Meliusculè autem nunc habeo; Dei gratiâ, Deus faciat, ut diu, quò me recolligam, & ad consuetas operas revertar. Dono hodie accepi à *Clementissimo Dn. Parente* nostro, effigiem *Cl. Tuæ*, sculpturæ non inelegantis, ubi ex inscriptione conjectare possum, Te *vitæ hujus*, & si quid aliàs in vitâ *fastidii ac miseriæ* pertæsum, alia omnia magnoperè amplius non expectare. Quod quidem adeò non miramur, uti enim aliarum rerum, ita vanitatis hujus facilè est satietas. Interim tamen, si ex aspectu *Lunæ* infra positæ divinare licet, vatem me haud inanem futurum existimabo. Quippe dimidiatum illud lumen quando orientali plaga cornua sua obtendit, incrementum modò majus denotat, nec nisi ad plenitudinem istam prius pervenerit, iterum decrescere potest. Quod ut felicissima quæque designet, omniq bonorum abundantiâ nunc demum augeari & crescas, ex animo precor, divinumque Nu-

mer

men pro incolumitate Tuâ ſupplex convenio.
Guelpherb. Calend. Februarii, 1648.

Cl. T.

Obſervantiſſimus.

EPIST. CCCXLV.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps, Domine longè clementiſſime,

Morbo Te levatum, plurimum lætor, & ex animo gratulor, de quo ſi mihi conſtitiſſet, nec enim tale quid mihi in mentem veniebat, ſummo equidem dolore confectus fuiſſem. Ac juvenilem quidem vigorem facilè eluctatum; nec Medica ſubſidia Tibi defuiſſe crediderim, tamen triſtibus exemplis imminere etiam Vobis improviſum lethum, didici. Me jam à feſtô Natalis Chriſti, *morbus meus, poſt triennium exercitii, mitius habet, qui ſi porrò inducias mecum pangat, ſpem faceret, voti mei peregrinatione ad Vos tandem liberandi, niſi Bellonæ rabies ſe interponat. Medici mihi jam à multis annis teneræ conſtitutionis duo fuerunt, unus* Abſtinentia, *alter* Patientia, *quibus famulantur* Mentis recreatio & Curarum ſtrepituſq; excluſio. *Horum miniſterio infirmam corporis compagem ſuffulcio, & ſuſtineo, dum debiti Naturæ exactor, quò tardius, eò acrius me in jus poſcet. Te diu ſervet Domui Tuæ, & rebus Germaniæ propitius Chriſtus, & cùm hunc* præſentem, *tum ſecuturos plurimos feliciter fluere, eosque ad* Virtutis *ſumma Te faſtigia provehere ſinat. Quo meo votô à Tibi devoto pectore profectô, cùm aliter ſolvendo minimè ſim, gratias pro ſingulari in me affectu, refero, paratus, quicquid in me erit officii, quantumvis exigui,*

id totum, ſolidumque uſibus, commodis, atque ornamentis Tuis impendere. Provocabis autem Studia mea, & calami uſum, ſi etiam hoc anno, quod cepiſti, literarum Tuarum elegantias non negaveris, quo ſtimulo apud me nihil eſſe efficacius, experière. Nam & generoſitas Stili Tui, & terſum ſcribendi genus, & aſperſa ubique comitas faciunt, ut & Tibi & manuductori Tuo, quem plurimum amo, & ſalvum cupio, me omnia debere, libenter profitear, quicquid etiam Dares in hâc luctâ ſuccumbam. Vale Solertiſſime Princeps, & *fovere perge*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 9. Februarii,
1648. *Clientem humillimum.*

EPIST. CCCXLVI.

Felicitatem interminam!

SYmbola Tua *Vir Cl.* ingenioſè ad uſum noſtrum excogitata, & apprimè ſenſui noſtro accommodata, tanto cum fructu pariter, & voluptate vidimus & legimus, ut non affectũ ſolum auxerint in Auctorem, ſed & ſcriptionem hanc elicuerint, grati in labores Tuos animi teſtem. Quomodo enim non colamus, veneremur Virum honori, & utilitati noſtræ tam induſtriè ac feliciter operantem? Me quod ſpectat, ponderoſa ſunt, eaq; graviſſima, quæ mihi tribuis, cùm nihil tam grave, quàm *Majorum*, qui recto itinere nobis præiverunt, *veſtigia* ſequi velle, ob flexus & diverticula varia, in quæ plurimi nonnunquam diſcedere ſolent. Interim tamen, ſi rem paulò accuratiore mentis bilance trutinare licet, erunt

erunt adhucdum, quorum & auxilio & fideli manuductione, totum id, quod suscepimus, non tam magno labore conficere poterimus. Inter quos cùm & Tu mihi promptissimè accurras, & facilem manum porrigas, & ad optima quæque calcar addas, tardus sim, nî talis esse contendam, qualem me prædicas, & pro consueto amore Tuo aut fingas, aut certè velles. Vale, & benevolentiam hanc mihi persevera; Valetudo nunc mihi prospera: quæ ut benigna Te quoque longum respiciat, intimum meum est votum. *Guelpherb.* 1648. VIII. Cal. Martii.

Cl. T.

Studiosissimus.

Epist. CCCXLVII.

Fortunam prosperam!

Grata mihi per literas amoris tui testificatio, *Vir Cl.* hoc habuit ingrati, quod ab invalido profecta. Sed unicè me solatur morbi illius exoptata remissio, quæ plenariæ restitutionis signum non leve est, quam uti ex animo precor, ita eandem perpetuam esse volo. Vegetam quoque ætatem illam, qualis in nobis est, istorum malorum atque ægritudinum, imò ipsius vitæ periculi nunquam immunem esse, verissimè dicis. Vt enim omne cœlum nubes & immutationes suas habet; sic & vita nostra, & in vitâ omnis ætas, ibitque hic malorum in omnem ætatem remeantium orbis, quamdiu durabit ipse orbis. Felices autem ter & amplius, qui remedia aliaq; prompta in auxilia ægritudinum istarum nôrunt,

non ſuccos ſemper medicabiles, aliasque unguentorum miſturas. Sed quibus Tu *Vir Cl.* ad magnorum Virorum exempla hactenus uſus es, *temperantiam & jucundam animi oblectationem*, quibus ſanitatem ſubſecuturam certius promittere auſim, *laudes*, in quas Te ire video, longè ſupra meritum, & quæ tenuitati meæ non conveniunt. Sed fit tibi, quia valdè amas, valdè etiam æſtimas. Nunc quàm optimè vale, & affectum hunc Tuum mihi perſevera. Salutat te dilectus frater meus *Ferdinandus Albertus*, qui inopiâ temporis prepeditus ſuas in poſterum differt. Itemq; ſtudium & officia paratiſſima viciſſim offert dilectus Informator noſter. Dabam raptiſſimè 7. Martii, Anno 1648.

Cl. T.

Studioſiſſimus.

Epist. CCCXLVIII.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps, Domine longè clementiſſime,

Si, quantum in me eſt, ſtudii in te parati, & obſequii promptiſſimi, tantum adeſſet temporis vacui, haberes profectò frequentiores, & magis verboſas. Nunc verò, quia mihi in varias parteis diſtracto ferè ad clepſydram ſcribendum eſt, nec ſeſe ſemper materia eleganti Ingenio Tuo digna offert, fit, ut æquanimitate Tuâ fretus, me interdum ab officio, quod Tibi debeo, ſubducam, & laſſitudini meæ, quæ ex ſenio eſt, blandiar, ſed quam pauſam Tu pari ſilentio Tuo ulciſcaris. Hanc ut declinem pœnam, mihiq; ipſi ne fraudi ſim, dum elegantias Tuas, quibus nihil eſt mihi deſiderabilius,

lium, excludam, en! prodeo incomptis literulis, Tuamque agilitatem ridiculus luctator provoco, quantum enim hoc exercitationis genere oblecter, non facilè dixerim. Nam cùm Tibi semper vel ab ingenii Tui acie, vel à Magistrorum eruditâ suggestione parata sit materia, quâ vel Indolem Tuam exeras, vel spem nobis magnæ in futurum frugis facias, fit, ut hebetudo corporis mei acuatur, novaque semper de Te gaudia concipiam, quorum usus, si minus mihi vita superfit, in meos derivetur; Ita enim mihi de Vobis *planè persuadeo, fore, ut* clementia Vestra, *in Avo meo,* D. Iacobo Andreæ, *olim cepta, & in me renovata, meis perennet; Vesterque favor, nostrumque obsequium, Vestra felicitas, nostraque vota mutuum sint æterna. Pro literis autem, quas 8. Kal. Martii ad me dedisti, plurimum Tibi debeo; Video enim, non tam minutias ipsas meas acceptas, quàm ipsum Institutum meum cordi Tibi esse, ut quoscunque ad Virtutis, famæque metam attingendam proficuos intelligas, Tibi adamandos, admittendosque censeas, inque me adnumerare non dedigneris, quo me nomine Tibi porrò planissimè devoveo, atque dedico, Christo supplex, ut vel supra vota mea, quantumvis maxima, ascendas. Vale & fave*

Ill. Celf. Tuæ

Stutg. Idibus Martii,
1648. *Clienti humillimo.*

EPIST. CCCXLIX.

Felicitatem interminam!

VTi de Tuo in me affectu nullus dubito, *Vir Cl.* ita quàm optimè mihi constat, vix aliquid deliberari posse, de summa tem-

porum tuorum ſine communis boni diſpendio, cui omnes curæ tuæ devoventur. Quòd autem nihilominus amorem iſtumTuum crebriori compellatione mihi perſeveras, & maximi muneris loco deputo, & innatam iſtam promptitudinem ſatis mirari nequeo. Vtinam talia à meproficiſcerentur, quæ votum Tuum exſolvere, & animum oblectatione quadam demulcere poſſent! Haberem ego, de quo gloriarer, & promptior quandoq; eſſem; ſed cùm tenuitatem meam fateri cogar, undique prolationis cauſas conquiro,& quandoq; provocatus facilè rubore perfundor. Modeſtè enim hìc auſcultare didici, & mirari potius in aliis, quæ deeſſe mihi ſentio & libens agnoſco. Sed en me Tibi confidentiorem, tentabo quid valeant vires meæ, quidve ferre recuſent, illoque mutuo inter nos munere ſtudioſè impoſterum quoque fungar, ne quid vel timidè vel abjectè peregiſſe videar, ad eorundem modum, qui nullius animi, aut nullius unquam conſilii fuiſſe dicuntur. Si quid autem temerè à me factum fuerit, id totũ Tuæ, quâ polles, humanitati condonandum relinquo, quam ut longùm mihi perſeveres, ſummoperè petò ac contendo. *Guelph*, 18. Aprilis, 1648.

Cl. T.

Studioſiſs.

Epist.

EPIST. CCCL.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Scio sanè officii mei esse, imò debiti, redire ad literarum commercium, quod non mea segnities, sed temporis difficultas, aliquantisper distulit. Dici autem, credi ve vix potest, quantum impedimentorum secum vehat Bellona, *ut satis non sit incommodorum. Interim* Pacis nuncia *blandiri nobis pergent, ut quasi narcoticis hisce sopiti, mollius intereamus. Lenit insuper dolorem nostrum, cùm audimus, malo hoc si non liberatos, saltem levatos Vos esse. Hinc enim spes mihi surgit, fore ut animi Principum tandem coëant, ad tollendum universum hoc terrarū maleficium & flagellum; Sed quid hæc ad amœniora Studia Tua, & generosa exercitia Tua, quibus utinam spectator aliquando adessem, & collaudator. Sanè restituto* Illustri Collegio Tubingensi, *de quo seriò inter nos agitur, non dubitaverim,* Te *lucidum ejus* Astrum *Nobilemque* Gemmam *cum* Fratribus *fore, quæ* Serenissimi Dn. Patris *memoriam nondum extinctam renovet, ac nec Patrem ipsum abhorrere ab eo putaverim. O dies illa illucescat, ubi tunc Vobis advolem, omniaque mea, quæ dudum parata & destinata Vobis habeo, coràm in manus consignem. Memini quondam Anno* 1619. Dn. IOHANN: VVILHELMVM & Dn. FRIDERICVM VVILHELMVM, Illos Principes duos Aldeburgicos Saxones fratres, *quos* VVilhelmus Vensius *Ephorus eorum, Nobilitatis apex, mihi conciliaret, munusculis chartaceis me oblectâsse, & gratiam invenisse; at quantò in Vos debitum meum majus est, scil. quò affectus in me Vester incomparabilior. Vtinam of-*

ficio aliquo, vel munere non ingrato mihi aliquando condecorandus. Placet autem mihi in Peregrinatione illustris Juventutis Cl. V. Lipsii *argutum dicterium, quod adscribere non piget*: Sicut Agricolæ, qui plantaria habent, novellas stirpes transferre, & transferere à natali suo solo, in aliud solent, ut latius laxiusque crescant; Sic non oportet liberos genitali solo affixos, sterilescere sed in aliud aliudq; translatos robur, & incrementum sumere, & succrescere in virtute. Nec tamen longum hoc nimis esse suadeo: sed ut qui ignem in vicinia petunt, non illic desident, sed eo accepto domum redeunt, atq; ibi accendunt: sic illos censeo velut scintillas & fomites apud exteros quærere, domi deinde accendere, & sibi aliisque allucere. *Interea mihi epistola crevit, quâ culpam diuturnioris silentii mei utcunque expiatum ivi, nisi fortasse loquacitatis aliam contraxerim. Vale* Illustrissime Princeps, *& lumine Tuo exteras etiam oras aliquando illustra, id quod immensum augeat Christus.*

Illustr. Cels. Tuæ

Stutg. ex Seleniano
19. Apr. 1648. *Cliens humillimus.*

Epist. CCCLI.

Felicitatem prosperam!

Literarum illud commercium, ad quod Te rediisse non ita pridem scribis, *Vir Cl.* etiam nostrum erit, paulò diligentius inposterū frequentare, qui ut ingenuè fatear, negligentiores hactenus fuimus, quàm par erat; præpediti tamen non nostrâ culpâ, sed partim aliorum

liorum apud nos diversantium præsentiâ, partim insperatis, nescio quibus, impedimentorum generibus. Facilè verò inducimur, ut credamus, quanta malorum apud vos consederit colluvies; tot redeuntibus inundationibus, quæ tam latè sese diffundunt, ut etiam apud vos restagnare videantur. Fiat tandem, ut & ipsi experiamur, quid *pax* sit, & *secura rerum tranquillitas!* qui turbulentissimis hisce temporibus nati & educati nil nisi bellum audimus, cujus vel ipsum nomen omnium malorum & calamitatum mare est. Majores jam *Vestro Tubingensi Collegio* accessiones fieri, & fortunæ, & aliorum incrementorum, libentissimè audio, cujus ut eruditissimos aliquando Viros coràm audire, & mihi junctos habere possim, potius optare, quàm sperare licebit. Interim tamen totius negotii consilium *Celsissimo Dn. Parenti nostro* relictum volo. cujus me paternæ sollicitudini commendo. *Tuæ* verò *Cl.* ad omnia studiorum genera me promptissimum profiteor. *Guelpherb.* III. Calend. Iunii, Anno 1648.

Cl. Tuæ

Studiosissimus.

EPIST. CCCLII.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

R*Editus Tuus ad literarum commercium, ut mihi longè jucundissimus est, ita omni observantiâ animi eum amplector, hoc præsertim tempore, quo mihi ab Ecclesiæ muniis remissio data, & curandæ valetudini otium aliquod concessum est,* *quod*

quod nolim ulli rei, quàm Vestræ exercitationi lubentius impendere: quas ergò ad me 3. Cal. Iunii dedisti, rependendas duxi meis, non querelis *jam, quòd propitio Numine à malorum lerna armata, aliquantisper levati simus, & ex inversa fortunæ rota nonnihil bonæ spei rediturae pacis, concipiamus; sed* prosperis votis, *ut generosa Tua desideria, visendarum palæstrarum eruditionis & excolendi ingenii Tui Deus aliquando impleat, quibus oportuno tempore* Ser. Dn. Pater, *quod scio, nunquam deerit. Dolet Tibi, atque meritò, infelici hoc tempore & natum & educatum esse, quo non nisi infaustum* Bellonæ *nomen regnavit, & invaluit, ut quantò infeliciores sunt, quorum* Iuventus & Virilis ætas, *dulce pacis nomen est experta,* Senium *verò ad horridum illius obsequium, imò servitium redactum. Te haud dubio* Pax *excipiet, bellorum tandem finis eò exoptatior & jucundior futura, quo mala in bonum conversa ipsâ recordatione delectare magis soleant. Auguror autem Te* Illustri Collegio Tubingensi *lucem non minus splendidum, quam olim* Ser. Dn. Pater, *collaturum, quod ut ipse coràm oculis usurpem, Deum toto pectore precor. Vale & fave*

Ill. Cels. T.

Calvæ 21. Iunii,
1648. *Clienti humillimo.*

Epist. CCCLIII.

Salutem plurimam!

GRaviores erunt occupationes Tuæ *V. Cl.* quàm ut iisdem importunius obstrepere, aut interpellatione ista moram injicere liceat. Sed fiat id brevioribus, saltem ut mutuo

mutuo inter nos literarum officio nihil decedere videatur. Cum fructu pariter & voluptate vidimus, quod nobis *boni Principis* repræsentasti CAPVT, utinam quoque ejus liceret optare oculos, accuratius dispiciendi, & considerandi, quicquid in cæteris partibus artificioso & jucundo planè modo observandũ & pertractandum proponitur. Erunt, quibus deforme hoc videbitur errantisque in alienos fœtus auctoris iis cumprimis, quorum oculos clarissimum virtutis lumen facilè potest offendere. Sed si rem paulò accuratius consideraverimus, nihil tam jucundè & commode effigiari potuisse deprehendimus. De formatore *Iohanne Mariano* aliud nobis non constat, nisi quod habeatur pro Viro gravissimi judicii, quem etiam vernacula *sua Historiam universalem* scripsisse dicunt, quæ tamen istius loci in paucorum manibus erit. Vale & si per negotia publica licet, studium istud Tuum mihi persevera. Plurimam Tibi salutem nunciari petit, Frater noster dilectus *Ferdinandus Albertus*, qui hac vice nonnihil fuit impeditus. Dabam *Guelpherb*. 27. Iunii, Anno 1648.

Cl. T.

Studiosissimus.

EPIST. CCCLIV.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

QVòd fratrum Tuorum vicem, unius absentis, alterius occupati, subire, & literarium commercium sustinere volueris solus, egregiè puto, & plurimum Te laudo; Ac hoc ipsum est, quod

quod omine meo de Te mihi polliceor, fore, ut cum fors literaria ceciderit, iis Te artibus instruas, quæ quod Domus Tuæ proprium, Religiosum & literatum Principem, adeoq; alterum Augustum *Germaniæ sistant, artibusque liberalioribus patronum præstent.* Mariani caput Imperiale *non displicuisse, facilè crediderim; solent enim delectare, quæ Genium habent, ingeniosos, & industrios, at utinam Vobis intueri illud ab ipso artifice integrū & expolitum, non mea imitatione deformatum liceat, quod post fiet, cùm ad exoticarum linguarum usum & delitias intromittemini, quæ etsi* Latinæ, *communi orbis interpreti* Græcæ, *sapientiæ Matri, &* Hebrææ *Sacrorum custodi, æquari non possunt, plurimum tamen divitiarum ad ornandum & saginandum elegantius ingenium conferunt.* Fratrem *Tuum* Rudolphum Augustum CLIVIÆ *prosperè agere, valde lætor, ad quem si scripseris, quæso mone, ut indè, quid rerum agatur, me per otium edoceat; Ephorum Vestrum* Im-hofium, *nuper per* Lentium *Hipparchum Vestrum salutavi, quod per Te iterum atq; reverenter facio, Aut valde fallor, aut posthac faventem habebo, cùm sit ex eâ gente, quæ jam diu mihi benè voluit & Urbe, quam ut Minervæ, & Mercurii sedem plurimum veneror; Te* Princeps Illustrissime, *cum* Fratre Ferdinando Alberto, *quâ possum, animi observantiâ oro, ut quantum per Studia licebit, elegantissimis Literis Vestris, quibus mirificè afficior, me porrò dignari pergatis. Valete, & favete*

Illustr. C. C. V. V.

Stutg. 12. Iulii
1648. *Clienti humillimo.*

EPIST.

EPIST. CCCLV,

Salutem plurimam!

NEſcio, quâ animi divinatione permotus meam tantoperè in *Illuſtri Veſtra Tubingenſi* expetas præſentiam, cùm mihi ignota planè omnia, quæ fortè de hoc argui poſſent. Hâc quidem ætate nihil melius aut utilius, quàm animorum adjuvare motus, omniaque quæ ſaluti eſſe poſſunt, diligenter ſubminiſtrare. Vt enim vixi ſic & ætatis fæces ſunt, ſed expurganda prima illa naturæ ruditas, ut puris coloribus niteſcat. Hoc num tutius & facilius extraneis effici poſſit remediis, ii noverunt ingeniorum curatores, quibus uſu & experientiâ hæc cognita ſunt, quorū etiam arbitrio & æſtimationi totum committo. Video Te nimium delectari frequentiâ noſtrarum literarum, quas ſæpius ſcriberem, niſi perſonæ & provinciæ tuæ reſpectum haberem, cui toties obſtrepere, teque negotiis undique aſſilientibus diſtrictum interpellare nolo; quamvis etiam proletariis hujusmodi officiis mutuum affectum noſtrum metiri nolimus, quem altius in animum demiſimus, quàm ut levibus iſtis ad ſui firmitatem adminiculis opus habeat. Frater noſter dilectus *Rudolphus Auguſtus*, ſicut compertū habemus, adhuc proſperâ utitur valetudine, quem, ut & nos omnes divinæ protectioni ardentiſſimis precibus commendamus. *Guelpherbyti*, d. 16. Iulii, 1648.

Cl. T.

Studioſiſſimus.

Tuæ Cl. plurimam salutem dicunt Dn. Hieronymus im Hoff / qui jam nobiscum vivit, & Informator noster dilectus, cui maximæ voluptati est, amore & benevolentia tuâ tam largiter uti.

Epist. CCCLVI.

S. P.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime.

NOn *Te fallit ratio*, sagacissime Princeps, *ingenti me Tui in his oris visendi desiderio teneri. Meminisli enim, quàm sæpè, quàm seriò iter ad Vos destinarim, ut coram, quæ fama de Vobis prædicat, quæ literæ Vestræ testantur, quæ ipsa indoles generosissima pollicetur, intuerer, postquam id toties nunc Bellonæ intemperies, nunc adversa valetudo, & attritæ corporis vires impedivére, quidni optem* Serenissimi Dn. Patris Tui *consensu Te hic locorum sisti, Academiæ nostræ ad veterem florem reducendæ, non tam ornamentum, quàm augmentum atque stabilimentum futurum, cordisque mei desideria abundè completurum. Etsi enim illius Honos, quem* Tubingæ *obtinuit, & decus, quod huic præsentiâ suâ contulit, nunquam intermoritur, nec desunt adhucdum Viri, qui vidisse incomparabilem adolescentem, & audivisse perorantem, gloriantur, tamen si in Te renascatur* Guelphica virtus, facundia, humanitas, *maximè verò* pietas, *quis non gratuletur Tubingæ iisdem, quibus olim sideribus conjunctis radianti, quis* Domui Tuæ *non gaudeat, ut quæ suis & alienis terris illustrandis sufficiat? Sed hæc vota nostra*

nostra Serenissimi Dn. Patris *sapientiæ & prudentiæ submittimus, modò non ingratum sit, quo animi affectu, quâve ministerii promptitudine, quicquid is domo suâ emittat, nobisque concedat, simus excepturi, liberiore calamo testari. Interea ne literis ad me scribendis, fatigeris, vel qualicunque studiis meis parcendum putes, majorem in modum obsecro & obtestor; quamvis enim animi Tui in me propensionem, non ex literis metiar, quam Divinâ Numinis conciliatione firmatam mihi in* Serenissimo Dn. Patre Vestro *radicatam scio, & perpetuam auguror, quo tamen me alloqueris sæpius, hoc beabis liberalius, devincies arctius, & de gratiæ in me Tuæ incrementis securum certius reddes. Faxo ego vicissim, nihil æquè mihi cordi, curæque esse, quàm placere Tibi, Studiaque Tua in partem juvare intelligas. Inclutum fratrem* Dn. Rudolphum *bene habere & agere, valdè lætor, magis tamen lætabor, si re ex animi sententiâ confectâ domum rediisse incolumem audiam, quidvis enim mihi ferendum facilius, quàm alloquiis ejus suavissimis carendum puto. Im-hofium Vestrum mihi bene velle auspicatum mihi duco, cui & Informatori Vestro animum officiosum & amicum despondeo. Salve iterum iterumque* generosissime Princeps, *& fave*

Ill. Cels. Tuæ

Clienti humillimo

Ioh. Valent. Andreæ D.

Stutg. 2. Augusti, qui mihi matrimonii initi 35. anniversarius, Anno 1648.

EPIST.

Epist. CCCLVII.

Salutem plurimam!

Utinam tàm benè meam, *Vir Cl.* meorumq; Fratrum vicem explevissem, quàm diligenter eam me sustinuisse scribis. Novi enim minutus ego scriptor tenuitatem meam, qui ad aliorum munera suscipienda nunquam me satis idoneum crediderim. Cùm autem non ingratam Tibi levem hanc & qualemcunque literarum reciprocationem semper intelligam, age etiam nunc, quod mearum est partium exsolvo, qui hoc, quodcunque est scribendi genus, non tàm in amicitiæ, quàm Studiorum meorum fulturis stabiliendis latercu-lorum aut calcis vicem repræsentare credo. Monebo per literas dilectum fratrem meum *Rudolphum Augustum*, ut & mihi, & Cl. T. crebriores imposterum mittat, quamvis interea turbis, ut solet, aulicis eum nonnihil impeditum fuisse existimem. Audio non ita pridem ibi sacrosancto Christianorum ritu initiatum fuisse filiolum *Electoris Brandeburgici*, ubi simul pro concione explicata fuerunt verba illa Ps. 132. ℣. 11. & 12. Quæ autem aliàs notatu digna evenerunt, proximâ si Deus voluerit occasione transcribere potero. Salutem & officia mea coràm nunciabit Tibi Dn. à Lent, qui ante duas circiter septimanas Argentoratum hinc profectus est, hæreditatem, ut puto, capturus, quæ ex obitu soceri ad eum pervenit. Visitabit in reditu Cl. T. cùm & alia negotia in aulâ vestrâ ipsi pertractanda sint. Vale, & diu amantem ama. *Guelp.* 8. Aug. 1648.

Cl. T.

Studiosissimus.

EPIST. CCCLVIII.

Felicitatem prosperam!

QVàm diligenter priſtinam adhuc conſue-
tudinem in amandis atque promovendis
Studiis meis, tum etiam deſiderium co-
es exoptatæ præſentiæ meæ adhuc ſerves,
: proximis tuis literis ſatis perſpicere licuit.
deò, ut non mediocris mihi adhibenda cura
:, quomodo maximo hoc affectu tuo dignũ
e præſtem, inq; amicitiâ tuâ ſatis memorem
que gratum. Vtinam ſerus aliquando ve-
er ferat, ut amorem ego meum, quem in
culto quaſi habeo, coram tibi manifeſtare,
in claram lucem proferre, tibi autem mul-
m exoptata tandem ex voto obtingere poſ-
nt. De promptitudine & ſtudio tuo, quod
me habuiſti ſemper, nullus dubito; an ve-
arne, qui nemini unquam ſuam benevolen-
am denegavit, illiteratos quoque amicitiâ
gnos ſuâ judicavit, is me repudiet? Mini-
è, cùm potius hoc fieri ſoleat, ut quò quiſq;
ingenii dotibus maximè excellit: eos, qui
rundem ſunt admiratores & amantes, amo-
perſequatur. A fratre noſtro *Rudolpho Au-
ſto* nihil interea literarum, quæ me de ſtatu
ius loci erudirent, accepi; quid eum impe-
at, ſatis mihi non conſtat. Interim quàm
ptimè vale. *Guelpherbyti*, d. 22. Auguſt: An-
) 1648.

Cl. Tuæ

Cupidiſſimus.

Dn. Im-Hof & Informator noſter dile-
ctus Tibi viciſſim ſalutem adſcribi ju-
bent.

EPIST. CCCLIV.

S. P. C.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

ETsi nihil literarum jam abs Te acceperim, memor tamen, me in ære Tuo esse, & literas debere, has effudi, ut quanto Tuarum desiderio tenerer, testarer, & vel intempestivis meis, eas prolicerem, quàm aliquid serii adferrem. Scribam igitur quid per somnum *viderim, sive diuturnis nostris de* PACE *cogitabas phantasia onerata & oppleta, sive Dramate illo vestro quatuor abhinc annis in Aula paterna acto, & nunc demum typis exscripto, æneisque tabellis affabrè expresso, informata. Ita verò vidère mihi visus sum. Post triste horridumque silentium densasque nebulas prodibat* Expectatio, *sursum oculos elata, manibusq; ad preces plicatis, boni novi nuncia, quam ponè sequebatur* Pœnitentia *pulla, vultu ad terram demisso, & pugno pectus pulso, cui ad latus soror* Emendatio, *candida stola, & vultu erectiore. Inde succedebant* Concordia *&* Acquiescentia, *mutuis nexibus implicata, consertisque manibus fœdus inter se subinde sancientia. Ac tum apparebat humana facie augustior* DEI reconciliatio, *remissionis & culpæ & pœnæ diploma manu ostentans, cui combinata* DEI benedictio, *copiæ cornu ubertim diffundens. Post incedebat purpureâ veste* Religio, Veritatis *faciem protendens &* Verbum *scriptum explicans, Cui socia* Disciplina, crucis *bajula, &* fræno *cohercita, quibus conjunctæ* Fides *&* Charitas, *additæque pedissequæ* Opus *&* Officium. *Tunc verò* Germania *sese efferebat, pallida equidem & exanguis, nec pro dignitate sua exculta, sed quæ oculos adhuc ad*

aquili

iquilinos *emitteret*, & leoninum *cor sinu tectū* *ereret, ad utrumque latus* Pacto, & Candore *ulta. Insequebantur* Iustitia & Temperantia *iu exules, & captivæ, nunc liberæ & confractis ompedibus ovantes, quorum vestigia premebat* Restauratio & Amnistia *novi seculi instrumen-is onustæ. Ac tum demum* PAX *ipsa, pax alma, ax tot votis petita, tot studiis quæsita, impensis enta, nisibus obtenta, aureo curru invecta, subli-is emicabit roseo vultu*, oleam *una*, sceptrum *lterâ manu protendens*, & *ad* Vnitum imperiū *landè cunctos invitans. Sive sponte suâ procede-it currus triumphalis, sive trahi mihi videbatur* Columbæ & Serpentis *biga. Rotæ verò qua-tor mihi notatæ sunt*, Literatura, Mercatura, griculura, & Opificina. *Ornamenta currus ræcipua erant* cœli favor, & terræ decor, *pacis tera claudentia. Aderat etiam* Pragmatica *ca-sæ inclusa*, & Germana fides *quasi fœderis arcæ uperimposita custos. Circùm verò plaudentes se gerebant Gratiis immixti* Exules, *proscripti, ugitivi, extorres, expectantes, desiderantes*, & *genus alii, quos Pacis reditus post tot dura di-que recreare, & restituere poterat, pæana can-ntes, & multùm sibi gratulantes. Demum in-lix illud & execrabile* Bellonæ *monstrum re-inctis post tergum brachiis trahebatur*, Apistia & Asotia *bipes, bipedum nequissimum, hianti is voragine, & omasum, quod tot terras, tan-mque sanguinis demiserat, ceperatque medium uptum, cujus tergum denudatum flagris certatim niabant*, Fas, Ius, Lex, Mos, Virtus, Honos, Census, Ars, Genus, & *quos alios discernere on licuit, tanto clamore & strepitu, ut excitatus vigilaverim. Atque en! quid vigilans somnia-erim. Tu verò* ingeniosissime Princeps, *vel dolis Tuæ sagacitate, vel penicilli artificio, quid*

ſibi hoc velit ſomnium, quæſo explica. Quod cùm mihi erit longè jucundiſſimum, tùm Tibi ad teſtandi ingenii ſolertiam, vel artis peritiam ampliſſimum, quæ Tu ſpectare atque reſpicere in omnibus rebus ſoles, omnibusque cogitationibus eò contendere, ut non ſolùm Tui ævi homines, ſed omnes etiam poſteri, Tuum nomen ſint, & memoriam celebraturi. Inclutum fratrem, Dn. Rudolphum Auguſtum, *quoties licet, ex me reverenter ſaluta, & memorem mei ſerva, cui* Chriſtus *propitius adſit, ſed & Tibi, in quo vale & fave*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 13. Sept.
1648. *Cultori devotiſſim*

Epist. CCCLX.

Felicitatem proſperam!

Excuſationem Tuam, *Vir Cl.* quam ob mo ram in ſcribendo leviſſimam adfers, vi & legi. Quæris quid ſentiam? *Inſtitutu hoc* Eccleſiaſticum in diœceſi veſtra, ut ſumm neceſſarium, ita ad ſtabiliendam miniſtroru ſinceritatem & vitæ ſanctimoniam utiliſſim dico. Cùm diligentiſſimâ hac curâ & inſp ctione, quicquid incremento & decori Eccl ſiæ adverſum videtur, profligari, & quod ia penè collapſum, iterum erigi, atque ad priſt nam ſtabilitatem & nitorem reduci facilin poſſit. Abſit igitur, ut quicquid mihi temp ris tribuas, quod illi quocunque modo dec dat. Maximè cùm ſeria hæc & ſalutaria ne tiquam cum nugis noſtris conferenda, ne du iis poſtp onenda ſint. Pulchrum profectò e ætatem vivere in ſubditorū animis *eorum m moria*

oriam, quæ Principes olim ad publicam salu-
:m & conservandos subditos egregiè contu-
·runt. In quo excelluisse scribis laudatissimū
:HRISTOPHORVM nostrum, atq; ita ex-
:lluisse, ut solus ferè omnes vinceret. Quæ
:rtè laudes mortuorum sunt quasi quoddam
men, ex quo vivorum vel successorum vir-
ıs vel habeat succum, quo vigeat, vel vim
ıandam, quâ æternùm vivere possit. Quod
oneri vis apud dilectum Fratrem nostrum,
:rabo libenter, quam-primùm occasio sese
ɔtulerit, nec ipse dubito, quin abundè sit
mpensaturus, quæ hactenus ab eo intermis-
fuerunt, quando domum redierit. Vale.
telpherbyi I, d. 18. Septemb. Anno 1648. sta-
n à Tuis literis acceptis.

Cl. T.

Studiosissimus.

Epist. CCCLXI.

S. P. C.

I nihil aliud esset, hodiè quod agerem, Illustris-
ıssime & Celsissime Princeps, Domine longè
clementiss.me, *imò quicquid etiam negotiorum*
et, hoc imprimis agerē, ut de natali Tuo XVI.
bi gratularer, & ut feliciter Tibi illucescat, Deo
t. Max. vota facerem. Est hic Tibi annus sca-
ris, *utinam quàm ætatis juvenilis, ita profe-*
ıum in omni virtutum & disciplinarum genere;
t in serie arithmetica sexti initium, *post se*
Undecim Solis revolutiones relinquētis, & XXI.
o, sex aliis lætis & auspicatis finiendi. Est du-
e proportionis quartus, *cui quintum XXXII.*
ætatis DEVS propitius, imò quintum LXIV.
sextum CXXVIII. addat, ultra quem ausim pre-

cibus ascendere. Sed quid numeris ludo, id potiu non insuave sit Tibi audire, cùm arte pictoriâ impensè delecteris, ipseque ei grave magnatum alio rum exemplo manum non infeliciter adhibeas, ho Tuo natali Lucam Cranachium: *inter primo Germaniæ pictorem conspicuum, Anno Ch.* 1515 *natum, Virum non tam artis excellenti peritia quàm prudentiâ & rerum usu celebrem, & ob i Patriæ suæ VVittebergæ Consulem, tanti à* Carolo V. *maximo Cæsare victore, habitum, ut in eju gratiam ab incendio & direptione Vrbis jam de mnatæ abstinuerit, & unà sanctis* Lutheri *cin ribus à vi & injuria caverit. Eadem etiam d natum* Helium Eobanum Hessum, *inter ren tos Germaniæ Poëtas facilè primum. Anno salut* 1540. *utrosque sanè propitio non Mercurio & M nervâ editos, sed illo quod vates & artifices affi re jam olim suevit, Numine excitatos, post eru tos, & dehinc instructuram & ornamentum D* minicæ domus, *productos, quibus æterna fa debetur, nullis terrenis facultatibus comparanc Quam eandem Te si quo cepisti recto talo subsista expectationemque de Te nostram maximam i pleas, minimè dubito. At dum hæc scribo, Tuæ veniunt* 18. *Sept. superioris scriptæ, quibus, d* Ecclesiarum *nostrarum diligentem & seriam i* spectionem *probas, & ejus authorem, Sapient simum quondam* CHRISTOPHORVM, *Pri cipem nostrum laudas, facis ut quantum accur judicio Tuo debeamus, & optandum pluribus h sensum, iis potissimùm, qui ad rerum gubernac destinantur, intelligamus. Dn. Fratrem* Rud phum Augustum *DEus sospitem reducat, Te vum diu servet, nos sibi asserat, & æternùm b Vale & fave* Ill. Cels. Tuæ

Stutg. 4. Octobr.
1648.

Clienti devotissin

EPIS

EPIST. CCCLXII.

Salutem plurimam!

GRavia Te somniasse *Vir Cl.* non est dubiũ, ad quæ commodè explicanda, non ego, sed alius quispiam è Parnasso accersen-us erit, aquis Castaliis benè potus, & qui lanius, verbisque satis dignis hæc interpre-ari sciat. Vt autem ostendam, qui sit meus uoque de hoc sensus, puto me non seorsum uid abs Te allaturum esse, si dixero omnia a statum *patriæ nostræ* concernere partim præ-eritum, partim etiam præsentem & futurum, uomodo ille comparatus fuerit, & adhuc omparatus esse debeat. Sunt qui *somnia* aliàs on adeò curanda esse dicant, cùm plures sæ-è fallant, & falsis mentem visis concitare so-ant. Ego verò ex hoc colligere ausim, nihil inus jam quàm *pacem* nobis expectandam le, cùm tamen misericors ille DEVS pro *im-ensâ* sua *benignitate* etiam plura, quàm pro-eriti sumus, nobis largiri possit. Quæ enim quanta series eorum, quæ pacem *præcedere* ebent? Emendatio, Concordia, Fides, Ve-tas, Candor, & alia hujus generis, quorum x umbram apud nos dudum conspectam isse, gloriari possumus. Nisi itaque hæc pe-nde ut animo Tuo prius sese nobis sistant, & uasi prævia semitam certiori vestigio ape-ant, vix ea, quam toties in amplexus nostros xoptavimus, Pax alma subsecutura est. uàm libenter illud *Bellonæ* monstrum ad ul-imas columnas illas, & si quid ulterius revin-um vellemus, ut terra nostra horrendis ejus umultibus quassata ac penè subversa, pauli-er restaurari, & tranquillitate quâdam frui

possit, sed liberâ adhuc manu crudeliter in no
sævit, & præcipuas tristi hoc rerum statu vice
sustinet. Rariores jam à Dn. fratre meo acci
pio literas, quòd si ad eum scribendi occasi
fuerit, omninò Tui quoque mentionem fa
ciam. Aliàs nobis nondum constat, quand
ad nos rediturus sit. Cura ut valeas. *Guel
pherbyti*, 10. Octob. 1648. Dn. Im Hoff & In
formator noster dilectus vicissim Tibi ac Tui
felicissima quæque precatur.

Cl. Tuæ

Studiosissimu

Epist. CCCLXIII.

S. P.

TAnto vehementiori amore Te vicissir
complector *Vir Cl.* quanto majori relligic
ne vota pro *natali* exsolvis, quem quous
que extendere velit summus rerum modera
tor, mihi perinde erit; quamvis aliàs sint, qu
bus hæc lux & cœli hujus spiritus (hâc cum
primis ætate) adeò jucundus videtur, ut po
tius dies suos ultra humanæ eruditionis te
minos prorogatos, quàm tàm brevi curricul
circumscriptos velint. Libenter audio eodei
mecum anni tempore ante complures annc
natum *Lucam Cranachium* pictorem omni ten
pore celeberrimum, cujus aliquot diversi ta
men generis, cælaturas possideo, & plures ac
hucdum anxiè conquiro. Fuit nî fallor is ips
quem nuptiis quoque interfuisse scribit *B. Lu
theri*, Vir de Germaniâ nostrâ optimè merit
P. Melanchton (in ep. Græcâ ad Camer: p.3
p. 114.) quem in hujus rei testimonium cit

D. Mü

D. Müllerus Ecclesiastes Hamburgensis, in libello suo, quem non ita pridem edidit, contra adversarios nostros, doctrinam, vitam & mores *Lutheri* graviter perstringentes. Nudius tertius, quod Te scire maximè velimus, *laudes atque gratiæ publicè* hîc instituta ac solenniter peractæ fuerunt *DEO Tranquillitatis omnis Auctori benignissimo*, quod PACEM tot hominum suspiriis ac votis calidissimis toties exoptatam tandem clementissimè nobis concedere voluerit. Faxit is, ut cessent imposterum quoque omnia malè feriatorum collegia, & fraudulentæ molitiones, tamque amœna inter nos semper quies sit, ut nemo, quòd vulgò loqui amant, ne mures etiam rebelles audiat. Quâ spe certissimâ & planè exploratâ jam omnes fruimur, & de felicissimo successu nobis invicem ex animo gratulamur. Vale & quoniam heri nonnihil occupati fuimus, nunc tantùm salutem, proximè verò responsionem etiam à Dn. Fratre meo habebis. Scribebam raptim d. ult. Octobr. 1648.

T. Cl.

Studiosissimus.

EPIST. CCCLXIV.

S. P. C.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

V*Ota mea pro* natalis *Tui felicitate non ingrata fuisse ex Tuis lubens intellexi, quem auspicatum recurrere sæpiùs DEVS jubeat, non sibi tantùm, sed infinitis aliis, quorum saluti & commodis es destinatus, nam vivere sibi, cujusvis*

 est,

est, sed aliis atque quamplurimis, Principum *quorum salus aut pernicies in iis vertitur. Quo magis seria pro* Augustissimo Patre *Tuo longævitatis vota facimus, ut quem* DEVS boni Principis exemplar *seculo huic concesserit, eundē quàm diutissimè Vobis, nobisque vivacem servet, ut sub eo ad optimam formam excrescatis, Patrem olim exactè relaturi, ad nos verò fructus tàm eximiæ Pietatis, Sapientiæ, Prudentiæ, & Liberalitatis quæ exulare passim videntur, redundent.*

Cranachium *Tibi in deliciis esse, facilè credo, non tàm arte, quàm integritate & judicio suo seculo magnum*, de *cujus cum* maximo Luthero *arcta & honesta amicitia ex literis utrinque missis constat. Atque en cæli sui* tyrocinium, *jam anno* 1510. *datum, ut quantum post profecerit dignoscas, summosque artifices non unâ die natos esse intelligas. Cui comitem addidi* Dürerum, *unum nostro seculo incomparabilem, & cui omnes subsequuturi palmam libenter concedant. Atque utinam ex chartis meis quæ Tibi allubescant, eligere præsenti aliquando liceat, beatum me profectò putarem, qui parasse me Tibi, genioque Tuo ingenuas delicias dicar, & felicissimè locasse, crederem.*

Quatriduo post Vestra Eucharistia pacis solennia *nos* nostra *habuimus, secundo sc. hujus; sed quæ mihi minus læta fuere, quod octiduo ante cùm in parato festivitatis essem, in publico lapsus femur sinistrum adeò afflixerim, ut domi detento nullæ ministerii partes fuerint, gaudiisque publicis misceri gemitus meos necesse habuerim. Convalui tamen propitio DEO, & soteria mea solvi.* Pacem *verò is nobis consolidet, fidamque reddat is unus, qui supra fidem nostram, & voluntatem aliorum, tandem confectam dedit, quocunque etiam pretio ea nobis stet, & post amaras illius radices, fructus*

fructus dulciores posteritati nostræ reddat. Restitutum *enim* Germaniæ florem integrum *videri, non Senilium, sed juvenilium oculorum auguror, quos Tibi lætos ex animo opto, ipse ad superna spectacula abiturus, ubi* Pax vera sine fine regnat. *Invocandus autem nobis est DEUS, ut in hâc difficili & postremâ parte ætatis mundi, stabiles nos & integros conservet, ne à mentis tranquilitate, quæ Pax summa est, & via salutis usquam aberremus. Is Te* Principum florentissimum Incluto Fratre Dn. Ferdinando Alberto, *cui quantum Tibi, salutis ex animo precor, servet, instruat, & adhibeat in Orbis præsentis ac futuri felicitatem. Valete & favete*

Ill. C. C. V. V.

humillimo Clienti.

Informatori Vestro, cujus in Vos officium, in me amorem, magni facio, amicissimam salutem adscribo. Stutg. 22. *Nov.* 48.

Epist. CCCLXV.

Felicitatem exoptatissimam!

Leves *Vir Cl.* conjecturas meas à Te visas & lectas tantum apud Te potuisse, ut dilucidiorem mentis & somnii Tui expositionem demereri quiverint, seriò & ex animo gaudeo. Vtinam autem, quæ de *Pacis* amabilitate & jucunditate diu hactenus inter nos egimus, etiam Vobis afflictissimis aliquando contigisse, experiri liceat. Sed obliterato ferè iterum illius nomine non nisi pessima & adversissima quæque ad nos perferuntur de immanitate militum hiemantium insolita, ac an-

tehac ferè nunquam comperta; quàm mali-tiosè itidem ea, quæ tanto studio, labore ac impensis hactenus felici successu transacta fuerunt, à nonnullis intervertantur, & si quid aliàs inhumani occurrit, quod ad tam læta nuncia nemo unquam expectâsset. Vt nondum adhuc nobis constet, quid sperare aut cujus fidem implorare oporteat. *Aurea* itaq; *tempora* nobis non pollicemur, quæ iis dudum concessa fuerunt, quibus mens pura atque integra erat; modò non reserventur etiam *plumbea*, cùm segnes & planè tardi simus, ad ea quæ retributione digna, & veterem illum nitorem nobis reddere possunt. DEVS omnem immunditiem cordibus nostris abstergat, & nostri tandem misereatur, cujus protection ardentissimis votis nos commendo. *Guelpherbyti*, 27. Novemb. 1648.

Cl. Tuæ

Studiosissimus

Quibus Tuis verbis salutem dixi, una cum Dn. Fratre meo vicissim Te hi officiosè salutare jubent.

EPIST. CCCLXVI.

S. P. C.

Illustrissime & Celsissime Princeps
Domine longè clementissime,

Solas quidem jam Tuas, sed eò amabiliores acci pi, quo in Te unum fratrum etiam, si quod eff suscipere officium, & humeris ostendere paren placuerit, unaque favoris Tui constantiam & fa cilitatem, ostendere, quo nomine & Tibi, & quo rum

[T]uis vices gessisti plurimum debeo, ac ne quid Vobis ex scriptione tædii subrepat, ut alter alterius negotia otiosior suppleat, majorem in modum rogo. Pro Pacis tàm diu desideratæ, *sapidioribus, quàm quos in præsens gustamus fructibus, Vota tecum communia facimus.* Aurea *ut expectemus* secula, *frustra est, nutante jam* Monarchiarum Colosso *mixtis ferro, lutoque pedibus, & ruinam minitante, quam impavidi ut præsagium appropinquantis æternæ Pacis, operiamur. Qui aliter somniant, idem mihi facere videntur, ac qui decrepito* senio, rejuvenescentiæ *robur, sanitatem, alacritatem, & hilaritatem sibi pollicentur. Caduca potius nostra, & jam jam cadentia, at mox cum ipso hoc Universo corruitura credamus,* & *erectis capitibus* adventum liberatoris Domini nostri *expectemus. Labentem hunc* annum *Tibi, Fratribus, & Serenissimæ Domui feliciter effluere, aliumque longè feliciorem, & omnibus bonis abundantem ex animo precor, & valere Vos jubeo,*

Ill. Cels. V. V.

Rutg. 20. Decemb 48.

Cliens humillimus.

Dn. Ephoro & Informatori V. officium & amorem cum salute offero.

EPIST. CCCLXVII.

Salutem plurimam.

Gaudium mihi à literis Tuis, *Vir Clar:* quæ ferè nunquam aliquo munusculo destitutæ ad me pervenire solent, quo ego ceu insigni voluptatis genere oblecter, & supellex meá pictoria ab exiguis initiis profecta maxi-

mis quotidiè auctibus crescat. Sed majus mihi gaudium ab illâ Tuâ promtitudine, quam insuper ostendis, & omnes, quos adhucdum possides, elegantias Tuas evolvendas & perlustrandas committis. Nullum, crede mihi, gratius officium exhiberi posset, si vel maximè talis aliquando sese offerret occasio, quum mirificè hisce inhiare soleam, & ne fortè quid horum malè pereat, plurimas ejusmodi, divers tamen generis & artificii picturas diligentissimè aliquot assererem. Et adversitatibus & senectâ pariter quassatum, Te non ita pridem procidisse non libenter audio. Modò jam iterum valeas & pristinam membrorum firmitatem serves. Animum illum Tuum religion & cultui divino addictissimum inconcussum nihilominus mansisse, nulli dubitamus, quin potius cum hoc & similibus infortuniorum generibus erectum atq; firmatum credimus qui insignem pietatem Tuam perspectam habemus, Teque hisce sustinendis peritissimum novimus. Quibus finio, & de incolumitat pristinâ ex animo Tibi gratulor. *Festinâ manu* d. 19. Decembr. 1648.

Cl. T.

Studiosissimus

Dn. Frater & Informator dilectus noste Te vicissim plurimâ impertiri salut petunt.

V. Cu

V.

Cum Principe FERDINANDO ALBERTO.

Epist. CCCLXVIII.

Felicissimum novi anni auspicium.

ANimi mei dolore factum est, *Vir Cl.* quòd aliquandiu nihil ad Te literarum dederim, & aliàs etiam non viderim, quid magnopere esset scribendum. Ideò in paulò liberius ocium negotiolum hoc distuli; atq; eò confidentius, quò crebrius fratri meo dilecto assidebam, & adversam ipsius valetudinem ad animum mœstum revocabam. Nunc autem seclusis ambagibus debitum exsolvo, & ad ternas Tuas breviter respondeo. Vidi & legi, quæ omnia mei causa Te facturum polliceris. Eximia certè amoris & benevolentiæ in me Tuæ specimina, quæ ad nulla non officiorum genera me paratissimum efficient; Proprium etiam hoc verè magnorum, non tam sibi natum esse, quàm aliis, & suorum magis consulere utilitati, quàm privatæ; perindè, ut arbor pomis gravida, quæ ramos demittit, & ad carpendum alios invitat. DEVM rogo, in quo & à quo omnis salus, ut bono publico & utilitati aliorum, quibus natus es, diu Te servet incolumem. *Guelpherbyti*, III. Idus Ianuarii, 1648.

Cl. T.

observantissimus

FERD. ALBERTVS

Dux Br. & Lun.

Epist. CCCLXIX.

Fortunam prosperam!

Vix diem abiisse dixerim, *Vir Cl.* quo non creberrimè mihi in mentem veneris, qui tam multis, & variis studiorum generibus me Tibi devinctum teneas. Tanta tamen apud me nihilominus fuit religio, ut solus occupationibus Tuis gravissimis importunius obstrepere, aut interpellatione meâ moram injicere noluerim. Sed vicit tandem affectus, ut literis dilectissimi fratris mei meas quoque nunc adderem, easque quasi comitarer. Ardeo enim cupiditate exercendi me, & compensandi cumulatissimè, si quid in amoris & observantiæ genere à me hactenus fuit intermissum, quamvis non ignorem, vix adeò languere amorem utriusque nostrum, ut frequêtioribus literarum alloquiis foveri cùm sit opus, Tu itaq; *V. Cl* ardorem hunc meum meliorem in partem interpretari, & si quid subcisivi temporis nactus fueris, inposterũ quoq; benignè mihi concedere velis. Ita fiet, ut in accepti tabulas benevolentiam hanc iteratam referam, & tibi novo nomine sim obstrictissimus. Vale. *Guelpherbyti*, Kalend. Februar. 1648. *Cl. T.*

Observantissimus,

Epist. CCCLXX.

Illustrissime & Celsissime Princeps,

Domine longè clementissime,

Qvòd afflictæ potius valetudini amantissimi fratris assidere, eamque idoneis officiis mitigare, quàm occupari literis ad me scribendis, malue-

diueris, equidem laudo. Etsi enim hæ Tuæ mihi pretio maximo, ita desideratissimæ sunt, tamen od pietas *ipsa jubet, quod* vices *rerum huma-rum poscunt, omnibus nostris commodis & desi-riis præferenda sunt. Et quid rectius egeris, àm amorem fraternum testari, qui condolendo versis, & applaudendo prosperis, maximè emi-t. Nunc primæ hæ Tuæ hujus anni literæ satis ofectò auspicatæ, mihi sunt, quod affectus Tui in :, & propensionis, novam quasi fidem faciant, t animi securus accipio, tanquam ejus experi-enta opere ipso generosissimo jam perspexerim; jus facilè primarium specimen arbitrabor, si a-d Inclutam illam, & nomine & omine*, SO-H IAM Serenissimam Matrem Tuam, Do-inam & Heram meam benignissimam, *com-onefactionibus & blanditiis Tuis, gratiam il-m, & clementiam, quam pridem sum expertus, credibilem, fartam, constantem, & perpetuam ibi servaveris, cui contrà preces meas devotis-nas, servitia dedicatissima, encomiaque tam ra-virtuti debita, obnoxia, omnia, & sacrata esse lo. Tu verò* florentissime Princeps, *in bonæ ugis arborem & speciosissimam & spatiosissi-am feliciter excrescas. Vale & fave*

Ill. Celf. Tuæ

ntg. V Eidus Febr.
1648. *Clienti humillimo.*

EPIST. CCCLXXI.

Felicitatem interminam!

REctè omninò fecisti, *Vir Cl.* quòd hanc co-gitationem causâ nostrâ susceperis, & quod potissimum nobis jam incumbat, in-genio-

geniosis inventionibus Tuis planissimè ob o-culos posueris. Novimus Te, ut in cæteris ita in his quoque rebus acutissimum & sagacissimum, adeò ut feliciori nostrorum operâ nobis non sit opus. Ita enim non assuevisti solùm, sed natus es, ut libenter te impendas, sæpè etiam gravioribus relictis, in commoda nostra. Spem atque votum mei causâ suscéptum ratum faciat *Benignus ille Pater*, à quo omne, quod alicujus in hoc mundo momenti esse solet, unicè expectare debemus. Alia quæ vulgus miratur, & penè stupet, ludibria fortunæ magnoperè non expeto; satis interea beatus, si me *virtus* comitetur, & *bonorum amor*. Illa enim præ aliis mihi curæ quippe quorum ope & suffragio memoriam nostram quàm maximè longam & latam efficere possumus. In quâ mentis intentione acquiesco & DEUM ter Opt. Max. pro felici rerum successu supplex convenio. *Guelpherb.* 8. Cal. Martii, Anno 1648.

Cl. T.

Observantissimus

Epist. CCCLXXII.

Illustrissime & Celsissime Princeps Domine longè clementissime,

Etsi me fortasis à crebrioribus literis excusare possem, ne oneri Tibi, Tuisque Studiis esse videar, tamen cùm postremis Tuis me ultrò in arenam provocaris, malui inermis comparere quàm rusticâ detrectatione, elegantias Tuas, quas in deliciis habeo, perdere. Accesserunt nunc aliæ 8. Kal. Martii datæ, quæ hoc magis me Tibi devinctum

iunt, quò Te video ad generosum hunc ausum, uem Symbolo *meo indigitavi, accinctiorem, sc, t fortunam Tuam per se magnam ipse virtute ugeas; Masculum hoc est, sed non nisi Auspice umine impetrandum, quod ut propitium habeas, earum erit partium, assiduis illud precibus me itigare, ut Iosephi* innocentiam, *Davidis* rectiidinem, *& Salomonis* docilitatem, *cum Daielis* patientia *obtineas, hisq; gradibus, staturâ, pientiâ, & gratiâ apud Deum atq; homines procias, ipsumque* Virtutis culmen *ascendas, quò e felix genius Tuus*, Patris *vestigia celebratissia, & fidus Informatorum Tuorum (quos salvere ibeo) conductus provehent. Vale & fave* geerosissime Princeps

Ill. Cels. Tuæ

utg. Idibus Martii
1648.

Clienti humillimo.

Epist. CCCLXXIII.

Salutem plurimam!

QVòd paulò infrequentior hactenus fuerim, *Vir Cl.* prolixiori excusationum formulâ non opus esse puto. Varia enim, ıæ intervenire solent, avocamenta, tum etiã :gotia Tua gravissima, quæ intempestivis eis disturbari fortè possunt, facilè apud Te niam impetrare poterũt. Quin etiam abun: eam nunc mihi concessam audio, quod eò cundius auribus meis videtur, quò veheentius amicitiam inter nos integram & infensam cupio, fidem animi Tui in me pronsissimi faciunt, præter alia studiorum geıra etiam ista, quæ nunc ex abundanti quasi iterum

iterum polliceris. Tantum verò abest, u
quempiam Te, præsertim Virum insignem,
in hâc palæstrâ exercitatissimum, provocar
velim, ut potius quocunque modo pugnan
detrectare & effugere tentem, ne vel turpit
succumbam, vel alio modo justas temeritat
pœnas exsolvam. Quæ autem hactenus à m
profecta sunt, lusus tantùm pueriles esse cre
das, infantiam meam exstimulantes, ac ben
volentiam Tuam studiose aucupantes. Va
& eandem mihi persevera. Exarabam 1:
Martii, 1648.

Cl. T.

Observantissimu

EPIST. CCCLXXIV.

Fortunam prosperam!

NOn tam gravia sunt Studia mea, *Vir Cl.* u
familiari compellatione iis oneri esse po
sis, imò putaverim, ea potius succumbe
re, si isthâc destituta fuerint. Musa enim me
circa extremum adhuc littus natat, & ut altiu
tandem provehatur, non nisi creberrimo exer
citio, ceu commodo studiorum remigio opu
habet. Quòd si autem provocatum te fuisi
putas, factum illud erit non meâ intentione
qui tenuitatis meæ probè conscius, tale qui
suscipere non ausus sum. Quicquid tame
sit, illud, quod scribendi munus suscepimus
imposterum quoque ita adornabimus, ut Tu
quod egregiè facis, monitis Tuis saluberrimi
ad optima quæq; me perducere non desinas
ego autem, quæ usibus his meis destinat
sunt, cupidissimè arripiam, & in succum a
sangui

sanguinem meum convertam. Votis, quæ pro incolumitate meâ, omnique bonorum incremento nuncupas, annuat ille, qui uberrimè gratiam ejus implorantibus, opem suam largitur. Nihil enim ferè extremâ hac temporũ inclinatione tam necessarium, quàm *animum habere erectum*, & *defæcatum*, & ab omnibus hominum piaculis alienum. Vale & fave

Cl. T.

Guelph. 18. April.
Anno 1648. Observantissimo,

Epist. CCCLXXV.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

CVm eadem ad Te pertineant, quæ ad Illustrissimum Dn. Fratrem Tuum Anthonium Vlricum *scripsi, supervacuum sit, ea repetere, quòd fraternus Vester amor nihil indivisum relinquat. Sed nec oneranda est ætas Tua tenerior multis verbis, potius fovenda, & roboranda nervosioribus, & selectis, quæ utinam ego adferre possem, qui verò ex senio & langnore totus hebeo. At domi Tibi hæc feliciter nascuntur, sub eruditis Informatoribus, pluraque succrescent, cùm doctrinas quæ in ore & verbis, in pectus transmiseris.* Vt verò floribus alii ad odorem, aut aspectum tantum utuntur, Medici etiam ad sanitatem; Ita præceptis sapientiæ & donis literariis non ad voluptatem, & famam est utendum, sed mentis sanitatem, & publicam salutem. *Quibus cùm per Te feliciter proficias, non habeo quod agam aliud, quàm applaudam progressibus Tuis, aliaq; atq; alia incrementa à* D E O

propi-

propitio Tibi apprecor. Ita Domum Tuam, *qu. Te extollit, ornabis ipse; Serenissimi Dn. Patri* famam *augebis;* Vicem *ipsi Patriæ Tuæ rependa gloriosè. Faxit id Christus, qui Te salvet, flori dumque servet.*

Ill. Cels. Tuæ

Cliens humillimu

Stutg. ex *Seleniano meo*, quo me ob Bellonæ strepitus recepi, Anno 1648. 19. Aprilis.

Epist. CCCLXXVI.

Fortunam exoptatissimam!

NÆ tu egregiè saluti & utilitati meæ studes, *Vir Cl.* qui nullum intermittis idonei tempus, præceptis ac monitis Tuis fidelissimis informandi, ætatem meam ad Virtutem, & res quasvis optimas. Ego autem quid facio? Idem quod apes, confero, & stipo doctrinæ tuæ liquentia mella, quæ carptum eo per amœna elegantissimarum Tuarum literarum prata: haud leve Studiorum meorum oblectamentum, quod potentius ad altiora me trahit, quàm Magnes ferrum! Vix enim aliter fieri potest, quàm ut ad Eruditissimorum familiaritatem me insinuans, dotes illorum tacito ac leni quasi fluxu in me recipiam, vel auctior ab ipsis quocunque modo recedam, sicut illi, qui per Solem incedunt, aut colorem mutant, aut ad minimum adurentem ejus calorem sentiunt. Vale & me Tui amantem vicissim ama. Ab Informatore nostro dilecto plurimam salutem Tibi subscribo,

o, qui cultum & studia sua Cl. T. officiosè ffert. Scribebam III. Calend. Iunii, 1648.

Cl. T.

Observantissimus.

Epist. CCCLXXVII.

llustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

I quantum Tibi est ad discendum docilitatis, tantum mihi ad docendum esset eloquentiæ, scriberem equidem ad Te & frequentius & coiosius, quòd non tam ferre meas literas, sed iis tiam Te affici intelligam. Etsi enim domi cum ræceptis, *tum* exemplis Virtutis *abundes, nec iuti Tibi vocalesque Magistri ad omnem Erudiionis paratum desint, amas tamen & meas quascunque instructiones, certus, ni fallor, si minus b erudito, sanè Tui observantissimo & commodis uis dedicatissimo eas proficisci: Scribo ergò non am imperio tuo adactus, quàm animi Tui generoßimi in me propensione prolectatus, ingeniumque uum, à quo nihil mediocre, sed omninò magnum amen expecto*, pietatis & modestiæ præceptis *ibinde demulceo, quod, quæ naturâ sunt præstanißima, institutione inprimis egeant, è quorum generosißimorum exemplo, qui cùm animosi & acres int, si ab ineunte ætate domentur, utilißimi & ræstantißimi fiunt, sin relinquantur indomiti, efrenatißimi & pravißimi.* Virtus *enim* etiamsi uosdam impetus ex natura sumit, tamen erficiendam esse doctrinâ, *Quintilianus ait. it Seneca*: Nihil tenue & exile capiunt ingeia ignea, & fervida, sed imperfectus ille vior est, ut omnibus, quæ sine arte, ipsius tantùm

tùm Naturæ bono exurgunt, sed nisi citò domita sunt, quæ fortitudini apta erant, audaciæ temeritatiq; consuescunt. *Quòd igitur me præter cæteros Doctores Tuos libenter audis, fideique meo & studio non parum tribuis, fructus mei officii eos mihi polliceor, de quo Tibi aliquando, imò brevi gratuler, mihi gaudeam, & largitori Bonorum omnium DEO, gratias immortales feram. Vale* floride Princeps, *& fave*

Ill. Cels. T.

Calvæ 11. Iunii, 1648.

Clienti humillimo

Informatori Tuo cum amica salute omnem animi promptitudinem despondeo.

EPIST. CCCLXXVIII.

S. P.

NOn leviter me affecit, *Vir Cl.* quum ex literis tuis intellexi, non ingratam tibi etiam levem hanc & qualemcunque literarum reciprocationem. Semper mihi quidem hic animus est, crebrioribus te compellandi. Sed nonnunquam vel adversa valetudine, vel aliis, quæ fortè intervenire solent, impedimentis, tempus mihi præripitur. Cùm autem importunè officiosas hasce literas meas tanti facias, age fiat, & sæpius te imposterum quoque conveniam, exemplum hoc in negotio fœneratorum spectans, qui non libenter commodum prætermittunt tempus, quo fœnus agitare suum, & in usuris extendere possint. Ita enim certò mihi persuadeo, me hoc quamvis levi impendio, locupletiorem tamen omni

mnibusque virtutum honestissimarum præ-
otis auctum à te recessurum esse; cùm tan-
storum polleas affluentiâ, ut tenuitatis,
am honestâ prætendis speciei excusatio lo-
m habere non possit. Injuriam me facere
n crediderim, cùm & seriò hoc velis, & ad
ndem mecum scopum collimare videaris.
le & amorem illum tuum mihi persevera.
ibam *Guelpherbyti* d. 11. Iuli 1648.

Cl. Tuæ

Observantissimus.

Epist. CCCLXXIX.

S. P.

lustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

Vas sum pollicitus liberiores literas, Florentissime Princeps, *nunc solvo, non à materia elegantiore fœtas, nec acutiore stylo comptas, quas ipse poscis familiares & extemporaneas, deesse meo officio, aut negligere vestrum bene-ium videar, ab utroque vitio meritò culpandus. mo autem Vestras literas ut quàm maximè, & ter delicias senii mei & invaletudinis pono vo-cum nugari. Ita enim est nec serium quid agi-us, cùm eadem propemodum reciprocemus. Scili-t Vos in me affectum, ego summam animi obser-antiam, rejectis in eos, qui altius sapiunt, de re-blica, de bello & pace tractationibus, sed & stu-is & seriis, informatoribus vestris curandis re-lis. Hæc nobis laxamenta animi sunto, Vobis idem exercere indolis & stili aciem; mihi verò idere, quantum per temporum intervalla profi-ciatis,*

ciatis, & perpetuis gressibus ad virtutis & erud[i]tionis culmen ascendatis. Id quod vel ipse scripti[o]nis character prodit, quem de mense in mensem [e]legantiùs, Suavissime Princeps, *pingis, ut Te ipsum subinde superare videaris. Age ergò, & liberaliter Te mihi impertire, nullis literis acceptio[r] quàm frequentioribus; nullis gratior, quàm proli[]xioribus, quibus rependendis si minus fortassis p[ar] inveniar, ab humanitate tamen Tua incredibi[li] indulgentiam quandam mihi atque veniam poll[i]ceor; nam quandoque tempus arctius est, nonnu[n]quam muneris partes interveniunt, interdum in[]terpellant amici, hebetat etiam haud rarò afflict[a] valetudo, ut quod maximè velim, possim minim[è]. Annitar tamen omni studio & officio, ne Te in m[e] propensiorem, quàm me Tui observantiorem ess[e] conqueri unquam possis. Et cùm imprimis tuas l[i]teras desiderem, noli committere, ut excusatio[ne] potius expleas hoc scribendi beneficium, quàm ass[i]duitate literarum, cui contra studium omne meu[m] & operam sine ulla exceptione aut laboris aut oc[]cupationis, aut valetudinis aut laboris polliceo[r]. Vale* Princeps floride, *& quod facis fave*

Illustr. Cels. Tuæ

Stutg. 2. Augusti, 1648.

Clienti humillim[o]

EPIST. CCCLXXX.

Salutem plurimam!

RESponsionem quamvis adhucdum ad ali[] expectem, *Vir Cl.* insuper tamen & has a[] do, novis quasi radiis accensurus illum [a]moris mei ignem jam pridem potius caler[]

ter

n, quàm lucentem Te enim, variis nego-
rum curis quotidiè ferè distrahi, abundè
gnitum habeo, quæ ita te circumstant & ab-
cunt, ut non quod velis Tibi liceat, sed
ntem & manum quasi ad catenam adstrin-
t, perinde ut ii, qui vincti sunt aut impedi-
membra quidem ad usum habent, iis ta-
n uti non possunt. Sed expedias Te, quan-
libuerit, aliqualis enim remissio mutuo in-
nos amori nihil præjudicabit. Post illos
idem tumultus *bona* ad nos firmandæ *pacis*
icia perveniunt. Faxit summus ille compo-
onis auctor, ut rata & fixa maneant, omni-
sque injuriis & contentionibus oblivione
petuâ deletis, firma instituatur tranquilli-
, sincerusque publici & privati officii tenor
vetur. In quo voto desino, & DEUM ter
. *Max.* pro felici rerum successu ardentissi-
precibus imploro. Dabam *Guelpherbyti*,
. August: 1648.

Cl. Tuæ

Observantissimus.

Informator noster dilectus salutem & officia sua Tibi adscribi petit.

EPIST. CCCLXXXI.

Felicitatem prosperam!

genuè fateor, *Vir Cl.* omnia ea, quæ copio-
pollicitus es, etiam abundè à Te persolu-
fuisse, & quidem fœnore gratissimo acu-
is stili aliarumque elegantiarum, quas ta-
n nunc accessisse non existimas. Verùm
ita tibi propria sunt, ut non minus eximiâ

humanitate istâ, quam doctrinæ merito in[...]
morem tui magis accendas, te quotquot [...]
proximo norunt. Audio Te nuper celebra[...]
anniversarium diem contracti matrimonii, que[...]
tibi precamur felicissimum, cùm non min[...]
eos, qui connubium & novum quasi vitæ cu[...]
sum ineunt, maximæ calamitates & infort[...]
nia comitari soleant, quàm qui nuper in ha[...]
lucem prodierunt. Talia autem, ut quà[...]
longissimè à Te abesse velint, & diem illu[...]
feliciter attingas, quo consueto nonnulloru[...]
more debita nuptiarum solennia iterari [...]
lent, est quod ex animo vovemus, & DEV[...]
ter Opt. Max. pro felici successu humiliter i[...]
ploramus. Materia scribendi alia ut nonnu[...]
quam suppeteret, quàm libenter & ego v[...]
lem. De *pace* namque & *bello*, si quæ interv[...]
nire solent, communis fama citius ad vos p[...]
ferre, quàm nos concipere possumus. Fac [...]
valeas, nosque mutuò diligas. *Guelpherby*[...]
d. 21. Aug: Anno 1648.

Cl. Tuæ

Observantissimu[...]

Epist. CCCLXXXII.

Illustrissime & Celsissime Princep[...]
Domine longè clementissime,

C*Um curta mihi sit scriptionis supellex, ex* [...]
liena pharetra depromam, quod sit è re T[...]
Nam cùm nuper incidissem in Catechism[...]
Regium *Gallicè scriptum, elegantis stili & m*[...]
gni judicii, visa mihi sunt quædam scitu Prin[...]
cipibus juventulis digna, quæ excerpenda, ade[...]
communicanda Tibi putavi, non quòd Te hæc [...]
sc[...]

re sagacissimus Ephorus Tuus Imbofius, *aut fo-tissimus Informator Sax. patiantur*, *sed quòd ndorem Tibi meum, piumq; studium probari plu-num, & facilè admitti*, *pluribus jam experi-ntis didicerim.* *Accipe ergò haec* Suavissime inceps, *non ut præcepta*, *quibus abundè es in-uctus, sed tanquam imagines Virtutis, à* Rege *nc* Gallorum *mutuatas, Tuisque oculis exposi-*, *cum quibus Tuum & ingenium & mores con-as, quantumque jam profeceris, ipse intelligas.* hriftus *Te reddat Tibi subinde majorem & me-rem, nosque exinde beatiores faciat. Vale & ve*

Illustr. Celf. Tuæ

devotissimo Clienti.

Dn. Ephoro & Informatori cum officiis salu-tem pl. adscribo. Stutg. 13. *Sept*: 48.

Excerpta CATECHISMI Regii Gallici,

1.

QVòd altrices fœminæ tenellis corporis membris manuductione & custodiâ præ-stant, ut gressus forment firmentque, & à lapsu præservent. Hoc Ephori juvenilibus ingeniis conferunt, & ne transversum ab-eant, sæpiusque impingant, vigili curâ ca-vent.

Bestiæ plagis stimulantur, lupatis coher-centur, & vociferatione terrentur. Gene-rosa ingenia verbis regenda, exemplis invi-tanda, blanditiisque prolectanda sunt.

Qui in eminentiori sunt gradu, homines se, & Christianos, & Principes noverint. Ho-

mines, ut nihil humani ab iis alienũ ſcian patique communem ſortem diſcant. Chri ſtianos, ut charitatis in Chriſto paternæ, communis in cœlis ſocietatis & hæreditat nunquam obliviſcantur. Principes, ut DEI in terris vicarios, ejusque legis cuſto des noſcant, cujus imaginem commacula vitiis, nefas ſit.

4. Concordiæ fraternæ neceſſitatem DEV ipſe in humani corporis ſtructura evident expreſſit, quoties gemellis organis uni ſenſus operationi commiſit. Nec enim o culi, niſi ad idem objectum colliment, rec vident, nec aures, niſi ad unum ſonum u traque attendat, diſtinctè audiunt, nec ur manus, niſi alterius ope, officiũ rectè com modeq; facit, & pes alter retrò, alter pro grediens corpus haud dubio ſiſtet.

5. Spiritus ſacer æthereus non accipiter eſt ſa vus & truculentus, non corvus turpis, pu tridis cadaveribus inhians, ſed columba candore, manſuetudine & temperantia con ſpicua, unde quo quis Spiritu regatur, di gnoſcendum eſt.

6. Indigna res eſt, qui ex Cerdonum famil aliquandiu inter lixas & calones verſati, in manibus exemplis innotuere, eos equeſt ordini inſertos libenter accipi & agnoſc Non æquè eos, qui Sapientiæ & Prudenti laude, & publicâ in Rep. utilitate inclaru re, admitti, ſed planè ſordeſcere.

7. Cave Princeps philautiâ abripiaris, nar quiſquis te intempeſtivè, & plus æquo i faciem laudat, inſidias ſtruit, munusve quod non meretur, captat, à quo intercip indecorum eſt.

8. Abſit procul à Principibus excandeſcentia

quæ

quæ à privatis ignis fatuus, ab illis sævum ab axe fulmen est. Indignari verò inferiori, est se æqualem ipsi facere, & paribus armis, quod pudendum, cum ipso committere.

Superior ab inferiore quicquam ambiens, comitate se prius æquet, & ut privatus agat, pro fortuna enim petere, imperium est, quod non nisi justitiâ & equitate regi oportet

. Melior est bonam quàm magnam de se existimationem excitare, illa tranquillitatis & securitatis, hæc inquietudinis & periculorum mater est.

. Memento Princeps te hominem & DEI vicarium esse. Illud moderabitur potentiam tuam, hoc reget voluntatem.

EPIST. CCCLXXXIII.

Felicitatem interminam!

VIdimus non ita pridem carmina quædam gratulatoria, quæ Cl. Tuæ ob exactum feliciter *climacterem sexagesimum tertium* ierunt exhibita, quæ uti me valdè affecerũt, a etiam causa fuerunt, ut breve quoque vo- im adderem, præsertim cum eorum testi- ionio, qui naturam aliquando propius inve- igandam adspiciunt, tum etiam aliorum, qui stali hoc tempore, aut perierunt, aut gravis- mam valetudinis & facultatum jacturam erpessi sunt, luctuoso exemplo compertum abeamus, numerum istum non tantùm pri- atim senibus, sed totis etiam familiis arcano uodam fatorum impulsu exitialem fuisse. iat autem ut pericula cuncta gravissima, quæ

dies iste secum plerumque ferre solet, etiar impofterum à Te quàm longiffimè abeffe ve lint, fitque potius annus hic *gradus*, per quer ad felicitatem longè majorem confurgere, o mniumque rerum tuarum incrementum ma jus lætus confpicere poffis. Erunt fanè quo incolumitas hæcce gaudio cumulabit maxi mo, oves nimirum, quas fupremus animar paftor Tibi concredidit, quiq; ductum tuur anxio pede fecuti funt. Erimus nos ipfi, q DEVM omnium bonorum largitorem maxi mum gratâ celebrabimus mente, ut & impo fterum Tibi hanc ftationem, Teque huic fta tioni diutiffimè fervet incolumem. Vale, & Divos Tibi temper habeas faventes. *Guel pherbyti*, d. 18. Septembr. 1648.

Cl. Tuæ

Obfervantiffimu

EPIST. CCCLXXXIV.

Illuftrifsime & Celfifsime Princeps Domine longè clementiffime,

QVòd de *exacto mihi* fexagefimo tertio *æta tis* anno *calidè gratularis. gratias, quâ deb obfervantiâ, & quas poffum maximas ag Tibique viciſſim annos longè plures adeoque ce tenos & amplius ex animo precor. Etfi verò h meus* climactericus *nondum mihi exactus eſt, fi jam à XVII. Augufti agitur, perinde tamen habe & nihil mihi ab eo mali metuendum duco. N* mortem, *quæ optanda mihi potius, quàm fugien da eſt, non* cafus, *quos nullos, fed meram DE providentiam, eamque optimam agnoſco; non* nu

mero

[..]tros,cùm jam ante numeratos omnes dies meos, [..]ò verò capillos sciam, non exempla, *quæ me [..]is magis terrent quàm quotidiana funera, ut [..]n dudum mihi omnis dies, ne dum mensis vel [..]nus climactericus visus fuerit, cùm in hoc debi[..]orpusculo, & valetudine pertenui,* nunquam [..]enio, *de* exitu vitæ *semper atque seriò cogita[..]vim. Quam cùm D E V S huc usque produxerit, [..]osco à me exigi in Ecclesiam & Remp. officium [..]um, cui ut bonâ fide, nec sine usu defungar, dum [..]m imperator det missionem, & mihi* orandum *[..]plicibus precibus, & Tuas in subsidium, bono[..]nque omnium, adhibendas duco. Nunc ne mu[..]culum desit, præterquam quòd elegantes ali[..]s picturas tabellioni Noribergensi ad Vos defe[..]das commisi,* Agapetum *addo, monitorem for[..]e non intempestivum, quem in hæc lemmata [..]traxi, ut se facilius memoriæ Tuæ insinuet: [..]d verò sibi velit, cùm per Teipsum capies, tum [..]mator & doctor Tuus pro se quisquis plenius ex[..]abit, quos salvere Tecum, & Tuus profectibus [..]dere jubeo. Vale & fave*

Ill Celſ. Tuæ

[..]g. 4. Octobr.
1648. *Clienti humillimo.*

Agapeti Diaconi

De Officio Principis ad Iustinianum Cæsarem.

Sub DEO Te, & Tuos rege.
Nauclerus pervigil eſto.
Te noſſe, & DEVM noveris.
Cœnum primi cujusvis natales.
DEI ſimulacrum gratus eſto.
Cùm omnia poſſis, nil niſi rectum velis.

7. Fortunæ & undæ prætereunt, Virtus n[illegible]
vertitur.
8. Aditu ut DEVS ſis facilis miſeris.
9. Vt ſoli ſpeculum: Sic Deo mens Princip[illegible]
10. Ex nauta error, ex nauclero naufragium[illegible]
11. In rota humana pietatis immutabile cen[illegible]
trum ſit.
12. Adulatores ut corvi oculos configunt.
13. Nec efferri, nec deprimi Regium eſt.
14. Non ſinit inſoleſcere conſcia ſui huma[illegible]
maſſa.
15. Cultus DEI omni gloriâ & famâ emine[illegible]
tior.
16. Æquæ opes ac fames perdunt, medium ſ[illegible]
turat.
17. DEVM timere Philoſophia Principũ e[illegible]
18. Qui ſe regit & vincit Rex eſt.
19. Beneficii gratia vera gloria.
20. Hoſtes ferrum, ſubditos humanitas vinc[illegible]
21. Princeps corpore homo, poteſtate Dei[illegible]
nec efferatur, nec efferveſcat.
22. Boni conſultores ſint in pretio, adulato[illegible]
exoſi.
23. Qualem vis Dominum, talem Te ſubdi[illegible]
præſtes.
24. Speculum lætam vel triſtem faciem refe[illegible]
ſic DEI judicium.
25. Expende prius, dehinc aude, nil verò ſi[illegible]
DEO.
26. Cùm nihil in Te ſit parvum, omnia rec[illegible]
oculo diſcute.
27. Cùm nemo, Lex Tibi imperet.
28. Delinquere, aut non obſtare deliĉtis ta[illegible]
tundem eſt.
29. A pravis prava, à frugi hominibus Prin[illegible]
pi ſalubria.
30. Nunquam nequam hominem adhibe, c[illegible]
jus culpa Tibi præſtanda eſt. 31.[illegible]

. Ne nimis sævus inimicis, nec nimis blandus amicis.

. Qui cuncta Tua probant, imponunt, qui rectè censent, verè amant.

. Ne apice elatus sis, nec mole opprimaris.

. Aurum in omni figura idem est. Sic animus Principis.

. Voluntariis imperare, firmum imperium est.

. Tuis delictis ratio æquè ac alienis succenseat.

. D E I æmulus, misericordia proximus.

. Beneficentia optimus ac perpetuus thesaurus.

. Dignos & indignos eodem habere loco, res indigna est.

. Humanitas D E O, inhumanitas feris proxima & simillima est.

. Iustitiæ lanx nec in amicos propendat, nec inimicis sit fraudi.

. Attentè eruenda causæ veritas.

. Vt umbram præcedentem nunquam transilies, ita Dei opera nunquam assequeris.

. Opes rectè largiendo colliguntur, malè conditæ diffluunt.

. Plenus bonorum benè multis facias.

. Vt corpori oculus, ita orbi suo Princeps provisioni datus est.

. Nemini injurius tutus es, multis beneficus, longè tutissimus.

. Imperio formidabilis, bonitate amabilis esto, nec abjectus amore, nec judicio terribilis.

. Verbis facta consonent, & impetrabis, quod jusseris.

. Qui vota pro Te pia pii faciunt, abundè munera rependunt.

51. Vt Sol terram, ita Princeps miseros luc suâ recreat & fovet.
52. Aliquos regnum ornat, felix qui ipse or nat regnum.
53. Parum sit potestate excellere, nisi ide Virtute cæteris præeat.
54. Prius expende, dehinc jube, maximum e nim linguæ præcipitis periculum est.
55. Vbique promptum, tantùm irâ tardu esse Principi convenit.
56. Quos propè Te habeas fidos an fraudu lentos admodum attende.
57. Vel ipse sæpè, vel ab aliis disce & exequer
58. Murus Imperii, misericordia & liberalita quem turres precum cingunt.
59. Amore Pater & authoritate Princeps, st bile imperium habet.
60. Non alia ornatior purpura est, quàm moris paterni erga egenos stola.
61. Quò major à DEO acceptor, hoc maj debitor es.
62. DEI præsidio omnes, at Princeps omn maximè opus habet.
63. DEI indigus largiri aliis discito.
64. Peccator ipse delinquentibus remitte.
65. Teipsum verecunderis Princeps maxim
66. Privati flagitium est, malum committe Principis bonum omittere.
67. Beneficiis thesauros morti præreptos cœlum transfer.
68. Princeps cæterorum Dominus, DEI se vus, nullo quàm in se Dominio major.
69. Vt umbra corpus, sic peccata conscienti sequuntur aliquando apparitura.
70. Vt navis, sic vita vehendo fallit.
71. Ex terrâ Princeps, ex Principe terra.
72. Scala vitæ & honorum cœlo terminetur

EPIS

Epist. CCCLXXXV.

Salutem plurimam!

'a meâ causâ & vis omnia, & idem facilè
ræstas, *Vir Cl.* ut non videam, qui solvendo
sse possim. Scribis ad me sæpè, tantum ne
ıt alia: humanissimè, elegantissimè: Misi-
nuper ea, quæ si rectè agnoscam, sive *Regi-*
, sive *aliis* scripta fuerint, *mihi* tamen appri-
quoq; convenire dico Erunt mihi instar
æceptorum, ad quæ vitæ rationes effingere
conformare studebo, vel materiam suppe-
abunt aliquid transferendi in Germanicam
guam, & inde rursus in latinam; vel quic-
id inde utilitatis hauriri potest, in succum
sanguinem meum convertam. Addisti ali-
ando *imaginem* Baronis cujusdam *Iôrgeri*,
jus artificiosâ manu, si rectè memini, vidi a-
uid albo Informatoris nostri insertum. E-
ıt in medio illius familiæ insignia, quæ à si-
tra Pallas hastata tenebat, à dextra verò
e Iôrgerus ille equo insidens; Omnia au-
n affabrè æri incisa, & quæ alii nobiscum
is mirari non potuerunt. Ita nimirum egre-
s ejusmodi donis natura nonnullos instru-
ıcum è contra plurimos reperire liceat adeò
des & ineptos, ut etiam manuductorum o-
râ diu multumque exercitati ne minimum
idem efficere possint. Vellemus scire, num
e propriâ manu hanc quoque effigiem deli-
ârit, vel alterius operâ usus fuerit. Vale &
iem semel tuâ benevolentiâ ac studio dignũ
dicâsti, eundem & deinceps amare perge.
elpherbyti, 10. Octobr. 1648.

T. Reverentiæ

Observantissimus.

Epist. CCCLXXXVI.

Vir Reverende atq; Clarissime,

QVod nuper promisi, id nunc bonâ fide ex solvo, utinam grato aliquo fœnore, quo me obstrictum levare, Te autem longio ris moræ pertæsum exhilarare posset. Ade *mortem* non exhorres, ut de eâ sine ullâ pro sus animi, credo etiam vultus perturbation scribas, planeque ostendas, eam à Te *in luc* poni. Fateor, Christianum hoc esse, advers fatalem metam ita obfirmare animum suum quippe qui ad hanc pervenerunt, æstuosur hujus vitæ iter se tandem emensos esse glori ri possunt, & ab omnibus miseriis, quæ in h vitâ nos comitari solent, liberati, longè etiar felicitatem consequuntur, quæ nullis termin circumscripta est, quâque in æternum & inf tigabili gaudio frui licebit. Vti verò mult reperire licet, quibus levis ad hanc est transi tus, ita plurimi quoque sunt, qui ad hu transeundi modum totis arcubus intimisqu sensibus contremiscunt, ii præsertim, quib adhuc ebullit sanguis, & naturæ, quæ sui de structionem aversatur, gravius imperium p tiuntur. Nos autem ab istis digredimur, moderato desiderio voluntatē divinam sem per expectamus. Dabam *Guelpherbyti*, 1. Nov: 1648.

Cl. Tuæ

Observantissimu

EPIST. CCCLXXXVII.

S. P.

Illustrissime & Celsissime Princeps Domine longè clementissime,

Solvere Te ais, cùm nihil mihi debeas, ego magnus debitor, lentæ admodum sum solutionis, ac nunc quidem literis Tuis eleganter & cordatè perscriptis, pro animo meo satisfacio, faciam tamen, quod jam licet, non quantum libet, & pro illa Tuâ facilitate, quâ Te subindè in me favorem excitas, gratias permagnas ago, ac ne imposterum fatigeris, majorem in modum rogo. Cæterùm quàm mihi ad propiorem Mortis *contuitum, animi præsentiam tribuere videris, etsi ad id præceptis & exemplis instructam ætatem meam esse deceat, tamen ne hilum quidem mihi tribuere velim, si absit* Divina manus, *cujus unius conductu per obscuram & tenebrosam vallem, adoptatam cœli lucem, transire,* & Servatoris Iesu *lætam intueri faciem liceat. Pudori quidem nobis sit, cæcutientes olim* gentiles, *tantâ animi constantiâ morti sæpè occurrisse, cùm tamen quo irent, quidve ipsis boni expectandum, sive planè nescirent, sive plurimum dubitarent, nos certos futurorum bonorum adhuc trepidare, & tàm optandam commutationem abhorrere, sed cùm à* Solo Christo, *mortis domitore, & conditore, pendere sit tutissimum, gloria lætæ evocationis, & placidæ resolutionis, integra ipsi maneat, nobis precum assiduarum, & paratæ mentis officium reliquum sit. Sed nimis hæc ad Tuam ætatem tetrica sunt, quam tamen Sapientissimus Regum ita vellicat:* DEVM ipsum reverere, & præcepta ipsius observa, quia hoc est totum hominis; nam omne opus DEVS

ipſe adducet in judicium, cum omni re occultâ, ſive bonum, ſive malum. *Interim ſint Tibi* floride Princeps, *cuncta proſpera & felicia, ornentque Domum Tuam laudabilibus progreſſibus, & ſucceſſibus, quæ Reſp. olim prædicet*, Chriſtus *verò ipſe coronet. Vale & vige ſub copiæ cornu, ac fave*

Ill. Celſ. Tuæ

Stuig. 6. Decembr.
1648. *Clienti humillimo.*

Epist. CCCLXXXVIII.

Felicitatem proſperam!

CVm in omni officio magni æſtimetur voluntas, *Vir Cl.* etiam Tuam promtitudinem mihi gratiſſimam fuiſſe exiſtimes quam non ita pridem adpoſitâ ſchedâ quâdam pollicitus es. Non Te variis negotiorum generibus diſtrictum, & non ita pridem adversâ valetudine aut gravioribus doloribus compreſſum, proindeq; facilè diuturniorem iſtam moram ferre poſſum. Quid per illud, quod aliquando *viatici loco* ab eximio Theologo Anteceſſore Tuo datum, intelligas, ſatis non capio; fortè ex ſenſu verborum elici poſſet, quod tamen non conſtat. Ex viciniâ ad nos perſcribunt, pacificatores *Monaſterii* valdè jam ſollicitos eſſe, de tranſactionum vero & genuino ſenſu evolvendo; modò eàm enucleatè omnia exponantur, ut nullum vel dubium, vel malitioſa quædam interpretatio locum habere poſſit. Nec deeſſe tamen alios quoque dicunt, qui collectis velut naufragii tabulis, & iræ minarumque pleni, neſcio quæ

nova

...va molliuntur; sive atroci injuriâ agitati, si aliis irritamentis concitati, ut adhuc inter ...rum & saxum hæreamus, dum curæ ambiguæ, dum spes incerta futuri. DEVS nos ...itiore tandem oculo inspiciat, & impios co...tus omnes reprimat. *Guelpherbyti* d. 16. ...ecembr. 1648.

Cl. Tuæ

Observantissimus.

VI.

Cum Pr. SIBYLLA VRSVLA.

Epist. CCCLXXXIX.

...dmodum Reverende Domine Doctor, Amice Honorande,

ACcipis literas, non ab Erudito Viro aliquo, sed puellari manu, ad te tenuiter exaratas. Celebris Tua *Virtus*, & insignis ...*ietas* id Tibi operatur, quòd passim, apud ...os verò insigniter ameris. Misisti mihi *Men...s duodecim*, & simul considerationem tem...oris in memoriam revocâsti. Mundus ipse ...am senio suo est confectus. Tempusque in ...norbo Vanitatum gemit. Homines incuriâ ...Temporis occæcati, temporis in Tempore ...unt immemores, quippe *curiosi* præsentis & ...revi transeuntis Temporis, *incuriosi* tempo...um, si ita loqui liceat, futurorum. Ago au...em *gratias* pro declaratâ affectione, meum a...nimum beneficii semper memorem & gratio...â iterum affectione Tibi addictum, Tibi cer...ò spondebis. Longum adhuc vale, publico

Eccle-

Ecclesiæ Christianæ bono, cui natus es. Dabam 31. Ianuarii, Anno 1648.

SIBYLLA VRSVLA
D. B & L.

EPIST. CCCXC.

Illustrissima & Celsissima Princeps, Domina clementissima,

Latinas Literas, ab Illustrißimâ manu fœminei sexus, quo rariore, apud Germanos hodie Exemplo, hoc laudabiliore, & ad posteritatem magis memorabili, incredibili animi voluptate accepi, hoc nunc primùm edoctus, Augustam Domum Vestram, *Aulamque, quâ* virilem, *quâ* fœmineum *quoque sexum, sedem propriam, & officinam Literariam esse, cui omnes Eruditi assurgant, & plausum suum, dignaq; elogia conferant. Memini quidem, cùm aliquando* Durlaci *essem, in Illustri ibi Bibliotheca librum vidisse, quem* Illustrissima Virgo Badana [Dn. CATHARINA VRSVLA, nupta OTTONI Landgrav. Hassiæ] *intulerit, cum inscriptione, miro stili nitore, & literarum picturâ elegantißimâ inserta, quibus testabatur, apud se Musas quoque locum invenisse, & delicias, suprà quàm credi dicive possit, attulisse, omnibus thesauris, mundoque Virgineo, contra habendas. Sed id unicum nobis in his terris exemplum mansit, potiusque admirationi, quàm imitationi fuit. Vidi quidem idem ausas, at quod nimium amplecterentur, &* Latinæ linguæ *eâdem quasi operâ* Italicam, *&* Gallicam, *prætereaque* Musices *theoriam juxta & praxin conjuncta vellent, minus strinxisse, stitisseque cognitio-*

itionis incrementa, quàm promovisse, id quod s Te Illustrissima Princeps, *minimè esse commissum, ex stili concinnitate facilè conjicio, &* *agnoperè laudo. Exosculor autem hasce Tuas* *gantias, non tam, quòd minutias meas*, strenu- *nomine nuper missas, approbârint; quòdve ali-* *id laudis, quod in me minimè agnosco, mihi tri-* *erint, sed quòd Genuinum* AVGVSTI PA- RIS *genium, quo mihi* Augustius *in terris* *hil contigit, planè redoleant, fidemque faciant,* *ocunque se tandem* Augusta arbor Guelphica *licibus ramis extendet, (quod ut sine fine fiat,* *to) semper mihi paratam fore* clementiæ *um-* *am*, beneficentiæ *fructus, &* authoritatis *ma-* *imæ custodiam. Quem animum in me, ut porrò* *nserves, eundemque per intervalla comtissimis* *terulis, (nisi sit molestum) testari non graveris,* *uam possum demississimè expeto. Facturus contrà,* *r me literario aliquando, si sinat* D E V S, *mu-* *usculo, quid quantumque scias, alii sciant, & se-* *li nostri* S I B Y L L I S *Te quoque justis Enco-* *iis annumerent. Vale* Illustrissima Princeps *i Gynecæi illustris gloriam & exemplum, ac fave*

Illustriss. Celsit. T.

tug. 16. Februarii,
1648. *humillimo Clienti,*

EPIST. CCCXCI.

Illustrissima & Celsissima Princeps,
Domina clementissima,

Literarum Tuarum Latinarum admiratio & *æstimatio, tale earum apud me excitavit desi-* *derium, ut nisi plures abs Te obtineam, vitam* *mihi acerbam putem. Cujus meæ honestæ cupidi-* *nis*

nis facilem veniam à generosissima Comitate Tua mihi polliceor, quæ cùm Tibi hæreditaria & genuina sit, Serenissimo Dn. Patre *durior & tenacior mihi haudquaquam esse poterit. Ausus itaque sum, alias Tuas literas sive elegantiæ sertum ab Illustrißima & Virginea manu profectum, primùm, munusculo non imperitæ artis,* Canticum Salomonis *exprimenti, prolectare; nunc verò hisce meis incompositis literis eam urgere, ne mihi hanc voluptatem, quam ex Tuis literis percipio, invideas, aut honorem, quem capto, neges. Ac illud quidem Noribergensi Tabellioni pridem impositum, hæ meæ veredario nunc commissæ, ubi advenerint, & silentio verecundo, & voce submissâ, idem humillimè ambibunt, scilicet secundis, tertiisve literis si vacet, sitim illam, quam elegantiarum dulcedine fecisti, nonnihil restinguas, desideriumque lenias. Eadem vox est omnium eorũ, quibus Stilum Tuum videre per me licuit, & vidisse in magnâ felicitatis parte locârunt, & videre sæpius, quò rarius & insolentius in his oris gestiunt, quod detrectare, non est vel* Virgineæ *lenitatis, vel* Guelphicæ *humanitatis, vel* Illustrissimæ Tuæ clementiæ. *Excitabit autem eas, opinor, ingens gaudium, quod* Domui Tuæ *(X. Aprilis) imminet, ex* Septuagesimo Natali Serenissimi Dn. Patris, *qui meta humanæ vitæ jam olim dictus, hoc senii vigore & viriditate, scalaris potius ad* Centesimum *usque, quàm* Terminus *putandus nobis, coronandus, & communibus votis apud Deum sacrandus est. Quod gaudium Vobis proprium, nobis usufructuarium, satis materiæ Tibi suppeditabit, quam calamo Tuo diserto ornes, si maximè cœlo stellæ desint, aut aëri aves, aquæve pisces deficiant. Sed desino, ne potius importunitati meæ aliquid concessisse, quàm ultrò beneficium promptâ manu contulisse videare.*

Deum

...um precor, Domus Tua *jam anti cimeliis or... tissima, Te nobilem gemmam, quò rariorem & ...iorem, hoc diuturniorem possideat, & in exem... ...um atque æmulationem ostentet. Vale* Illustris... ...na Princeps, seculi gloria, *& fave*

Ill. Cels. Tuæ

...tg. 15. Martii, 1648. *Clienti humillimo.*

Salutem & amorem adscribere jusserunt Domina Anthonia, *& Dn.* Anna Iohanna *sorores VViirtemb. Virgines Illustrissimæ.*

EPIST. CCCXCII.

...dmodum Reverende Domine Doctor, Amice mihi singulariter honorande,

NOn tantùm honore alloquii tui me denuò affecisti, sed insuper *munusculo* pulcro, pulcræ *meditaiionis*, amorem mihi excita... . Non dubitabis, quoties has animæ nostræ ...īgies & Rythmos, amabili invento, & divi... sensu plenos, aspicio, legoque, toties tacitâ ...e mente gratiarum actionem in Te benignè ...mulare. Non diffiteor, me nullâ tam re, ...icquid etiam sit, quàm piæ sacræque cogi...tionis dulcedine teneri, exsatiari. *Omnia ...reunt, transeunt, sola est pietas, quæ temporali ... æterno fruetur gaudio.* Brevem hanc meam sponsionem, quia ita cupis, lubenter remit...re volui. Fato & Voto, quod Amantissimo ... Clementissimo *Domino meo Parenti*, animi...is procul dubio optas, addat *D E V S ter Opt. ...ax.* robur & firmitudinem, quod animitus ...iam precor, omnes precamur. Deus Te fe-

licitet

liciter, diuque porrò servet, & benignissim[e]
protegat. Dabam *VVelferbyti*, 25. Aprilis
Anno 1648.

T. Reverentiæ

pio affectu addicta

SIBYLLA VRSVLA

P. S.

Meinen beyden hochgeehrten Fräwlein Baa[s]sen ergebe ich mich hinwieder zum dienstlich[-]sten/neben höchster Dancksagung deß freund[-]lichen Grusses.

EPIST. CCCXCIII.

Illustrissima & Celsissima Princeps
Domina longè clementissima,

M*Vnusculum meum chartaceum in man[us] Tuas venisse, gratumq; fuisse, est quod mih[i] gratuler, Tibi verò immortales gratias a[] gam, quòd elegantissimis literis, pretio sanè incom[] parabili, rependere id volueris. Spem equide[m]* picturæ *mihi ab ingenio suo, & expressâ pietat[e] fecerant, non posse displicere illi, quæ illo maxim[e] polleret, hanc verò valdè probaret, & coleret[,] subverebar tamen, ne importunum Tibi videre[] tur mecum literarum commercium, quod tame[n] mihi, quo minus hodiè in Sexu Tuo insolitum, h[oc] credebatur magis & honestè appetendum, & ve[] recundè ambiendum, & reverenter usurpandum[.] Ergò Tuas Elegantias iterum atque iterum deoscu[-] latus, gratias* D E O *egi, qui in Te tanta contuli[s]set, & ut Rei Christianæ ac Literariæ bona incre[-] ment*

enta caperent, majora, calida vota feci. Interea in Illustrissimam Badanam Virginem *invisi vi, & plus etiam, quàm expectabam, obti-i, nam &* apographum *inscriptionis accepi, quæ qualis ve fuerit, nunc demum scio. Nempe* n. CATHARINA-VRSVLA, Georgii-Fri-rici *Marchionis Badensis filia,* OTTONI *andgravis Hassiæ brevi nupta, jam ante* 20. *an-s extincta, quam A. C. ni fallor,* 1612. *non tan-m vidi, oris venustate, & morum amabilitate cellentem, sed in Illustri concione, quæ omnium ima Evangelicæ Veritatis in* acidulis Griesba-nsibus, *collecta per me est, & post sequentibus tentam & devotam habui, uno hoc infelicior, ıòd de literarũ apud eam peritiâ nihil mihi con-terit; Nam & affabilem habui, & munificam m expertus, cæteras suas dotes, quod instructissi-orum est, modestiâ texit. Sic autem* Inscriptio *bet, In* catalogum testium Veritatis Matth. accii Illyrici, *Literarum eleganti picturâ, ac opè incredibili.*

CATHARINA-URSULA
Marchionissa, Badensis &
Hachbergensis,

Anno salutis Humanæ

1609.

HOc *Volumen ego supra consignata Marchionissa, Bibliothecæ isti, quæ in usum Ecclesiæ & Scholæ* Durlachianæ *colligitur, inserere vo-, ut extaret perpetuum monumentum mei amo-, non modò erga literarum studia: sed inprimis a cœlestem Veritatem, quam multi egregii te-stes,*

stes, hic longâ serie positi, etiam cum vitæ suæ ja-ctura constanter testificari non dubitarunt.

CHRISTE, tuum Verbum da credere, daq; fateri
Me quoq;, dum Mundi sævit ubiq; furor.

Habes Illustrissima Princeps *exemplum Tibi simile, sexuque æquale, quo magis accendaris ad ornanda, colendaque ea studia, quæ immortalitatem citius, quàm omnes dignitates & fortunæ pariunt, certiusque conservant. Quo nomine omnes boni* Augustæ Domui Tuæ *applaudunt; ego verò beatum me judicabo, si quod citra molestiam Tuam fiat, per intervalla aliis atque aliis bellulis literulis me dignaberis, non nisi in Cimeliarchio reponendis, & posteritatis admirationi adservandis. Vale* florentissima Princeps, *& fave*

Illustriss. Cels. T.

Stutg. 10. Maii,
1648. *Clienti humillim*

Pro salute data, & amore oblato Illustr. P. VVürtembergicæ Virgines *& gratias ingentes agũt, & paria cum officiis promissis referunt. Ego, ad* Sereniss. Dn Matrem Tuam ac Sorores Illustrissimas *preces meas, & quicquid in me est piorum votorum, ac humillimi obsequii, deferre non graveris, quâ possum animi demissâ contentione precor.*

EPIST. CCCXCIV.

Illustrissima & Celsissima Princeps, Domina mihi longè clementissima,

Fateor me literarum tuarum desiderio teneri, & obtinendarum earum rationes captare. Quis enim non amet eas, à tali ingenio profectas, elegantiâ perscriptas, tam comi sermone expressas, atque ab eo sexu, inq; tanta fortuna, ut tantum abest, commune quid cum aliis habeant, ut viris etiam, & ad literas natis palmam ambiguam faciant. Ne verò asymbolus comparerem, en Symbolum *fero, non absimile iis, quæ non ita pridem* *clutis Dnn. fratribus Tuis adumbravi. quo* insignes *animi Tui* dotes *cœlitus supra sexum* con*fas exprimere volui, Est verò id* CONTENDE. *Scilicet cum fratris Tui majoris, id sit munere, ut quem olim sit expleturus* Augustissimum *patrem, in ejus perfectum Archetypum* ATTENDAT, *Virtuteq; potius, quàm forte ipsum* *erat. Minor ex literis, & religionis cura Georgii Anhaltini Vestri laudatissimo exemplo famam* *erat, eàdemque in statera collationis* PROTENDAT. *Minimus, quicquid tempore natabhabet posterius. ingenii acrioris aliis antevertit, suæque fortunæ faber, eam factis* EXTENDAT. *Superest ut Tu* celsissimo ingenio Princeps, *ne* *tam cum fratribus, quàm naturâ ipsa* CONTENDAS, *probesque paucioribus licet, eo* *men insignioribus exemplis* Nihil *negatum se*xui *vestro, si honesta cum Viris, Virtutis contentione ad masculam & egregia facta animum attent, arduo nisu sortem communem protendat, & extra etiam officii sui partes magnitudine operum famam & gloriam suam extendat. Sunt in Sacris nobis in lucem expositæ fæminæ*, plenæ Numine,

mine, *Debora, Hulda, Hanna*; Fortitudine m: ſcula *Iaël, Iuditha*; Sapientia *Nicaula Sabæa* Obſequio *Sara*, Prudentia *Abigail*, Charitat *Michal*, Caſtitate *Suſanna*, Humilitate *Mat ipſa Domini*, *ne quid me ad gentiles hiſtorias ex tendam, neſcio an æquè Tibi, quàm ſunt Sacræ cognitas, vel ea, quæ Ludovicus Vives, elegan libello de Chriſtiana fœmina, lectione Tuâ plan digno, libro primo eſt complexus repetam. Suffi ciat de literarum peritia in præſentiarum dicer quâ aliquæ noſtrâ ætate excelluerunt fœminei ſe xus, raræ quidem* Germanæ, *plures* Italæ & Gallæ, *plurimæ* Anglæ, *quæ magna ſublimis ſti li, & egregiæ inventionis laude, cum quovis Vi rorum contenderunt. Idem fac,* ingenioſiſſim Princeps, & CONTENDE, *ut quò infrequen tior eſt hæc inter Germanas Virgines, atque Prin cipes eruditionis fama, eò magis eam aſſequaris, & conſpicuis ingenii documentis ſuperes. In ea ma ximè ſcientia, qua S. Paulus ipſos* Athenienſe *Sapientiæ opinione tumidos ſuperavit, cujus pe Raphaëlem Vrbinatem inſignem artificem expreſ ſam, repræſentationem ad Te mitto, humillim meæ obſervantiæ teſſeram, & de ſublimi Geni Tuo judicii mei teſtem, quam ſi non ingrata erit unis Tuis literatis literulis rependes. Vale & cun animi, corporiſque dotibus, eruditione creſce, & fave*

Ill. Celſ. Tuæ

Stutg. 4. Octobr.
1648. *Cultori devotiſſimo*

EPIST

Epist. CCCXCV.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

Rectè accepi primas, & postea secundas Tuas literas, unà cum *picturâ Symboli*, singulare aliquod donum sexus muliebris primentis. Sicut cupidè ea, quæ scribis, rlustro, ita facilè scio, hujus tantæ laudis, am videris in me cumulare, me capacem n esse. Affectum Tuum in me pronum, undantem agnosco, quapropter non immeò omnem benevolentiam, quæ quidem à : proficisci potest, Tibi Tuisque, non nisi n vitâ abituram, lubens repono. Vale feter. Dabam *VVelferbyti*, 14. Nov. 1648.

Tuæ Reverentiæ

gratioso studio addicta.

Pro imagine illâ, non invenustè exsculptâ, quam nuperis diebus transmisisti, gratias ago.

Epist. CCCXCVI.

S. P. C.

ustrissima & Celsissima Princeps, Domina longe clementissima,

Occupatior hoc octiduo fui, ob natales Principis puellæ nostræ, ANNÆ-CATHARINÆ, *illius naturalis, d. 27. Novembr. hujus ritualis*, 1. *Decembr. quibus ex officio adfui. nc Tibi de* natali Tuo XX *gratulandum ve- , altero ad provectiorem ætatem scalari, quem*

hodiè Tibi feliciter illucescere, & optata quæ ferre, & nuper sum precatus, & iterum atq; i rum ex animo DEVM precor. Tristis quia hæc dies utraque fuit Proavi Tui Materni Ioac mi Ernesti, *Anhaltini, Anno* 1586. *ejusq; Pat* Ioachimi, *Principum laudatissimorum occ At candida posthæc nobis sit Tuo exortu, Virg præter tot egregias dotes, literarum peritiâ i. stris, ut quæ Germaniæ restituendæ auspicat faustumque sidus futura sis. Ego sanè cùm lit Tuas intueor, cùm ingeniosè excogitatas, tum t scriptas, & eleganter pictas, totus exilii gau firmamque concipio spem Tuo favore, instigatu quod de Principibus Fœminis sæpè notatum, c bratumque meminimus, plurimum commodi incrementi rei literariæ juxta, & Divino cu accessurum. Quò magis orandus est nobis DE ut alios atque alios annorum ætatis Tuæ denar salvos & incolumes addat, ut cuicunque Illust Domui conciliata aliquando fueris, eam orn atque beare exquisitissimis condecoramentis po Dum igitur Tibi occasio est, dum adsunt infori tores, & administri idonei, dum ad* Patris Se nissimi *speculum componi Tibi licet. accresce, fice, enitere, ad exemplum seculi nostri, sine ex plo ascensura, eminenti & conspicuo in mem Templo locanda. Vale floridè & fave*

Illustrifs. Celsit. T.

Ipso die natali Tuo, 6. Decembr. 1648. *Stutg.*

Clienti humilli

Salutem amantißimam adscribere jusser duæ bigæ Sororum Illustr. VVirtemb. thonia & Anna-Iohanna, Florian Faustina, *Ioh. Frid: & Iul: Frid: Fil*

E I

EPISTOLÆ ANNI M. DC. XLIX.

I.

[Celsissim]um Pr. RVDOLPHO AVGVSTO.

Epist. CCCXCVII.

S. P. C.

Et felicissimum novi anni auspicium,

[I]llustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

D*Esiderium literarum Tuarum & solicitudo pro salute & incolumitate Tua, faciunt ut ultrò Te provocandum mihi putarim, intem[pe]stivius fortasse ex Tua meâ sanè parte non nisi [d]evotissimè. Nec enim mihi sufficit nihil triste de [T]e ex literis* D D Fratrum *intelligere, nisi læta [e]tiam omnia & auspicata ex Te ipso audiam, quod [u]t primo quoque tempore fiat, DEVM supplex oro. [Et] cùm hoc* anni *exordio Vota felicitatis Tibi o[m]ninò debeam, meritoq; solvenda ducam, facilius [o]pinor has meas literas feres, quæ aliud nihil quàm [p]reces cal*i*das vehunt, quibus incrementis & [s]uccessibus Virtutum, Studiorum, & institutorum [T]uorum cum animi corporisque incolumitate, pro[p]itium Numen exorem, cætera verò mea qualia[c]unque ex me proficisci possint, omnia, & in soli[d]um Tibi dedicem, beatus futurus, si Paterni re[g]ni & gloriæ olim hæres, clementiæ & gratiæ in me successor, perennare ea mihi facias, quæ Voto[r]um meorum terrenorum summa, & senii securi-*

tas est. Vale inclute Princeps, *nova* Guelp cæ Domus *gloria, posteritati futurum exempl & fave*

Ill. Celf. Tuæ

Stutg. 10. Ian. 49.

Clienti humilli

Epist. CCCXCVIII.

Illustrissime & Celsissime Princep Domine longè clementissime,

N*Ihil festinato opus est*, cùm sat citò, si sat b nè *nostræ literæ mutuum se sistant*, *& qu scopum quærunt, feliciter contingant. N cùm Tuæ mihi constantis clementiæ, & post S* Patrem *continuandæ fidem faciant meæ perpe apud DEUM pro salute & intolumitate Tua i tercessionis & obsequii humillimi officium teste tur, quæcunque nos temporum locorumve inte valla dividant, semper tamen & satis opportu in relationis inter Clementissimum* Dominum, *fidelissimum* Ministrum *puncto, conjungent, nu quam in his terris nisi morte separandos, ac omni denuò in cœlis verè & æternùm conjungend Possem equidem hinc ad Te viarū compendia qu rere, citiusque & frequentius Te adire; sed ma in intuitu* Serenifs. Dn. Patris Tui, *Heri mei i dulgentissimi agere, ut cujus consilio, & volunt te commercium literarum inter nos institutum e & hactenus viguit, ejus etiam judicio & arb tratui subjiciatur, & ad hunc* Solem *nostru communem exponatur. Cujus quàm sis ipse obse vantissimus, nuperæ Tuæ egregiè testantur; qu bus omnia Tua desideria, & vota, in sinum pater num securè deponis, certus salvo hoc, omnia Tu salv*

*va fore, & ab hoc exemplo omnem Tuam salu-
 efformari posse. Ego verò vivere Te, & vi-
e benè ac beatè, & vivere* Christianæ rei
ublicæ, *ex animo lætor, cunctaque Tibi porrò
ilia & felicia precor, ut quæ Te nunc ad* Vir-
is *viam instruunt, & deducunt, planeque ad*
ernum speculum *componunt, ad metam usq;*
LORIÆ GVELPHICÆ, *comitentur,
solido* Boni Principis *solio reponant. Nobilem*
ente, *Hipparchum Tuum, cujus fidem probâ-
 ego amicitiam, morte nobis exemptum, scio
tum dolebis, & quotquot candidum Viri, & of-
osum ingenium sunt experti, ejus filio, ut sub
ad frugem excrescat, opto, illi verò, multis ma-
& injuriis defuncto, placidam quietem precor.
'e* Illustrissime Princeps ad magna natus,
fave

Ill. Celsit. Tuæ

tg. 24. Ianuarii,
1649. *Clienti humillimo.*

Epist. CCCXCIX.

*Admodum Reverende & Clarissime
Domine Doctor,*

Ngratus essem, si non agnoscerem sollicitu-
dinem Tuam, pro incolumitate mea, nec
dignus precibus Tuis, quas pro illa mittis,
& literis, quantum illis tribuam, non testi-
carer. Scilicet quod erecta brachia Mosis su-
inuerunt, quod holocausta labiorum Davi-
is valuerunt, quod piorum orationes effece-
unt, id Te quoq; Tuis precibus apud Deum
btinere posse confido. Si itaque Tu in illis
ersistas, & ego, quantum in me est, officium

Deo & proximo debitum præstem, non (quod timeas, triste aliquid Te auditurum me. Nec dubites velim, quin si quid triste læti fortè mihi accidat, id, si modò tanti non tam ex aliorum, quàm ex ipsis literis facilè Te rescisciturum. Quòd hodiè satis liciter agam, & superiores, quas 21. (31.) cembris præterlapsi anni 1648. ad Te dedi præsentes, satis Te docebunt; Si autem aut alibi locorum, ejus expectanda sit co nuatio, non facilè dixerim. Novit hæc De qui omnia perspicit, cui hæc committo, T ipsi commendo. Vale & perge favere

Rev. T. Dignitatis

Cliviæ 17 (27) Febr.
1649.

Observantissi

Epist. CCCC.

S. P. C.

Illustrisśime & Celsisśime Prince
Domine longè clementissime,

E*T salutis Tuæ nuncium, & constantis in me fectus indicium, longè gratissima mihi f runt, gratiasque DEO debeo, qui Te foris spitem, & quasi sis domi, eodem sensu vult vatum, qualem optamus, in sano corpore, me sanum. Nec falleris, quòd precum nostrarum sidium Tibi fidum, & assiduum polliceris, quantum Tuorum, quorum imperio destinatus interest, ut Te alterum quondam Patrem, & vam ejus imaginem accipiant, tantum mihi Ecclesia intercessionis apud DEUM incumb puto, ut non minores ex Te fructus, studia, or me*

*enta & augmenta, aliquando capiat, quàm in-
tuo Patri Tuo jam ex merito debet. Nasci enim
incipem fortuitum est, interdum etiam cum
ude humani generis conjunctum; bonum dari,
gens Dei donum est; servari diu majus; con-
tuari, maximum, quod ut Domui Tuæ perennet,
EUM supplex adoro qui Te incolumem, bonisq;
nisque auctum Tuis reddat, mihi propitium ser-
et. Vale & fave, veniamque properanti ob pas-
malia sacra concede*

Illust. Celsit. T.

ug. 21. Martii,
1649.

Clienti humillimo.

II.

Cum Duobus Principibus.
Pr. ANTHONIO ULRICO,
&
Pr. FERDINANDO ALBERTO.
EPIST. CCCCI.

Illustrissimi & Celsissimi Principes,
Domini longè clementissimi,
S. P. C.

*Quas auspices hujus anni literas ad me dedi-
stis, incredibili animi voluptate excepi,* nun-
cias, *nondum Vos tædere literarum mecum
commercii & ejus continuandi in anni præsentis
decursum* vades, *quod, quâ debeo, humili obser-
vantiâ agnoscendum, & quo potero studio, & of-
ficio demisso, prosequendum mihi intelligo, quo me
quanto usque potero opere lubens meritò accingo.*

Ac in præsens quidem vota Vestra, *quæ pro an hujus in meum commodum felicitate, fecistis*, *p. meis*, *& calidis* precibus *rependo, non tantù quotidianis iis*, *& assiduis*, *quæ Genio* Domi Vestræ *à me debentur*, *sed pro temporis discrim nibus, solennibus & festis, quibus vitam, sanit tem, salutem, florem & incrementa Vestra*, D Opt. Max. *commendanda duco*, *& irritas nun quam fore, planè confido.* Literarum *verò Vobi cum* commercium *avidè iterum amplector, qu ad Studiorum Vestrorum profectus*, *& excitati nem ingenii facere id mihi videatur*; *& ingente senio meo recreationem adferat, idque frequenti hoc temporis à Vobis expeto, quo in* lucem prod cendis *Vestris Epistolis*, *& in* exemplum exp nendis *totus allaboro*, *quò numerosioribus, eò a incitandum Iuventutis generositatem magis, ce tiusque profuturis. Ergò alacres pergite, meq vetulum excitate, si minus viribus Vestris, & a litati parem, saltem de quo semper triumphet & ad cujus cotem Vos acuatis, idoneum, ut qui V bis gloriam, vel infamiâ suâ parare, minimè dub tet. Vtinam verò hic* Annus, *quàm est* Pacis *n mine expectatus, tam reipsa nobis reddatur claru & ad posteritatem memorabilis, ut cujus* init *sunt multis passim durissima, & amarissima*, pr gressus *mitescant, & dulcescant*: finis *verò ac pactaque omnia coronet, solidasque* GERMA NIÆ *gaudia conferat. At Vobis*, Illustrissim Principes, *ætas Vestra omnium Divinorum & humanorum bonorum augmentis crescat, impri misq*; Serenifs. Dn. Patris *vivacitate & longa vitate beetur, qui felicitatis Domus Vestræ, orna menti, Germaniæ*, *& salutis publicæ est* COM PLEXUS. *Valete & favete*

Illustr. Cels. V. V.

Stutg. 7. Feb. 1649. *Clienti humillim*

EPIST

EPIST. CCCCII.

Illustrissimi & Celsissimi Principes,
Domini longè clementissimi,

*F*Ragrantissimis Vestris literis, quibus mirum, quàm sim refectus, cùm quod reponerem diligenter disquirerem, necquicquam domi oculis [V]estris dignum invenirem, contuli me in hortum [S]ereniss. Caroli Sabaudiæ Ducis, ab ingeniosissimo [E]manuele Thesauro consitum, ubi decerptis flori[b]us, quâ specie raris, quâ colore elegantibus, odore [su]avibus, & figurâ variis, Corollam contexui, [q]uam oculis Vestris exhiberem, ipsum hortum ad [V]os missurus, nisi ejus Exemplum ad Sereniss. [D]n. Patrem Vestrum jam esse translatum audi[v]issem. Accipite, quâ estis facilitate, examinate [v]o Vestrâ sagacitate, judicate ex ingenii Vestri a[c]umine, & cum Sabaudo Emanuelem Ingeniorum [P]hœnicem agnoscite. Nihil profectò tersius, con[c]innius, acutius, nervosius & accuratius, lemma[ti]s, quibus omnem propemodum Sacram Historiam [p]erstrinxit, excogitari potuisse, Vos libenter, qui[b]us ea quotidianâ lectione nata est, fatebimini, [q]uorum desiderium, hoc contracto specimine face[r]e volui, ad ipsum Hortum contemplandum Vos [i]nvitaturus; Lectori verò ejus aliquam partem, [c]ui introspicere totum non liceat, opellâ meâ com[m]odaturus. Sed & hoc volui, ut Epistolis Vestris, [m]irâ animi generositate & comitate jam numero [d]ucentenario ad me scriptis, brevi lucem visu[ri]s, Corollarium à nobiliore, quàm meum est inge[n]ium, adderem, & sacro aliquo auctario, opuscu[l]um meum ornarem, cum voto, ut vivis, valen[t]ibus, florentibus & crescentibus Vobis, (siquidem [m]ihi dies seniles & languidos DEUS indulgen[t]issimus producat) Centurias plures seculum nostrū

videre, & exponere Posteritati in exemplum in
comparabile possit; Interea Vos adibit Theophi
lus *meus, de variis rebus, non ad vulgi gustu*
collaturus, de quibus nemo rectius, quàm Vos, &
qui Vobis sunt additi Informatores, judicaveri
Suscipite clementer Erronem, & Patriam ei con
cedite extra Patriam; Sic Vobis concedat Christi
optima quæque & maxima. Valete Illustrissin
Principes *& favete*

Illustr. Cels. V. V.

Stutg. 18. April.
1649.

Clienti humillim

Illustriss Dn. Fratri Rudolpho Auguste
quotiescunq; licuerit, salutis votum m
calidissimum deferri, humillimè & en
xè precor.

Efformatoribus & Informatoribus Vestris s
lutem officiosam ipse adscribo.

LEMMATA SACRA IN REGIAM JESU CHRISTI GENEALOGIAM.

I. MVNDI PVERITIA.

PASTORES.

1. Adam.

Jacet, per quem omnes jacent,
Minus tamen egerat, nisi peccasset,
Ligno eodem reparatus quo periit.

Cain.

Cui Forum Sylva, Testis mortuus, Apparitor umbra,
Carnifex culpa, Iudex DEVS:

Abel.

Rex inter oves, Ovis inter Reges,
Mortem omnibus, vitam nemini flendã transegit.

Caini proles.

Pro latebra & sepulchro silentium habet.

Lamech Bigamus.

Bis amans, Bis amens,
Cupidinis flammis ambustus, in unda periit.

Iabel.

Qui cœlum spectare noluit,
Parum egit, si à cœlo spectetur.

Iubal.

Qui flebili seculo non flevit,
Extinctus videbitur.

Tubal.

Brevem vitam fecit Natura, Brevissimam Culpa,
Ars nullam,
Ferreus erat, qui ferrum reperit.

2. Seth.

Intupta Sethi gentilitas diu retinuit,
Mersoque Orbe sola enatavit.

3. Enos.

Postquam homines alloqui desiit DEVS,
Hic homines docuit cum DEO loqui.

4. Cainan & 5. Malaleël.

Gemini Mystæ,
Quorum alter luctu, alter cantu litavit,
Vera quippe voluptas lachrymarum est proles.

6. Iared.

Nemo serius prolem habuit,
Nemo enim diuturnius erat habiturus,
Filio superstes, filius patri.

7. Enoch.

Vivis egressus, Mortuis superstes,
Solus sibi Phœnix Iuvenile senium habet.

8. Mathusales, & 9. Lamech.

Hi Cœli filii
Cœli oculos mortalium oculis ostenderunt,
Ergo linguis tollantur in Cœlum,
Qui oculis Cœlum obtulerunt.

II.
MVNDI ADOLESCENTIA.
MILITES.

10. Noës.

Novus & Navis abditus Nauta,
Arcam pro arce molitus,
Totam Orbis pietatem trabe una sustinuit.

Cham.

Vnicum patris malefactum,
Ipso in Salo salax,
Nova purgati Orbis macula.

Nembroth.

Impotens sui, quod nimium posset,
Gigantum turrim meditatur, Turrium gigantem,
Non solidum opus, quia stolidum.

11. Sen

11. Sem & Iaphet.

Religiosum par fratrum
Quot filios, tot Reges habet,
Alter Hebræorum, alter Romanorum Parens,
Christum alter progenuit, alter coluit.

12. Semi progenies.

Distributis cœlitus exiliis, quæ colerentur,
Hac animatus est Orbis,
Servari debuerunt germina, Servatorem germinatura.

20. Abrahamus.

Quæris quàm Magnus fuerit?
E sinu metire,
Omnes probos gremio excipit.

Loth.

Infelix Genitor, cui flammæ servatus?
Ignem fugit, & secum tulit in dolio.
Gemina tamen inter stupra castus.

Lothi uxor.

Dum Patriam spectat, se amisit,
Et in sua statua tumulatur,
Insulsa salsum migravit in lapidem.

21. Isaac.

Flebiliorne Sacerdos, an Victima?
Gladium alter, alter jugulum nudat,
at momento
Isaacus iterum natus, Abrahamus iterum Pater.

22. Iacob.

Matris acumine, & Patris cæcitate adjutus
Dolis alios, alios Donis vincens,
Diu luxit, verè ut gaudeat.

Tribuni XII.

Astra duodecim, tempestates alternantes.
Sunt Vestræ familiæ totidem Emblemata.

III.

MVNDI IVVENTVS.

DVCES.

23. Iudas.

Huic longa perpetuaq; Regum linea decurrens,
Denique in Dei humeris sedit,
Ita Solium fuit altius Sole.

Ioseph.

Hic pia fati talione
Ter infelix
Omnia recuperavit præter patriam,
Cui ossa legavit pro oraculo,
Semel mortuus, Bis tumulatus, Ter fletus, Quater
(felix.

24. Phares.

Regia Christi gentilitas hoc probro superbit,
Et virginei partûs Aviæ jactantur incestæ.

Hiob.

Non minore præmio quàm prælio,
Regno, Liberis, Opibus, duplo auctior,
Suos ipse luctus cecinit.

25. Efrom. 26. Ramus. 27. Aminadab.

Aulici ætatem habes,
Cui mendax fortuna
Primùm applodit, mox supplodit, demum explodit.

Moses.

Hunc Morientem nemo vidit,
Mortuum nemo invenit,
Tumulum ei nemo erexit.

Aaron.

Hic Pontificum Princeps & Princeps Pontificum,
Cecidit, nemo fidat. Convaluit, nemo diffidat.
Lubrica res est præesse.

28. Naasson.

Religionem princeps, Religio principem servat,
Incipite quæ præcipitis,
Malè imperat, qui imperat tantùm.

29. Sal-

29. Salma.

Hic Patriam in exilio, Exilium in Patria habuit;
Cui meretrix meritissima
Meliorem sortem dedit, quàm habuit.

Iosues.

Quas Moses dedit leges, Iosues servavit,
Cui Sol & Luna statarii Planetæ,
Vt DEVS quiesceret, nunquam quievit.

Samson.

Alcide fortior, dum toties vincit,
Effœminatior, dum toties ancillatur,
Odiis felicior quàm amoribus.

30. Booz. 31. Obed.

Ex meritoria castissimus nascitur,
Et pauperculam ducit æratus,
Sic Synagoga natus nubet Ecclesiæ alienigenæ.

Gedeon.

Felix, si uno filio minus fœcundus fuisset,
Sed humanarum rerum stylus est,
Læta tristibus finire.

Iephtes.

Hic pugnare doctior, quàm vovere,
Victoriam nimio mercatus est.

32. Iesse.

Ducum Palmis, & Regum radix,
Bethlehemi patricius,
Patriam fecit DEO dignam.

IV.

MVNDI VIRILITAS.

REGES.

33. David.

Omnium felicissimus & miserrimus,
Externis liber, & intestinis obnoxius,
Felices facere, felix esse non poterat.

Samuel.

Templi custos, & DEI templum,
Æqui

Æqui Iudex. Iudicum æquissimus.
Zelo æstuans, Lachrymis madens,
Omnium laudum compendium.

34. Salomo.

Prudens Puer, Effæminatus Vir, ferus Senex,
Obiit insanus Sapiens,
Hebræorum decus & dedecus.

35. Roboam.

Vter insanior?
Qui sapuit aliquando, an qui nunquam.
Sed Iuvenili Senatu Regna Senescunt.

36. Abias.

Omnium Mulierum Vir, omnium Virorum Mulierem duxit,
Paterna vitia pro patrimonio relinquens,
Vitam & vittam inglorius ponit.

37. Asa.

Virtutis honorarium tulit victoriam & pacem,
Criminis pœnam nobilem pestem Podagram,
Virtus tamen fragrat, cùm flagrat.

38. Iosaphat.

Tantæ veritatis, ut nihil ignoraverit,
Tantæ severitatis, ut nihil ignoverit,
Ne quid inultum lateat, nihil inustum reliquit.

39. Ioram.

Perituri Tyranni argumentum est,
In securis metus, in metuendis securitas,
Et Regum delicta regnum luit.

40. Ozochias. 41. Ioas. 42. Amazias.

Omnes laude indigni, digna laude incepere,
Nec inter vivos, nec inter extinctos numerandi,
Nam quos premit oblivio, non natos puta.

43. Ozia.

Vanida victoriarum distentus aurâ,
Sacro thure prophanus adolevit,
Hinc diu expiravit vivum cadaver.

44. Ioatham.

Mutuis gladii & ligonis officiis
Tueri qui aluntur, ali qui tuentur, voluit,
Fortia tamen facilius fecit quàm dixit.

45. Achaz.

Hic ex beneficio maleficus
Se spoliat, ne spolietur,
Incluso & spoliato DEO,
Perditus se perdit.

46. Ezechias.

Hem quid solidum in humanis?
Si ætas Horarium est, Annus linea, umbra Vita,
Lethalis umbra, quæ lineas execat, quotquot attingit.

47. Manasses.

Orbis Eoi vesper,
Exemplo corruptos, Exemplo correxit,
Vt diutius doleret, Nemo diutius regnavit.

48. Amon.

Inter vitia & virtutes ætatem dividens,
Vt probè senesceret, improbè adolevit,
Inter flores jacet sed frugiperdas.

49. Iosia.

Solus hic nec commisit scelera, nec promisit,
Exhumatæ legi lucem dedit,
Occumbendo vicerit, an vincendo occubuerit, incertū.

50. Eliacim & Ioachaz.

Hic ex secundo primus, ex primo postremus,
Regnum pervertit, quia prævertit,
Ille vivus jacuit in tumulo, Mortuus vixit extra tumulum.

Sedecia.

Hic inter Mortes, mortem non invenit,
Oculis & Liberis orbus
Vrbem in Vrbe non vidit.

Susanna.

Florum regina, & Reginarum flos,
Inter vitæ aut virtutis discrimen
Radiavit veritas, & nubem fregit.

51. Ie-

51. Iechonias.

Cecidit, Cecidit superba regia pinnis coronata,
Nil jam nisi funus & fumus,
Quam nobis patriam linquat, qui exulem facit
DEVM.

V.
MVNDI SENECTVS.
SOLITARII.

52. Salatiel.

Hic in servitute sibi imperavit,
Pro populo suo flevit,
Tres Tyrannos flendo confecit.

53. Zorobabel.

Dura molliunt calentes preces,
Dum calet Divinus favor, Opus maturavit,
Satis egit, qui DEVM recepit.

54. Abiud.

Primus extra Babylonem nascitur,
Trulla & Gladio utrinque districto
Alterâ sacram operam peragit, manu alterâ protegit.

Esdras.

Hoc revixit Mundus, dum suos legit Natales,
Qui oculos audire fecit, digitos loqui,
Cordis secreta in paginâ pinxit.

55. Eliazim. 56. Azor.

Hæc Messiæ destinata educatrix,
Vt ignotus ex ignotis nascatur DEVS,
Tegi voluit, non legi.

57. Sadoch.

Hic lachrymis pro Thure substitutis,
Iratum demulsit Numen plorando,
Nam disertus Orator est, deserti fletus.

58. Achim.

Hoc fortuna dulcibus acida intermiscens
Alternis risit ac flevit,
Vt nec gaudia continere posset, nec lachrymas.

Iesus

Iesus Syracides.

Hic ex iis, quorum manibus unum præfuit Caput,
Aut quorum capita uni scripserant manu
Vnilingues, quia Vnicordes.

59. Eliud, & 60. Eleazar.

Martyrum fuit horum seculum,
Hinc Bethlehem secedentes
Exilium ferre maluerunt, quàm mereri.

Eleazar Martyr.

Hic maluit esse esca, quàm tales esse escas,
Rempublicam fulcire integer nequivit, fractus po-
Totus nunquam mortuus est. *(tuit,*

Mater Machabæa.

Hic colus numeratur inter Trophæa,
Vno die septies Mater & Martyr,
Spectat suos Heroas, spectata Herois.

Razias.

Amore libertatis nihil ingeniosius, ac sævius,
Titiano immitior vulture, suum scalpit pectus,
Ducente virtute, qua vitium est sequi.

Mathathias.

Sine populo princeps, Pontifex sine Templo,
Ex Sacerdote Iudicis Carnifex, Iudicem Sacerdoti
facit reum,
Ex voce classicum facit, pugione vexillum.

Iudas Machabæus. 1.

Sacro & militari ministerio bis princeps,
Majora quàm geri possint, gessit,
Domesticis tamen malis, ut Victores solent, extin-

Ionathas. 2. *(guitur.*

In illo divinum robur, in hoc humana prudentia,
Pro illo DEVS, hic pro DEO militavit,
At cum Græcis Græcissans perit.

Eleazar. 3.

O qualis Machabæorum libertas!
Malunt sub belua frangi, quàm vivere sub Tyraño,
Debellatus Elephas ebur ministravit.

Simon.

Simon. 4.

Virtutibus omnibus summâ laude perfunctus,
Proditorio epulo receptus & deceptus,
Suū & liberum sanguinem fidelem Patriæ dedit.

Iohannes Hircanus.

Sicarios perdidisse, strenuè bellasse, muros refecisse,
Totum elogium, Trilogio expeditur,
Ipse post omnes, post ipsum nemo laudatur.

VI.

NOVA ÆTAS.

SANCTI.

61. S. Panther, & S. Mathan.

Immodesto seculo modesti fratres
Tyrannicum fastum è Bethlehemo in Galilæam fugêre,
Optimum quippe in Tyrannos bellum, est fuga.

62. S. Bapanther; & S. Iacob.

Naufrago seculo salutares hi Dioscuri
Virgineam Navim, & Cœlestem Gubernatorem
Dexteriore alite velificaturum ostenderunt.

63. S. Ioachimus & Anna.

Ille Regiâ, hæc Sacerdotali stirpe,
Vt Dotali utroque apice Nepotem instituant,
Inter Reges Pontificem, inter Pontifices Regem,
Sese Numinis Avos sunt mirati.

S. Ioseph.

Mortalibus imperat Puer, Puero Mater, Matri Sponsus,
Nonne hic Augustus,
Rerum Dominum domi possidet.

S. Maria Virgo.

Dei filia, Filii Sponsa, Sponsi Domina, Domini ancilla,
Cœlestia humanis, humana cœlestib⁹ compaginavit,
Ipsa Deo, ipsi Deus Virginum florem Matri servavit.

S. Iohannes Baptista.

Hoc prœcone nemo Major, nemo Minor,
Nemo Taciturnior, nemo Vocalior,

Solùs

Solis Lucifer, Luciferi Vesper,
Trunco etiam capite clamosus.

JESUS CHRISTUS,

Sacri Voluminis Alpha & Omega,
Rerum omnium ultima meta,
Quo procedat, qui huc accedit?
Errat nempe, qui ab hoc deerrat,
Rectè it, qui ad hunc pervenit!
CVI SOLI GLORIA.

III.

Cum Pr. ANTHONIO VLRICO.

EPIST. CCCCIII.

S. P. G.

Et feliciorem annni auspicium,
Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

OBsequiis Natalitiorum Immanuelis nostri IESV *utcunque perfectus, ad alia negotia* Ecclesiæ *deposcor, scilicet replendis sacris nostris alvearis, quæ temporis calamitate evacuata sunt, mandato* Principis Heri mei, *imposita. Quæ res facit, ut jam minus Tibi vacem, cui vel datâ fide literas debeo, nedum animi voluntate juxta & voluptate lubens meritò destino. Delector enim quàm maximè, cùm* indolis Tuæ *generositate, tum* industriæ *crebrioribus speciminibus, &* artiū artificumque *culturam in Te vehementer laudo. Nunc verò in arctum conjectus, quòd ad Te scribam animo distracto, non invenio, nisi hoc* anni

Qua-

Quadragesimi noni *exordio*, *Tibi Fratribusque Tuis inclutis*, Dn. Rudolpho Augusto, & Dn. Ferdinando Alberto, *Dominis clementissimis meis bona verba & votiva dicam*, *DEUMque vobis propitium ex animo precer. Vtinam verò quàm hic olim numerus annorum Populo DEI sacer fuit*, Iubilæumque *constituit*, *quo quisque ad possessionem suam rediit*, *manumissa sunt mancipia*, *debita donata*, *& reversi omnes ad familiam suam*. [Lev. 15] *Sic nobis tam duram sub Bellonâ servitutem tot annis perpessis*, Iubilæus *hic annus*, *&* pacificus *illucescat*, *quo malorum nostrorum oblivio inducatur*, *& honorū seges omnigena Patrias nostras sedes reficiat. Vobis verò* Illustrissimi Principes *sit ad vigorem* animi, *sanitatem* corporis, *incrementa* virtutum, *profectus* studiorum, *successus* institutorum, *augmenta* fortunarum, *& ornamenta* exercitiorum *felix faustus*, *facilis & conspicuus*, *cunctaque Vestra in DEI* gloriam, *Domus Vestræ* decus, *& Reip.* salutem *destinata* CORONET. *Vivite florentes*, *valete & favete*.

Ill. C. C. C. V. V. V.

Stutg. 3. Ian. 1649. *Clienti humillimo*

EPIST. CCCCIII.

Anni auspicium felix, *mediumq; cum fine felicissimum*.

QVamvis quidem nunc inopiâ tempor[is] impediar, nolo tamen *Clariss. Vir*, alteri[us] operâ uti, in quibus & studium & pron[ti]tudinem meipsum testari fas est. *Votu[m] Tuum* sub finem anni proximè præcedenti[s] pro salute & incolumitate meâ susceptum l[i]bent[er]

ienter audivi, ego idem cum *Voto calidissimo* epono, Deum omnis boni largitorem enixè ogans, ut Te Tuosque hoc anno instanti, & eliciſſima quæque nobis promittente, diu ſalros, ſuperſtites, & ab omni miſeriarum genee immunes eſſe velit. Tu lineis hiſce paucifimis, plurima tamen & exoptatiſſima quæq; n ſe continentibus, nunc vale, & brevitatem ianc mihi concede. Ita enim, ſi opus eſſe eximas, à Te enixè peto. Dabam *currente calamo.* d. 15. Ianuarii, Anno 1649.

Efformatores noſtri officioſam *T. Cl.* ſalutem viciſſim transſcribunt, Tibiq; annum feliciſſimũ nobiſcum precantur.
Cl. T.

Studioſiſſimus.

EPIST. CCCCIV.

Felicitatem proſperam!

TVis literis menſe Ianuario datis, quòd adhuc non reſponderim, juſta hæc apud Te erit excuſatio, quòd minus commodam ransmittendi occaſionem ex abſentia *Cl. Dn. Parentis noſtri* habui. Facilè autem credo, Te multis & moleſtis occupationibus impeditum eſſe, audito ſaltem *alvearium negotio* ab Illuſtriſſimo Principe Veſtro Tibi demandato. Apicula parvũ & laborioſum hominis Exemplar magnis laboribus & concurſionibus inimitabilem illum humanę rationi ſaporem vario florum & ſuccorum genere perficit, & mellariis recondit. Quantum laboris & operarum Te impediſſe exiſtimandũ eſt? ut tales con-

fingas

fingas & DEO & Principi Tuo sistas, ad quo
alii se conferre, & gratum animarum pabu
lum habere possint. Quem sacrum laboren
neutiquam nugis meis posthaberi vellem
quibus subcisivi temporis reliquum est, tribu
debet. Quod de felici hoc *Novi Anni M. D*
XLIX. ingressu nobis gratularis, agnosco hu
manitatem & pietatem Tuam, Teque seri
pacem & tranquillitatem exoptatissimam vel
le, certò scio: Sed tam exulcerato tempore
vix aliquid sperare licet, quod voluptati nobi
esse poterit; Ita *fortuna* egregiè ad hominun
indolem respondet, & nunquam constans est
aut certi quid promittit, ut ferè cogamur cre
dere Philosophis, eam *saxo* astare *globoso, &*
volubili. Vale & benevolentiam Tuam mih
persevera. Dabam *Guelpherb.*d.13. Feb. 1649

Cl. T.

Studiosissimus

Frater meus dilectissimus, *Ferdinandus Al*
bertus, quoniam ante octiduum circi
ter in febriculam incidit molestam
sed tamen iterum bellè habet,respon
sionem differt, in proximum, nun
autem cum Præceptore nostro, im
pertiri Te plurimâ salute petit.

Epist. CCCCVI.

Illustrissime & Celsissime Princeps
Domine longè clementissime,

AD literas Tuas 13.*Februarii scriptas, nun*
demum respondeo, cujus interstitium Tua fa
cilitas ultrò mihi obtulit, ut si minus negotii
serin

iis, negotiosis tamen animi distractionibus &
nporis decrementis vacarem. Sumus enim jam
n in alveariis *repurgandis, sed ipso* Augiæ sta-
ilo, *occupati, quem fimo suo non* fuci, *sed* boves
oleverunt, cui purgando non unus Hecules *suf-*
iat, reædificando altero *quodam* Alexandro
us sit. Nempe experimur, quàm facilè fuerit
rostrato Ephesium Templum *incendio per-*
re, cui tamen extruendo ducentis viginti annis
a Asia non æstimandas operas & impensas con-
lit. Non quòd multorum annorum labore, vigi-
s, & studiis à peritissimis architectis & opifici-
n in Ecclesia & Republ. est sumptuosè paratum,
lerter institutum, eleganterq; confectum, id su-
to vastatorum intemperie, in solitudinem, bar-
riem, & dissolutionem abiit, animus juxta cum
rporibus ita jam efferatis, ut iis cicurandis &
frænandis plurimum laboris & temporis debea-
r. Nec desunt nobis interea Saneballati, To-
æ & Gosemi, *qui omni nisu restaurationem*
erosolymæ, & *ædificationem* Templi Domi-
impediant; sed & Haggai & Sachariâ *Pro-*
hetis nobis opus est, qui a privatis studiis, ad pu-
icum opus Dei nos revocent, Nehemiâq; *præfi-*
, qui seriò & sincerè negotium Christi agat, &
stacula varia, quæ intercidunt, avertat. At ô
atos illos, quibus ab uno & primo mobili cætera
nnia ordine & decenter reguntur, & ad amus-
m Verbi divini, atque exemplum restauratorum
atriæ suæ laudatissimorum conficiuntur, quos
uciores, omnes ætates tulerunt, aliquos tamen
nnis posteritas prædicat. Quò magis Domui Ve-
ræ Guelphicæ *gratulandum est, quæ toties*
AVGVSTOS *habuit, & nunc* Patrem Tuum
verè, Religionis & Regionis *sibi concreditæ,*
Rationisque *omnis elegantioris, cùm* instituto-
em, *tum* auctorem *nobilissimum, cujus laus*

Z Vobis

Vobis Filiis *ejus, si vestigia, quod confido, sequ*
mini, perennabit. Fratrem Tuum Ferdinandu
Albertum *febriculâ tentatum, revaluisse læt*
quem sospitem porrò & faventem mihi opto, li
rasque ejus avidè expecto. Nunc verò Te dimit
gratiis pro Tua in me propensione, cui contrà om
meum studium humillimum & obsequium desp
deo. Vale felicißimè & fave

Illustriss. Cels. T.

Rutg. 7. Martii,
1648. *Clienti humilli*

D. D. Ephoro & Informatori V. officio
salutem subscribo.

Epist. CCCVII.

Salutem plurimam!

GRavi sanè Vos opere perfungi certu
est, *Vir Clar.* cùm tantam rerum omniu
eversionem apud Vos esse scribas, tant
que sordium congerie omnia repleta, ut
perpurgandis non maximorum etiam labo
homines sufficiant. Non miror ego hæc.
enim tantæ molis erat olim, novum quid co
dere, quantum laboris capiendum erit, ea i
rum erigendi, quæ si non planè collapsa fu
Restauratores tamen suos longè intoleral
liori operâ consumunt. Loquor, uti vides,
mente Opificum, qui aliquid de novo con
tere malunt, quàm damnis resarciendis a
magno dispendio insudare. Rem hæc di
concernere Ecclesiasticam, & publicam,
proinde nullâ ratione negligendam. Ita ce

t, dignum onus, in quo omnes nervos indu-
riæ vestræ contendatis; & si mutuas junxe-
tis operas, Dispensator ille summus Vestros
vabit conatus, robur & vires suppeditabit,
us quàm Hercules, ut fœdum illud Augiæ
abulum, omniumque purgamentorum re-
ptaculum feliciter emundetis, eluatis, no-
sque stationibus augeatis & exornetis. So-
os, uti in aliis, ita hic quoque malorum Vos
abere puto plurimos. Nullus enim erit lo-
is, qui non gravius subinde sentiat, quid ca-
mitosissimo hoc bello hactenus fuit illatum.
ullibi piorum tam seria vota, & sacræ moli-
ones, quæ pessimorum interventu non re-
indantur & impediantur. Manet tamen
onstans semper & inconcussa Voluntas Di-
ina, quam nemo immutare poterit, cui etiam
unc ista, nosque omnes ardentissimis votis
ommendamus. *Guelpherbyti*, d. 3. April. An-
o 1649.

Cl. Tuæ

Deditissimus.

IV.

Cum Pr. FERDINANDO ALBERTO.

Epist. CCCCVIII.

S. P. C.

Illustrisſime & Celsissime Princeps,
Domine clementissime,

*Nihil est negotiorum, nihil etiam ab invaletu-
dine tanti, quod à scribendis ad Te literis, ar-
ceat, quàm collatio Tuarum ad meas, scilicet*

stili alacris & tersi cum mea hebetudine, *eleg[an]tiarum cum* morositate, *jucunditatis & flor[is] cum* situ *meo, &* nugis querulis, *ad quæ profe[cto] animus stupet, & pudore suffunditur. Erigor t[a]men subinde & facilitate & aßiduitate Tuâ, [i]quibus cùm Te proficere plurimum ingenio & st[u]diis intelligam, non deero ipse honestæ exercitati[o]ni Tuæ, & laudabili, rustico pudore meo, cùm* cr[e]scere *Te, me autem* minui, *omninò oporteat. Pe[r]ge ergò* suavissime Princeps, & *vel per infam[iam] meam, para Tibi hoc decus, quod bonæ literæ [&] artes Pietati & Virtuti conjunctæ, promittunt T[i]bi, & amplißimum* Serenissimo Dn. Patri Ti[bi] *sine exemplo hujus seculi compararunt. Cuj[us] dum sequeris vestigia, & facilius & certius [&] citius etiam sublimiusque eò pertinges, cùm in [A]*quilarum & Leonum *pullis nativa indoles [o]mnem aliorum animi contentionem longo post intervallo relinquunt. Adsit Tibi propitius CHR[I]STVS, & animi corporisque bonis augeat. Va[le] & fave*

Illustr. Cels. Tuæ

Stutg. 16. Ian. 49.

Clienti humillim[o]

Ephoro & Informatoribus Tuis plurimam [&] perofficiosam salutem adscribo.

EPIST. CCCCIX.

Salutem plurimam, cum voto Novi Anni felicißimo.

IN tantum auges erga me debitum Tuum *Vir Cl.* ut si rigidus exactor esse vellem, a[b]bundè non solùm haberem, quod pro m[e] urgere, sed aliis etiam transscribere possem.

Ne

ec dubito, quin solvendo sis, quot & quanm etiam à Te efflagitare quis velit. Adeò im omnis generis eruditione, & vario rem usu abundas, ut ad copiosam senectam, e pervenisse gloriari, & omnibus longè anire possis. Exiguum hoc esse, uti sæpè aliàs, i proximè quoque respondebis. Sed nosti, i quis locupletior, ita magis infra tenuissiorum sortem se submittit. Quæ de *Vitæ no- æ conditione* pluribus differis, non est, quòd :atem meam terreant, cùm illa æquè ac aıltiorum variis pro lubitu summi Directoris cissitudinibus sit exposita, neque quicquam it, quod ab hujus mundi vanitatibus faciıs nos dimovere poterit; quàm crebræ eaım considerationes, quæ paulò clarius nobis stendunt, quid fuerimus, adhuc simus, & ındem nobis sperandum sit. Licuit hoc non a pridem ad oculum videre in Stabulario ostro, *Dn. à Lentz*, qui postquam per octiuum decubuit, ante quatuor ferè septimanas âc vitâ excessit, cujus animam, uti nunc beaorum sedibus relinquimus, ita nobis vicissim, àm Deo sic placuerit, hoc iterato *novi anni* ıgressu, vitam felicissimam, & diuturnam ex nimo invicem precamur. Exarabam has *ıuelpherbyti*, d. 15. Ianuarii, Anno 1649.

Cl. Tuæ

observantissimus

FERD. ALBERTVS
D. Br. & L.

Epist. CCCCX.

Salutem & felicitatem prosperam!

BInas jam à Te habeo, *Vir Cl.* quæ ad m[illegible] tuum scribendi munus pigrè me redeu[illegible] tem grato movent hortamine, ne vel n[illegible] gligentiâ hoc factum, vel veteris illius int[illegible] nos consuetudinis oblitum me esse existim[illegible] Pingis & ob oculum scriptorem elegantis[illegible] mū, jucundissimum, styli item tersi & alacr[illegible] exemplo tamen fortè non à me, sed teipso c[illegible] sumpto. Novi enim, quantum ab hujus sim[illegible] litudine absim, quamq; leviter à densiorib[illegible] inscitiæ tenebris pedem modò moverim, pr[illegible] moverim ferè nihil, ita ut accuratius exam[illegible] nil nisi humilem, angustum & tenuem me e[illegible] se fatear. Illis itaque dum adhuc circumfu[illegible] dor, & quasi suppressus hæreo, miror, quî l[illegible] rem publicam adspicere possint, quæ hact[illegible] nus à me transmissa fuerunt, in quibus nil[illegible] ab ingenio excultum, ab arte limatum, ab i[illegible] dustria elaboratum, reperire licet, quod eri[illegible] & aliis documenti loco proponi possit, nisi c[illegible] ligens adhibeatur litura, quæ vel omnia tc[illegible] lat, vel quæ sanari possunt, à mendis suis [illegible] beret. Quòd spe & votis de tranquillitate p[illegible] blicâ diu hactenus inter nos concepimus, [illegible] paulatim & quidem optatò evenire videmu[illegible] Transactiones enim omnes jam ratas & fi[illegible] mas esse certum est, neque de exauctoratio[illegible] militum brevi secuturâ dubitare licebit, qu[illegible] aliò, quàm ocyssimè relegandos, omni stud[illegible] atque operâ curamus. Vale. Dabam *Gue[illegible] pherbyti*, die 27. Februarii, Anno 1649.

Cl. T.

Observantissimu[illegible]

Epis[illegible]

EPIST. CCCCXI.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

QVòd si ad ternas quaternasve meas semel respondeas, abundè id mihi sufficit, ad ingentem voluptatem, quam ab affectu in me Tuo, profectu in literis capio. Quicquid enim dissiles, fortè etiam ipse non animadvertas, ego tan per hæc intervalla, quantum indies progreris, propiusque ad Patris laudatissimi ideam aclas propius, deprehendo. Quos enim iste in hac ate ingenii & virtutis illustriores flores cum miratione & plausu spectatorum produxit, eosm ex te jam emergere, protrudique palam vio, & expositum iri suo tempore in publico gauo. Interea non desinam Te stimulare, & alios que alios ex illustris Tui Genii horto, hoc Veris mpore exeras, qui in ætate maturescant, ad mesm fructus seminaq; bonæ famæ, & publici usus rant. De Pace spei tecum plenì sumus omnes, iam tamen vix dum videmus; rei verò tum erius, cùm Ecclesiæ & Politiæ membra luxata, sibi erum rectè undique constabunt, tum verò & ve gaudebimus, & mutuum gratulabimur. Illurissimos Fratres Tuos reverenter saluto, lætaque obis cuncta, lucidaq; ex animo precor. Vale cum s, flore & fave

Illust. Celsit. T.

...tg. 21. Martii,
1649. *Clienti humillimo.*

Nobiliss. Ephoro, & Clariss. Informatori perofficiosam salutem addo.

Epist. CCCCXII.

Vir Reverende & Clarissime,

AVidè meas expectare Te scribis, sed n
scio quâ cupiditate adductus, nihil en
à me expectare licebit ad palatum tuu
Verùm cùm facilè credam te paucis & tenu
ribus nonnunquam contentum esse, en tibi
neolas hasce breves, quibus æquè ac liberal
ri apparatu interea delecteris. Grata mihi
memoria tua valetudinis meæ, quam & T
prosperam ac diuturnam precor, ut probè a
fectus semper esse possis ad obeundos labo
tuos, quos maximos esse, facilè conjectura
possum; Si tamen fructum, quem exinde sp
rare licet, consideremus, eos nec Tibi insu
ves, nec communi saluti Vestræ parum prof
turos existimamus. Quid enim iis reposit
sit, quorum opera enixior est, quique dilige
tius advigilarunt, ipsemet nosti? Faxit De
ut & nos aliquando, quod speramus, aliqu
promissionum illarum ad æternam animaru
nostrarum salutem auferamus. Plura oti
sus, hæc subitò, & uti vides, celeriori calam
Guelpherb. d. 3. April. 1649.
Cl. T.

Observantissimu

Efformatores nostri vicissim Tibi ac Tu
præmissâ officiosâ salute omnia fel
cissima precantur.

EPIST. CCCCXIII.

Salutem & felicitatem prosperam!

I quid in hortulo meo florum, quod scribis, *Vir Rever.* reperire licet, eorum vel elegantiam vel augmentū me nescire, libenter fa-
ξor. Idque imperitorum more fortè evenire
)let, qui quoniam plantarū, & quicquid suas
abet progressiones, incrementum oculis vix
erspiciunt, animo quoq; illud concipere ne-
ueunt Longè autem aliter doctiores, & re-
um naturalium benè periti, quibus, hæc o-
nnia & motum & augmentum suum habere,
atum ac firmum est. Quorum numero cùm
k Tu mihi venias, fidem libenter Tibi adhi-
)eo. Cogitabis autem hæc nostra non ex au-
o nasci, quod de se nova gloriatur India, sed
:x impuro & infœcundo adhuc ingenii judi-
:io, ideoque meo & Fratrum meorum nomi-
ie adhuc Te rogatum volo, ut, si quid mon-
itroli in illis fuerit, quod facilè credimus, &
scimus, illud Tuâ industriâ corrigas, antequā
aliis proponas, qui cùm plerunque solent esse
lautiores, & facilè ubi erratum sit, perspicere
possunt, nauseam potius ac fastidium exindè
contrahant. Speramus, Te diligenter omnia
hæc curaturum esse, Tibique vicissim promptitudinem ac studium nostrum pollicemur.
Guelpherbyti, d. 17. April. Anno 1649.

R. T. Dignitat.

Observantissimus.

Efformatores nostri vicissim officiosam salutem Tibi nunciari petunt.

Epist. CCCCXIV.

S. P. C.

Illustrissime & Celsissime Princeps
Domine longè clementissime,

Cum nunquam non sint Literæ Tuæ mihi accé ptissimæ, tum hoc temporis eas avidius excipio, quo ad metam properanti Typographo plurima prostare ingenii Tui elegantis specimina & fœtum generosis ausibus Libellum nostrum prodire in publicum, cupio. Etsi enim pro Tuâ Modestiâ omnem ejus laudem in alios derivas, ego tamen eam Tibi magnam partem deberi, omninò assero. Quis enim Tibi non tribuat alacritatem in suscipiendo hoc scriptionis labore, sagacitatem in imitando, contentionem in conficiendo. diligentiam in exprimendo, patientiam in continuando, atque hæc cuncta, summâ gratiâ & humanitate condiendo, quæ ut singula ita cumulata in Te, tanquam maximi olim profectus certa præsagia, æstimanda & laudanda duco. Noli igitur vel sterilitatem agelli Tui accusare, vel semina infœcunda credere aut jam in floribus formam & elegantiam desiderare, sed in spem certam erigi, quæ nunc teneræ sunt, robur acquisitura, quæ inclusa, exertura se, quæ cruda, ad maturitatem, ipsamq; uberem messem, esse profectura; Nam & Veris decor, qui jam propriè Tuus, & Æstatis, & Autumni alii atque alii sunt proventus, varietate grati, aspectu amabiles, usibus commodi, denique viribus ad hominis salutem & voluptatem singuli, proprii. Iam ergò floribus Tuis delectabimur, quos ut feliciter producas, & vividos ostentes, DEUM, herbæ, floris & frugis authorem & servatorem precabimur, post hæc initia magna, progressus majores, deniq; succes-

cessus maximos expectaturi. Vale cum Inclutis D. Fratribus florentissime Princeps, & fortunâ Tuâ utere ac fave

Illustr. Cels. Tuæ

ug. 2. Maii 1649.

Clienti humillimo.

Informatoribus Tuis salutem cum officiis repono.

V.

Cum Pr. SIBYLLA VRSVLA,

EPIST. CCCCXV.

S. P. C.

Et fortunatum anni exordium,

Illustrissima & Celsissima Princeps, Domina longè clementissima,

Agnosco officii mei esse, ut hoc solenni temporis reflexu vota Tibi feram Virgini illustri, *humilia*; piæ, *religiosa*; doctæ, *literata*; ingeniosæ, *elaborata*. *Ac priora quidem duo facilè ræstitero animo demisso ac devoto. reliqua cùm voluntatis quidem meæ, non item facultatis sint, ntra vota, præter conatū hunc meum, consistent.* *DEVM supplex adoro, ut* piam *Tuam mentem, ngenium* eruditum, *vultum* elegantem, *mores* excultos, *sermonem* comem, *manus* industrias, *que alia Tibi supra communem sortem concessa unt cæli donaria, cum annis aucta semper, contiua & Rei Christianæ proficua habeas, iisque emi-*

neas. Rarum nostri seculi, sed quod sui simile habere, his ipsis diebus, literis Stockholmiâ *à nostrate acceptis, quibus* Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ CHRISTINÆ *admirandos in literis quàm* latinis *tàm* græcis *profectus, quibus masculo sexui palmam ambiguam faciat, deprædicat. Conducem habet Virum Clarissimum & insignite eruditum* Ioh. Freinsheimium, *amicum è paucis meum, qui dum Musas, quæ olim* Alpes *transvolarunt, nunc transnatare* Balticum ſinum *facit, alteram mox* Eliſabetham Anglam, *aliud Orbi Arctoi miraculum exprimet, & sistet. Cum hoc exemplo* Illuſtriſſima Princeps *Te compone, & citra invidiam contende, palma ex æquo proposita & salvâ Regiâ Majestate, nemini neganda, ubi non dignitatis, sed ingenii certamen est. Quo cum* Sereniſs. Dn Pater *omnes sui temporis Principes communibus calculis superârit, quid vetat Te in dolis Tuæ eximiæ vires laudabili cum* eruditiſſima Regina *contentione experiri, & literati Senatus sententiam expectare. Macte hoc masculo ausu, & judices suspensos utrinque facito, corona ex æquo accepta. CHRISTVS verò hæc cuncta Regno suo asserat, & grata acceptaque habeat & agnoscat. Vale* Illuſtriſſima Princeps *& fave*

Illuſtriſs. Celſit. Tuæ

Stutg. 10. Ian. 49.

Clienti humillimo

Salutem & bona verba dicunt Illuſtriſſimæ Virgines VVirtembergicæ.

Epist.

Epist. CCCCXVI.

Admodum Reverende & Clarissime Domine Doctor,

RESponsorias Tuas, in iisque multam pro prospero Natalis die fato gratulationem, accepi, perlegi, gratâque mente addictam Tuam mentem agnovi: Et dum responsionem meditor, subsequuntur alteræ Tuæ, *Votum* pro *felici Anno* afferentes, & amoris in me Tui, ad laudis immeritæ accumulationem, nimis elaboratæ testes. Facilè enim apprehendo, quàm longè Studium aliquod Virginale ab ejusmodi eminenti genere distet, nec mihi, mea mihi nota tenuitas, concedit, ad aliquem talem comparationis gradum adspirare, ideoque Tuos favores in benigniorem partem lubenter interpretor. Omnia illa fausta & prospera in me cumulata, Ter Optimus Max. DEUS, etiam Tibi & Tuis, cum largo fœnore det, reddat! quod animitus precatur

Tuæ Reverentiæ

gratioso affectu addicta.

Dabam *VVelferbyti* 27. Febr. Anno 1649.

Epist. CCCCXVII

Illustrissima & Celsissima Princeps, Domina clementissima,

INgeniosissimas Tuas literulas planè exosculor, quòd spirent & generosam modestiam, & modestiam generositatem, quò enim sexum Tuum eruditione generosius transcendis, hoc modestius

Te demittis infra eos, quorum comparatione meritò emineres. Nec verò aliter finit illustris indoles quæ quò excelsior, eò humanitati & comitati est propior. At perge Illustrissima Virgo CONTENDERE, *ut si non sis prima eruditarum nostri seculi, secunda tamen, & prior cæteris omnibus inveniaris, quo Te Genius natalium Tuorum Brononiæ & Ascaniæ Domus, exemplum Patris, & subsidium ministerii eruditi facilè conducet atque jam quidem ejus spem Epistolaris meus Libellus, qui sub prælo est, in publico propinabit, imo ejus specimen exponet, dignum quod Nobiles aliæ Virgines sequantur, si minus assequantur. Me verò* Illustrissima Princeps *plurimum beabis, si aliis atque aliis literis, quantum quidem à seriis Tuis Tibi vacaverit, me digneris, ut ex iis, quantum in hoc insolito Sexui Tuo itinere, ad insolitam, sed solidam laudem Viraginis Eruditæ subinde progrediaris, quod ut sit auspicatum Tibi, & AVGVSTVM, ex animo precor. Vale feliciter, cum incomparabili Matre,* Dn. Sophia-Elisabetha, *& Sororibus florentissimis, & fave.*

Illustr. Celsit. T.

Stutg. 21. Martii,
1649. *Clienti humillimo*

Ioh. Valent. Andreæ D.

SEQVUN-

SEQVUNTUR

.PISTOLÆ ALIQVOT VVIRTEMBERGICÆ.

EPIST. I.

S. P.

LIteræ Rev. Dign. Tuæ, fauſtum novi Anni auſpicium, quo cum omnis felicitatis proſperum ſucceſſum, laudabilemq; Majorum ſequelam ominantes, nnium jucundiſſimæ extiterunt, & gratiſſiæ, & ut reciprocè piiſſimo pectoris Tui ſaario omne proſperitatis genus præſentiâ & ntinuatione ſuâ gaudeat, cordicitus adpremur. Quod inſuper R. T. Dignitas, animi i candorem & amorem noſtri, voto hoc arente nobis obtulerit, eſt, quod exinde non ıntaxat mentem ſinceram, ſingularemque fectionem Tuam agnoſcamus, ſed viciſſim ɔſtrum amorem, favorem, & mnemoſynon ui ad aram fidelitatis & clementiæ deponaus, optantes, ut ea, quæ votis comprehen, re ipſa quoque exprimere nobis facultas leſſet, & ita facta mentem comprobarent, t ubi deeſt vis, defectum bona intentio ſuppet. Validiſſimus igitur ſinceræ mentis & afctionis favonius, ut R. T. Dignitati omnia x animi ſententia fluant, comprecari nos imellit. DEVS Trinunus Te Tuosq; incolumes

mes sub umbra alarum suarum sustentet, & Spiritu suo Sancto omnes actiones Tuas, totumque opus Choro consecratum in nominis sui honorem, Tui Tuorumq; salutem æviternam dirigat, ut Virtus sacri Numinis voce tu auditoribus oblata largiter superveniat, florescat, fructumque multum omnibus in salutem & beatitatem adferat. Ipse tandem mortalium pectora ad pacem probè colendam flectat, & tristes inimicitias, sanguineumq; illud Bellonæ flagellum, quo defœdatus florentis imago Patriæ discutiat, & à cervicibus nostris repellat, ut iterum dies videamus Halcyonios, & tranquillè vivamus. Votum hoc ne effectu suo destituatur, & ut cursus vitæ Tuæ seros in Annos protrahatur, fac alme DEVS. Hisce Superis R. T. Dignitatem commendamus, & omnia, quæ à nobis proficisci poterunt in Tuam commoditatem pro certo pollicemur; & de favore nostro solito Te ratum quacunque occasione esse jubemus. Mantissæ & apophoreti loco mittunt plurimam R. T. Dignitati salutem & anni felicissimi votum Floriana Ernesta, soror nostra dilectissima juxtaque officia paratissima Ephorus. Aveto Dabantur Braccenhæmii, 7. d. Ian. Año 1641.

Nostro nomine Dn. Collegam Heerbrandium nobis honorandum, amandum plur. salute & voto novi anni impertiri dignetur.

R. Dign. Tuæ

Affectu, amore & favore

constantiß. & fideliß.

Iulius Peregrinatius *Dux VVirt*

Sueno Martialis Edelnolphus *Dux VVürtembergensis*

EPIST

Epist. II.

S. P.

VIr admodum Reverende. Literis Dignitatis Tuæ amicissimè scriptis minimè intermittere, quin ultrò insistamus respon-
o, & debita reverentia, & gratitudo suadet, anitiesq; Tua venerabilis adolescentiam no-
ram invitat,&allicit omnium maximè,quòd ursus negotiis suis sepositis, nos Adoreâ tan-
â majorum digno, votoque suo tales futuros eare, insuper & de constantia fidelitatis, entisque suæ officiosissimæ, ratos certosque
abere, juxtaque strenam nobis gratissimam, nimi sinceritatem contestandam offerre,sicq;
osmet ipsos sibi bonâ affectione & promptiudine totos efficere constrictos voluerit. Si
ostra, suam nancifcerentur voluntatem, voa,certè propediem non ingratorum ipsa quoque experirere fidem & mentem amicorum; Verùm enim verò licet omnibus presentia nos
eneficiis destitutos teneat, interim tamen emporis diuturnitas & facultatum exiguitas,
Deum nobis benedicentem, & intentionem nostram debitam ratificantem, oblivionum
nebulis non involvet. Propterea gaudeat hâc vice mansuetus, R. Dign. Tuæ animus morâ,
quâ ipsimet spe melioris sortis innutriri patimur. Quod super est, grates Tibi venerando debemus & persolvimus memores pro
strena exoptatissima, menteque observanti: fac imposterum bona Tua affectio nostri sit
& de amore, honore, & favore solito Tuam R. D. jugiter complexuri. Dabantur Bracsenhæmii d. 13. Ianuarii, 1641.

Salu-

Salutem plurimam cum officiis paratissimis annectit Ephorus.

Julius Peregrinatius Dux VVürtembergensis.
Sueno Martialis Edelnolphus, Dux VVürtembergens.

Epist. III.

Admodùm Reverendo nec non Clarissimo Dn. Ioh. Valentino Andreæ, SS. Theologiæ Doctori, Consiliario & Concionatori aulico Stutgardiæ, salutem ac prosperitatem à Iehovâ.

ADmodum Reverende nec non Clarissime plurimùm dilecte Dn. Concionator Aulice! Quod jam pridem dilectæ nostræ Dn. Genitricis jussu nobiscum constituimus, nempe litteras quasdam ad ipsum exarare: Id ipsum ipsus nunc quasi urget, dum nobis eruditum libellum suum *Oculi eruditi* nomine, jure meritoq; insignitum, non tantùm publicè inscripsit, sed & bina illius Exemplaria transmisit.

Significamus igitur dictam dilectam Genitricem nostram, suam R. Dignitatem simul verbis nostris plurimum salutare & exorare, ut divertere nosq; visitare velit, quàm primùm hæcce per loca iter confecerit: Nos verò factam ob Dedicationem nobis non parum gratulamur, de singulari affectu suo erga nos, nostraque studia, deque animo juvandi illa promptissimo. Gratiam præterea habentes & re-

referentes maximam, optantesq;, ut Deus Opt. Max. det, quò præfixum illius libelli pum nos assequamur, Sua verò Dignitas portet mercedem omnibus illis destinatam, i tam scriptis, quàm vivâ voce de educatio-n Iuventutis benè merentur. Cujus prote-ioni etiam ipsum quoque suosque singulos mmendamus. Scribebamus Braccenhæ-ii, die XVI. Aprilis, Anni à partu Virgineo . DC. XLII.

Julius Peregrinatius
Dux VVürtemb.
Sueno Martialis Edelnol-phus, *Dux VVürtemb.*

Epist. IV.

Ad Principes VVürtembergicos, P. Silvio Nimrod.

NVllo ambitionis pruritu, solâ excellentis ingenii Tui æstimatione, literas Tuas concupisco, quas cùm maluissem meas provocare, num ece generosi in Te animi fiducia prior, verecunde invito. Scilicet, ut dum in communi Patriæ calamitate, Tibi & triste otium, & ex literis solatium st, ni sim gratiæ Tuæ indignus, ex me petas, quæ um liberali negotio, ingenii Tui amœnitatem, re-reare fortaßis queant. Id quod quantum in me rit, tam perofficiosè faciam, quàm me Tuæ Virtuti & Probitati omni modo obnoxium profitear. Vale Inclute Princeps, cum illustrißima Matre & Sorore, servetque Vos Christus rebus perturbatißimis tranquillos, & sine noxa, 12. *Febr.* 1643.

Epist.

EPIST. V.

D. Julio Peregrinatio, & D. Suenoni Martiali Edelnolpho, &c P. Iulii Wûrtemb Filiis.

AVspicatum Vobis annum precari, Principes Iuventutis, & pietas vestra illustrissima invitat; Illa, quâ Domum Vestram inclutam, ejusque in rem sacram & publicam merita clarissima veneror Hæc, quæ omnium Virtutum VVürtembergicarum non jam semina, sed herbam & florem ostentat, adeoq; præclaram nobis felicitatis segetem, messemque pollicetur. Quæ bona eò confidentius expectamus, imò à Vobis poscimus, qui sub imagine Illustriss. Herois Patris, laudatissimæ memoriæ, & vigili curâ pientissimæ Matris, conductu Nobilis Helmstetteri, & informatione Ci Betsii, expeditior Vobis ad omne Virtutis fastigium ascensus est, ut familiæ Vestræ decus coronetis. Hoc igitur precor, ut quæ jam Fortunæ & Naturæ beneficia supra communem sortem à Supremo Numine accepistis, sic ornetis, atque augeatis, ut cultu Dei, imitatione Patris, reverentia Matris, observantiâ Patruelis Eberhardi, elegantiâ morum exercitio honestarum artium, obsequio manuductorum, innocentiâ vitæ, applausuque Clientum non tam optimorum VVürtembergiæ, sed totius Germaniæ Principum circulum impleatis. Vota DEVS rata habeat, cui Vos cum laudatissima Matre, & florentissima Sorore Floriana Ernestina seriis precibus commendo.

Epist. VI.

Iisdem.

QVas ad me jussu Dn. Matris dedistis literas, Iuventutis Principes Incluti, cùm insignis in me propensionis, tum profectus Vestri in Studiis indices, ego rectè accepi, multum mihi gratulatus, Libellum, quem nominibus Vestris illustrissimis inscripsi, non fuisse ingratum, qui si ulla in re ncrementis literariis Vestris subsidio erit, officio neo abundo mihi defunctus videbor, nec intermitam (quod dudum in votis mihi fuit) quin coram Vos animi & corporis dotibus auctor & in spem maximam excrescentes, cum plausu intuear, testis ùm diligentiæ Vestræ, & obsequii, tum fidei & solertiæ manuductorum Vestrorum ad Patruum Principem Eberhardum Herum meum clementissimum futurus. Valete Domus VVürtembegicæ ornamento, & salvete

à V. V. C. C.

Devotissimo.

Epist. VII.

Principi Joh. Friderico Wirtembergico.

S. P. C.

Illustrisime & Celsisime Princeps, Domine longè clementissime,

VEnisse Te Tubingam salvum & optatum plurimum lætor, & Academiæ, quæ ibi est, Studiorum meorum matri & nutriciæ ex animo gratulor. Est ea Domûs Tuæ Serenissimæ Alumna, ab

ab Eberhardis *duobus fundata*, Vlrico & Chr stophoro *rectius constituta*, Ludovico *amat* Friderico *ornata*, Iohanne Friderico *aucta*, *Mi joribus sc. Tuis*, Ducibus VVürtembergicis *quam seculi calamitate dejectam*, *nunc* Incluti Pater Tuus EBERHARDVS tertius *it re stitutum*. *Tu novo lumine*, *quod Christus faxi eam illustrabis*, *ipsa vicissim indolis & ingenii T faces accendet*, *ut inter Germaniæ Principes al quando corusces*. *Etsi verò Te Patris prudentiâ & solicitudine Matris eo instructum satellitio sciam ut nihil Tibi ad Virtutis iter impedimenti metue dum*, *nihil non ad optimos proferemus commo expectandum sit*, *habes nempè Ephòrum*, Ludov cum Berchtoldum, *probatæ dudum fidei*, & *u rerum exercitum Virum*; *habes Informatoren* Magnum Hæsenthalerum, *singulari industr & diligentiâ conspicuum*, *nec deest nobilis min ster* Georg Heinr. Reischachius, *solertis ingen adolescens*, *Studiorum comes*, & *bonæ notæ fam lus*, *quibus vallatus ne possis quidem transversu agi*, *quid tamen vetat*, *quò minus meâ in Te piet te*, & *incrementorum Domûs Tuæ desiderio*, *cust diam Tibi addam*, *quam nec Parentes Tui*, *nec i admoti quos dixi custodes abnuerint*, *Tu haud du bio pro animi Tui generositate libenter admitte amplecteris*, & *perpetuò Tecum habere voluer Itaque Tibi* florentissime Princeps *constituo* phorum PIETATEM, *ut de DEO rectè se tias*, *hunc ritè colas*, *ei obsequaris reverenter*, & *constanter*, & *omnium Tuarum cogitationum actionum arbitrum & regulam constituas*. *Hu adjungo* Informatorem ATTENTIONEM *ut audita Tibi præceptaque cordi Tuo penitus in gas*, *memoria teneas*, *imitatione exprimas*, *ea m ximè*, *quæ ad exemplum* DEI, *cujus imagine aliquando referre debes*, & *majorum speculum*

quoru

uorum hæredem Te sors bona destinat, & vota expectationemque Populorum Tuorum, Te compotant. Sed & nobilem ministrum *addo*, OBSEQVIVM, *ut imperaturus parere prius discas, & recturus alios regi velis, imò Te ipsum regere, & cum DEO omnium Rectori & Domino, tum qui ab eo sunt substituti, iis Te submittas & concredas. Tandem &* famulum *subdo*, LABOREM, *qui ad arduos usus, & magnifica facta, Heroibus est comes individuus, & quo absque nemo unquam virtutis & famæ bonæ Ianum ascendit, qui subire ea, quæ ætatem fortunamque Tuam deceant, edoceat. His Tuis curatoribus & administris aderunt vota nostra precesque pro salute Tua, & Virtutis Dignitatisque profectu, ut quàm nomine pacifico Avum Proavumque Tuos, imò Salomonem Regem ipsum refers, quo omine restitutæ nobis Pacis desideratissima Studia Academica es ingressus, hoc numinine Terras Tuas, subditosq; aliquando bees, serves, tuearis, atque regas, Majorumque Tuorum titulos impleas ac superes. Vale illustrissime Princeps cum generosissimo Cognato, Studiorum socio B. Kriechingio, & excubitoribus Tuis, quos reverenter & amicè saluto. Salvet verò nos Christus, qui Tibi faveat.*

Illustriss. Cels. T.

Stutg. 26. Octob. 48.

cliens humillimus

Joh. Val. Andreæ.

EPIST,

Epist. VIII.

Reverendissime & Clarissime Domine Doctor,

QVas Tuas accepi, eæ mihi fuêre lo[...] gratissimæ, cùm quòd vota felicitatis [...] me Tua repeterent, tum monita qu[...] dam salubria adferrent, quæ lubens equid[...] excepi, DEVM precatus, ut ea in usum me[...] conferre possim, quò me dulcia *Pietatis, att[...] tionis, obsequii, & diligentiæ* nomina facilè [...] vitabunt, quarum Virtutum nobilium ([...] quidem eas mihi depinxisti) contubernio T[...] binga mihi jam ante grata, jucundior eti[...] erit. Quòd si literis magis profecero, ero [...] calamo meo officiosior. Intereà vale & [...] crede *Tui amantissimum*

Tubing. 10. Nov. 1648.

JOH. FRIDERIC[...]
Dux VVürte[...]

Epist. IX.

S. P. C.

Et feliciß. anni auspicium,

Illustrissime Princeps, Domine clementissime,

NOn ingratas Tibi fuisse meas, vel inde con[...] cio, quòd & libenter eas admiseris, & hum[...] nissimis Tuis responderis, pluresq; cum te[...] pore secuturas, sis pollicitus. Nunc ne sine str[...] Te hoc anni ingressu adeam, munus fero, chart[...] ceum quidem à formâ, at aureum à materiâ, qu[...] ol.

lim Sereniſsimo Dn. Patri oblatum, maximi habitum eſt, indignum ut temporis injuriâ in tenebris diutius latitet; Author ejus fuit Vir gravis & valdè eruditus, Erhardus VVeinmannus, *in officio anteceſſor meus, qui hoc donario Inclutum Dn. Patrem Tuum ad Academiam Tubingenſem abiturum ornavit, & cum laude gratiam non exiguam retulit. Ejus Te nunc hæredem facio, beatum futurum, ſi poſt Patrem vota noſtra expectationemque impleas. Quo Te conducet Nob. Ephori informatio, & Cl. Præceptoris eruditio, nos verò precibus piis, & fauſtis plauſibus Te proſequemur. Vale Illuſtriſsime Princeps cum Generoſiſsimo Conato, & fave*

Ill. Celſit. Tuæ

Stutg. 27. Decemb. qui Iohannis Evangeliſtæ 1648. — *Clienti humillimo*

IOH. VAL. ANDREÆ D.

ILle omnium populorum conſenſu, quin & ipſius DEI teſtimonio Sapientiſſimus Rex Salomo, perluſtrato totius vitæ ſuæ curriculo, omniq; illo, quod magnum in hoc Mundo cuique videri poſſet, penitus inſpecto, ac Vanitate omnium illorum, quæ maximæ hominum parti admirationi ſunt, deprehensâ, & in ſuo Eccleſiaſte graphicè depictâ, tandem in fine libri oſtenſurus, quisnam ſupremus omnium noſtrarum actionum ſcopus eſſe debeat, in hæc erumpit verba: DEVM time, & mandata ejus obſerva, hoc enim omnes homines decet. Cuncta enim quæ fiunt, adducet DEVS in judicium, & omne occultum, ſive bonum, ſive malum ſit. Pauca, ſed ſenſu tam accurato tincta verba ſunt, ut digna certè ſient, quæ non in calce, ſed mox in ipſo totius

libri frontiſpicio legenda conſpiciantur. Ho
enim unico Aphoriſmo ſcopum indicat, a
quem omnes omnium hominum actiones ir
omni vitâ directas eſſe oportet. Quanquan
autem Salomo hoc omnibus hominibus man
dat: illud tamen cumprimis ſibi dictum i
ſciant, qui cum Salomone volente & dant
DEO, ſuo tempore adminiſtrationem Reip
in ſuos humeros ſunt recepturi. In horun
cenſu cùm & DEVS Te eſſe velit Princeps
nomine Illuſtriſſimi Dn. Parentis Tui, (cuju
nomen in noſtrâ vernaculâ exactè *Salomon*
nomen exprimit) Te cohortor.

1. *Vt timeas DEVM.* Timor DEI no
titiam ejus præſupponit. Idcircò ante omni
vide cognoſcas Illum Triunum verũ DEVM
Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, ado
randum in ſecula. Hoc fine Rex Regum &
Dominus Dominantium futuro Regi in man
datis dedit: Deut. 17. ℣. 18. Poſtquam Re
ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deute
ronomium legis hujus in volumine, accipier
exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus,
habebit ſecum, legetque id omnibus diebu
vitæ ſuæ: ut diſcat timere Dominum DEV
ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias eju
quæ in lege præcepta ſunt. Hoc Salomoni P
ter Rex David inculcârat, jam animam ager
do inquiens: 1. Par. 28. ℣. 9. Tu Salomo Fi
mi, ſcito DEVM Patris Tui, qui nempe
Scriptis Moſis, Prophetarum, Evangeliſtaru
& Apoſtolorum ſe nobis patefecit. De cuj
eſſentiâ & voluntate non omninò prædicti t
ſtantur libri: ſed & eandem Symbolum Ap
ſtolicum, Nicænum & Athanaſii comprehe
dunt: noviſſimè autem Confeſſio Auguſta
& Formula Concordiæ abundè declarârun

Hu

lunc noviſſe unum verum DEVM, & quem
iſit Ieſum Chriſtum, æterna vita eſt, Ioh. 17.
℣. 3. Chriſtomet atteſtante. Econtrà ſi quis
rit conſummatus in filiis hominum, ſi ab illo
bfuerit Sapientia Tua, in nihilum computa-
itur, inquit Sapientia, c. 9. ℣. 6.

2. DEVM ſcire, non ſufficit. Servus,
ui cognovit voluntatem Domini ſui, & ſe
on præparavit, & non fecit ſecundùm volun-
tem ejus, vapulabit multis. Idcircò *DEVM*
inc time, & præcepta ejus ſerva. Quænam il-
præcepta? Summa illorum eſt Deuter. 6.
℣. 4. 5. & Lev. 19. ℣. 18. *Audi Iſraël, Domi-
us DEVS noſter Iehovah unus eſt. Diliges Do-
inum DEVM tuum ex toto corde tuo, & ex to-
animâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ, & pro-
imum tuum, ſicut teipſum.* Hoc Tibi cumpri-
is dictum ſcias. Sed audi ipſum Davidem
lio ſuo 1. Par. 28. ℣. 9. loquentem: *Tu, fili
i, ſcito DEVM Patris Tui, & ſervi ei, corde
erfecto, & animo voluntario. Omnia enim corda
rutatur Dominus, & univerſas mentium cogi-
itiones intelligit. Si quæſiveris eum, invenies:
autem dereliqueris eum, projiciet Te in æternū.*
udi Salomonem Pro. 4. ℣. 5. *Poſside ſapien-
iam, poſside prudentiam.* Hanc ut acquiras,
umprimis Illuſtriſſimos & Chariſſimos, per-
etuâque reverentiâ colendos Parentes, &
orum voluntate Tibi deſtinatos Ephoros
onore & obedientiâ proſequere: *Regis* qui-
em *animum quivis in ſe habet, ut imperium in
lios ſibi dari velit, in ſe nolit*, teſtante Senecâ:
ed memineris, *neminem ſcire regere, niſi qui &
egi.* Et certè: *Neſcit imperare, qui parere non
idicit.* Affectibus Tuis dominare: Vt enim
liis regendis impar cenſeri debet, qui ſuos
pſe affectus regere non poteſt: ita populo

 Chri-

Christiano præesse non meretur, qui non ipsi DEI notitiâ, & reverentiâ, & amore præditus est. In tuo oculo trabs erit, quod in alieno est festuca, & in tuo corpore vitiligo, quod in alieno est vitium: & venialia quæ vocantur errata, in te erunt crimina. Noli putare dignitate tuâ minui delicta, nedum ut delinquendi licentiam inde natam existimes. Potius id cogita, honoris tui eminentiâ eorum gravitatem adaugeri; quidquid enim admiseris non est lapsus unius, quum plus noceas exemplo quàm delicto, tot mortales imitatione tui reos facturus. Rectè facere cives suos Princeps Optimus maximè *faciendo* docet, cumq; Imperio sit Maximus, exemplo major est.

Hæc ad omnes pertinent, sed cumprimis ad magnates. Hoc enim & DEVS adducet in judicium, judicaturus & ipsos, tàm de occultis quàm de manifestis, sive ea bona sint, sive mala. Horrenda sunt, quæ leguntur Sap. 6 ℣. 7. *Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusque DEVS, qui est omnium Dominator, nec verebitur magnitudinem cujusque.* Eò ut contendas perveniasq;, *nil erit qui plantat, nil erit qui rigat, sed qui dat incrementum DEVS.* Ideò cum Salomone ab ipso ora illud: Sap. 9. ℣. 1. 2. 3. 4. 5. *DEVS patrum meorũ, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientiâ tuâ constituisti hominem ut dominetur creaturæ, quæ à Te facta est, ut disponat orbem terrarum in æquitate & justitiâ, & directione cordis judicium judicet: da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare è pueris tuis.* Ora cum eodem illud: 3. Regum

...tum 3. ℣. 9. *Da servo tuo cor docile, ut olim judicare populum tuum, & inter bonum & malum discernere possim.* Sed non solus orabis, tibi adjungo & ego mea *Vota*, ore cordeq; idem petens, quod David suo filio Psal 71. ℣. 1. 2. *DEUS judicium Tuum Regi da, & justitiam Tuam Regis filio, judicare populum Tuum in justitiâ, & pauperes Tuos in judicio: adferant montes pacem populo, & colles justitiam.* Imò tecum orat omnis populus, ingeminans illud Ps. 118. *O Domine prosperare, ô Domine da prosperos successus, ut Tui Sancti Nominis gloria, Ecclesiæ & Reip prosperitas: Principum nostrorum incolumitas, totiusque nostræ Patriæ salus propagetur, augeatur, conservetur, & de Te dici possit,* quod de Salomone Syracides scribit c. 47. ℣. 16 *Eruditus est in juventute suâ, impletus est quasi flumen sapientiâ, & terram retexit anima sua.*

Hæc gnaviter exequendo, voluntatem DEI exsequeris, qui Sapientiæ Spiritui, gloriam, divitiasque ubertim adjecturus est. Sic Illustrissimorum Tuorum Parentum piis votis, omnisque populi expectationi es satisfacturus.

Tu votis nostris clementer annue Sacro-Sancta Trinitas, Benedicta in secula, Amen.

EPIST. X.

Reverende & Clarissime Domine Doctor,

VOtum felicitatis, quod à me per manum alterius inter ad Te nuper perscriptum venit, nunc repetitum volo, postquam Tuas literas accepi. Addidisti autem illis

ſtrenam, quæ mihi de cauſis multis vehemen-ter fuit grata. Primò quoniam Sereniſs. D. Parentis mei, quemadmodũ in cæteris, etiam in vitâ, cujus illic elegans legitur inſtructio hæres eſſe cupio. Deinde quia ex illius expo-ſitione ſatis poſſum videre, quid mihi no modò per hunc totum annum, ſed & per o-mnem vitam meam agendum ſit. Pro Tu igitur curâ ago Tibi gratias magnas, rogoq; ut orando & me monendo velis porrò perge-re; agnitio grata non emanebit. Polliceor il-lam ſedulò, & ſemper ſum, ſi quiſquam

Dignitatis Tuæ

Tubingæ 9. Ianuar. 1649.

Obſervantiſſimus

IOH. FRIDERICV
Dux VVürt. & T.

EPIST. XI.

S. P. C.

Illuſtriſsime & Celſiſsime Princeps Domine longè clementiſſime,

NIhil mihi hoc temporis potuiſſet literis obtin-gere & optatius, & opportunius; Nam cùm in eo ſim, ut Guelphicæ Iuventutis Illuſt. Studiorum primitias hoc proximo Vere, public luci exponam, quid rectius egero, quàm ſi & Ti ingenii florem addam, palamque oſtendam, Te iis-dem, quibus illi, ſubſidiis, & paribus inſtrumen-tis ſuffultum non minore animi generoſitate, inge-nii docilitate, & morum amœnitate ad eande Virtutis & Eruditionis palmam contendere, quam ut cum illis feliciter aſſequaris, Domumque Tua aliquan

aliquando eximiè illustres. DEVM ex animo precor, qui Tibi propitius adsit. Vale & fave

Illustriss. Celsit. Tuæ

Stutg. 18. Ian. 1649.

Clienti humillimo.

Epist. XII.

Reverende & Clarissime Domine Doctor,

PErlubenter ex posteriori Tuarum Epistolarum intellexi, quanto amore meas complectaris. Honorem illum, quem offers, inter testimonia affectus Tui numero, recipere autem jam vix audeo, quia non mereor. Vtor enim adhuc vicariâ manu, si verò propriâ potero, Tibiq; tunc placuerit, de literulis nostris, utpote jam Tuis, aliquid statuere, vix fas erit prohibere. Multum tamen hâc ipsâ oblatione effecisti, cùm me vehementi inflammâris ardore, qui non cessabit, donec aliquâ laudis illius parte dignus fiam, cujus Te posthac judicem cupio constitutum. Vale nunc & fac, ut eundem semper in Te animum experiatur,

Tuæ Dignitat.

Tubingæ 26. Ianuarii,
Anno 1649. Observantissimus

IOHANN. FRIDERICVS
Dux VVürt. & Tecc.

Epist. XIII.

S. P. C.

Illustrissime & Celsissime Princeps Domine longè clementissime,

Non ero importunus literis meis, sive frequen tioribus, iis sive prolixioribus Hoc tame Tibi me debere intelligo, ut ansam exercens nobilis ingenii Tui, Tibi subinde subministrem Quò enim sæpius rescripseris, hoc pluribus docu mentis paulò post in aprico evinces, annis quider & literarum profectu, nunquam animi generosi tate, & præclaris ausis Illustrissimis Agnati Guelphicis *minorem, sed ad eandem Virtutis & Eruditionis palmam cum per-Illustri Consobrin* Kriechingio *contendere velle; Ita pergite ala criter, quod D E V S felicitet, & valete. Stutg 2. Februarii,* 1649.

Illustr. Celsit. Tuæ

Cliens humillimus

Epist. XIV.

Reverende & Clarissime Domine Doctor,

SVspensio literarum mearum, ad Tuas mihi gratissimas, quas mense ante accepi, non oblivione Tui, aut affectus, quo me, Studiaque mea prosequeris, cujusq; sæpius lætu recordor, est profecta, & citius utiq; respondissem, si ea esset literarum mearum felicitas ut de profectibus meis ex vero testari possent: at cùm meæ commorationis hîc, tempu-

pus sit exiguum, qui plura à me, quàm hæc brevitas permittat, à me exigat, neminem futurum puto. Scripsi prioribus meis, spem mihi esse post anni decursum, favente Deo, Latinæ Epistolæ proprio Marte conficiendæ, cujus interstitium mihi concedi, etiamnum peto, ne præcis laudis captator minus lectori erudito, studiorum incrementa mea persuadeam; Interim ob benevolentiam Tuam, & stimulos studiorum gratias Tibi ago, futurus omni tempore

T. Dignit.

Tubingæ 6. Martii,
1649. Observantissimus.

Epist. XV.

Illustrissime & Celsissime Princeps,
Domine longè clementissime,

Rectè facis, qui mavis doctus esse, quàm videri, & laudem ejus ex Teipso mereri, cujus impetrandi moram debitam poscis, ego liberaliter concedo, Deumque precor, ut singuli Tui menses, septimanæ, imò & dies incrementa Virtutis & Studiorum Tibi conferant, qualia jam me præsentire ex intervallo tam brevi, mihi videor. Sed nec nihilum est, quod jam imitatione Informatoris Tui facis, ita enim & diligentiam Tuam, & docilitatem probas, multumq; me oblectas pingentis eleganter literis, quod & ipsum Eruditionem Tuam aliquando ornabit. Perge ergò floride Princeps me iis dignari, qui pro salute Tua, Tuiq; Consobrini, & perpetuâ felicitate diligenter apud Deū & ardenter excubo. Vale. 12. Martii, Anno 1649.

Illustriss. Celf. Tuæ

Cliens humillimus,

EPIST. XVI.

Reverende & Clarissime Domine Doctor,

PVtavi equidem, me jam ad postremas tua respondisse, nunc intermissum esse hacte nus responsum doleo, rogoque, ut venian mihi, quia culpam fateor, velis indulgere Debuissem omnium minimè ad illas tam di tacuisse, quoniam ea continent, quæ mihi val de fuerunt accepta. Nimirum concedis spa tium meis epistolis, non publicandis, done ipse earum scriptor potius, quàm descripto esse possim. Porrò exauditis desideriis gratia habeo ingentes. Tu verò Studia mea moniti & calamo promovere, Deoq; illa precibus & voce commendare perenna, & vale.

R. T. D.

Tubingæ 16. Aprilis,
Anno 1649. Observantissimus

EPIST. XVII.

Illustrissime & Celsissime Princeps
Domine longè clementissime,

NEmo tam obesæ naris erit, quin intelligat, qu hoc ætatis scribis, non ex Te scribere, sed imitari. Hoc verò eximiæ laudis est, non tan perbellè imitari, quæ dictantur, quàm generos etiam ausu velle assequi, ac in hoc ipso jam strenu laborare. Scilicet hoc quærimus scire, quàm dextrè Tibi iter ad Virtutis & Eruditionis apicem monstretur. scalâ ita positâ, ut primis rectè aggressis gradibus altius & ad summa quæque feliciter adscendas. Obsequii insuper gloriam habes, qua

olim

lim ad Imperii securitatem deducet, cùm nemo, isi qui ipse parere didicerit, jubere cum ratione ossit. Patere ergò Te talem, qualem ferunt anni nonstrari, Majorum exemplo, Tuâ indole, & Con- ductorum curâ, jam pium, obsequentem, docilem- que, olim Ecclesiæ, Terris, Literisq; maximâ laude rofuturum. Quò ut adscendas, DEVM, Patriæ neæ bono, supplex adoro. Vale & fave

Illustr. Celſ. Tuæ

Stutg. 23. Aprilis,
Anno 1649. — *Clienti humillimo.*

En Munusculum addò ex Majoribus Tuis Duces VVirtembergicos, quibus Pietate, Virtute & Fortunâ succedas Deum precor.

Breviarium vitæ octo Ducum VVirtembergiæ illustrissimorum, quorum hæc est Genealogia.

Eberhardus.

Ludovicus. — Vlricus.

I. Eberhardus. — II. Eberhardus. — Heinricus.

III. Vlricus. — Georgius.

IV. Christoph. — VI. Fridericus.

V. Ludovicus. — VII. Ioh. Frid.

VIII. Eberhardus.

Iohan, Fridericus.

I.

EBERHARDVS Ludovici Senioris Comitis VVürtembergici & Mechtildis Palatinæ Filius, *Barbatus, Senior, Sapiens, & Probus* cognominatus, magni animi & virtutis Princeps, qui Sapientiam suam non domi tantum in Gubernatione placidâ, sed etiam foris in communibus Imperii negotiis declaravit. Lucem hausit 11. Decemb. Anno 1445. Vraci. Anno 1468. profectus est mense Majo in Palæstinam, & mense Novembri ejusdem anni feliciter domum appulit, quod iter descripsit Joachimus Münsinger à Frundeck Medicinæ Doctor. Anno 1474. duxit Barbaram, Ludovici Gonzagæ Marchionis Mantuani filiam, nuptiis Vraci celebratis magnificè, ubi XIVM hominum cibata fuêre. Anno 1477. cùm magnus esset Literatorum & Sapientiæ fautor ac patronus, *Academiam Tubingæ* constituit, quam munifica & regiâ liberalitate dotavit. Anno 1480. Romam profectus à Sixto IV. P. M. aureâ Rosâ donatus, Indulgentiam fundandi Cœnobii Eremitarum ad pulchras fagos, vulgo im Schönbuech / impetravit; Ordinavit hic XII. Canonicos Regulares S. Petri, quibus *Præpositum* dedit, qui omnes ex Equestri fuerunt Ordine, quibus adjunxit XII Laicos, sive Conversos ex Subditis. Ob laudem Virtutum, Sapientiæ & Eloquentiæ à Maximiliano I. Imper. adscitus est in Collegium Aurei Velleris; à quo & in Comitiis VVormatiensibus Anno 1495. sollenni ritu DVX PRIMVS VVIRTEMBERGENSIS & TECCENSIS fuit inauguratus, cui honori non ultra XXX. hebdomadas, & aliquot dies supervixit. Cùm enim Febrim, Dysenteriam, & Calculum sibi cottidiè infestũ haberet, morbo

vires

vires superante, die 24. Februarii, fatis concessit Tubingæ Anno 1496. ætatis LI. De hoc Principe extat Maximiliani I. Elogium, qui cùm ad sepulchrum ejus in æde D. Petri solitarii adstitisset, in hæc verba erupit: *Iacere in hoc tumulo talem Principem, cui Sapientiâ & multis Virtutibus parem in Imperio nullum noverit.*

2.

EBERHARDVS Vlrici Beneamati Comitis VVürtembergici, & Elisabethæ Palatino-Bavaræ filius, SECVNDVS DVX VVIRTEMBERGICVS, Confirmator Academiæ Tubingensis, successit Eberhardo I. Duci sine liberis defuncto, sed ob malam administrationem in ejus locum ab Imp. Maximiliano I. suffectus est Fratris Heinrici filius Vlricus. Obiit ille in arce Ottonicæ Sylvæ Lindenfels. Anno 1504. sepultus Heidelbergæ in Basilica Spiritus S. Vxor Elisabetha, Alberti Marchionis Brandenburgici filia.

3.

VLRICVS Heinrici Comitis VVürtembergici, & Elisabethæ Bipotinæ & Bitschensis Comitis filius, TERTIVS DVX VVIRTEMBERGICVS, natus est 8. die Februarii, Anno 1487. Richovillæ, dictus in Baptismo Itelius Fridericus, sed in Confirmatione Vlrici nomen accepit. Hunc Eberhardus Barbatus adhuc in cunabulis jacentem Stutgardiam deferri curavit, & summâ diligentiâ educari. Anno 1504. pro Imp. Maximiliano I. contra Philippum Palatinum bello Bavarico militavit, & eidem aliquot oppida belli jure expugnata ademit, exemplum aliorum Principum secutus, qui pro se quisque in Principis proscripti bona involabant. Anno 1519. ob expugnationem Reutlingæ Imperialis Civita-

 tis,

tis, à Suevici fœderis sociis expulsus, & Ducatu suo ejectus est, quem Carolus V. Imper. Ferdinando fratri attribuit. Post quindecennale verò exilium, armatâ Philippi Hassiæ Landgravii manu restitutus, Avitas Ditiones recepit, & abrogatâ Pontificiæ superstitionis Idolomaniâ, Orthodoxæ fidei lucem in totum suum Principatum intulit. Ita reductus tandem cum Ferdinando Archiduce transegit, ut utile Dominium Ducatus VVürtembergici penes se remaneret, directum penes Ferdinandum. Anno 1546. Iohannis Friderici Saxoniæ Electoris, & Philippi Hassi partes secutus, factum suum apud Cæsarem excusare, & deprecari, per fortunæ, cujus velut pilâ quædam fuit, iniquitatem coactus est. Ita variâ fortunâ usus, à nodosa arthritide diu vexatus, Princeps fatis concessit 6. Novemb. Año 1550. cùm Principatū rexisset annis LII. & mens. V. Hic laudabilem Academiæ Tubingensis Scholam doctis Professoribus, justis salariis, Avitos secutus mores, illustravit, Rempubl. non vulgari prudentiâ satis feliciter administravit, cujus gubernacula inter gravissima adversariorum molimina ad extremum usque halitum fortiter retinuit. Non possum mihi temperare, quin Elogium Optimi Ducis adscribam ex Trithemio M S. quem nobis Martiales Harpyiæ interverterunt : *Hic est*, inquit *Vdalricus ille Princeps Magnificus, qui hodie* (vixerat enim tum Trithemius) *annorum ætatis sex atque viginti, Ducatum VVürtembergicum strenuè gubernat, Pacem servat, Iustitiam cunctis administrat Divitiis, Gloriâ, Virtute ac Potentiâ nulli secundus, non minus ad bellum, si oportuerit, quàm ad Pacem dispositus. Dedit huic Natura corporis compositione & naturâ conspicuum, aptumque animo*

specio-

pretioso, quem contineret, ut Justitiæ suæ, quam solet extollere Hippocrates, etiam in hoc non oblitus fuerit; quæ, ut ridiculè animato, Simiæ quoque ridiculum corpus texuit; Ita præclaris Mentibus convenientia corpora circumdare consuevit, &c.

Uxor Sabina, Alberti Sapientis Bavariæ Ducis, ex Cunegunde, Maximiliani I. Imp. forore, filia Anno 1511. ducta, cui cum Marito non benè convenit, unde Anno 1515. ad suos reversa est, pulso tamen Marito in Ducatũ rediit, restituto verò abiit Brigantium, & Monachium, & mortuo demum Vlrico in Ducatum accersita est, possedítq; dotalitia loca, VVaibingam, VVinedam, & Nũrtingam, ubi 30. Augusti Anno 1564. ætatis 73. decessit, & Tubingæ tumulata est.

4.

CHRISTOPHORVS, Vlrici D. VV. & Sabinæ Bavariæ Ducis filius, QVARTVS DVX VVIRTEMBERGENSIS ac TECCENSIS, dictus *Pacificus* & *Sapiens*, natus Vraci 12. Maii, horâ 2. matutinâ. E Baptismo susceptus non à Iohanne, ut perperam Crusius scribit, sed Petro Præposito Denckhendorffensi, Dominicâ Cantate, Anno 1515. Puer Quadrimus obsidetur cum sorore Anna in arce Tubingensi à Suevici fœderis sociis, [ut patet ex Vlrici Hutteni epistola ad Lucam de Ehrenberg] qui peditũ XXVI. M. Equitum verò IV. M. in exercitu habebãt. Patre expulso, & expugnatâ Tubingâ in Bavariam abducitur ad VVilhelmum Bavariæ Ducem Avunculum, sub cujus educatione aliquandiu fuit. Indè Oenipontem missus, Anno 1522. Doctori cuidam Medico in convictũ datur, cum duobus ejus filiis sine ullâ principali dignatione literis informandus. Isthinc à Re-

à Rege Ferdinando in Auſtriam translatus Morum Præfectum habuit VVjlhelmum à Reichenbach Nobilem, & Legum Doctorem in Literis Informatorem M. Michaëlem Tifernum Illyricum, & Profeſſorem Philoſophiæ in Academia Viennenſi. Hujus fideli operâ inſtitutus, Linguas uſu principes, Græcam & Latinam feliciter apprehendit. Poſt aliquod tempus in Caroli V. Imp. traductus aulam, & inter Ephebos Honorarios in Cameram allectus, peragratâ Auſtriâ & viciniſ Provinciis, Belgio item & Italiâ, multorum mores populorum, & Vrbes cognovit, Cæſari imprimis charus & acceptus. Vbi verò ex propinquis intellexit, hoc agi, ut *unicus VVirtembergici Principatus Hæres* in Hiſpaniam in Ordinem Eccleſiaſticum intrudendus abduceretur, clàm è Comitatu Cæſaris, ope & auxilio fidiſſimi ſui Triferni, feliciter elapſus, in Bavariam ad Avunculum Ludovicum venit, ubi VI. menſes delituit. Hinc in Galliam ſe contulit, Anno 1532. ubi Annos octo in aula Franciſci I. Regis vixit, inq; anno ætatis viceſimo ſecundo Militũ Dux conſtitutus, viginti quatuor cohortes duxit in Italiam, quibus Alexandriam obſidione cinxit. Secutis poſtea induciis, cùm Carolus V. Imp. & Rex Franciſcus I. Paulo III. p. m. Arbitro de pace acturi, Aquis Mortuis convenirent, accidit, ut Papa & Franciſcus I. Niceæ Provinciæ urbe convenerint; Ibi cùm Pontificis pedem dextrum Rex Franciſcus deoſculatur, idemq; alii omnes Principes & Magnates, ejus exemplum ſecuti fuerunt: *Chriſtophorus*, ſive Heroico veræ pietatis inſtinctu ductus, ſive Germanicâ uſus Ingenuitate, candore & libertate, quamvis monitus ab Equitũ Magiſtro, palàm negavit,

ſe

Sacerdotis crepidas basiaturum. Hosq; suo
xemplo alios, & inprimis Comitem Fürsten-
ergicum permovit, ut probrosum hoc & ser-
rile obsequium detrectarent. Anno 1542.
x Gallia in Germaniam reversus, expeditio-
em contra Turcas in Pannoniam adornabat,
ed Patris jam senis & valetudinarii volunta-
e consilium mutavit, & in aulam Bavariæ
Ducis VVilhelmi se contulit: bienniôq; post
n Vxorem accepit Annam Mariam, Georgii
Pii Marchionis Brandenburgici filiam, cum
qua Onoldini nuptias celebravit, Anno 1544.
amque Mompelgartum, ubi, Patre ita volen-
e, sedem constituerat, traduxit. Anno 1546.
Bello Smalcaldico Basileam secessit, ut ferven-
ibus turbis tutior esset. Reverso Patre in
gratiam Cæsaris, Cothurnum Religionis,
quem Interim appellabant, constanter reje-
it. Ab excessu Patris Anno 1550. Ducatus gu-
bernacula adiit, quem justissimè, prudentissi-
mè, & pacificè administravit. Anno 1555. Ius
Provinciale primus promulgavit, anno antè
constituto utroque Delectorum ordine, quem
den Kleinen vnd Grossen Außschuß etiamnum
appellant. VVolffgangum Ordinis Teutoni-
ci Magistrum, qui Elvacensem urbem occupa-
verat, in ordinem redegit. Claudium Franci-
scum Novocastrium Dominum de Rye, qui
Arcem & Oppidum Hericourt expugnata ce-
perat, armis ad restitutionem compulit. Ar-
ces decem magnificè extruxit, & perfecit. An-
no 1568. die 28. Decembr. beatâ defunctus
morte, Naturæ debitum persolvit, Princeps
à puero variis casibus jactatus, & fortunæ ve-
lut alter privignus. Literis tamen excultus,
Linguarum peritus, experientiâ clarus, pru-
dentiâ incomparabilis, periculis infractus,

Bello

Bello ſtrenuus, Imperio juſtus, Eccleſiæ Nutritius, Academiæ Patronus, Literatorum Mecœnas, Hæreſion & Idololatriæ hoſtis, Exuli Aſylum, Virtutis Theatrum, Pietatis Exemplum, Pater Patriæ. Memoria tanti Herois apud omnem Poſteritatem Sacro-ſancta erit. Regnavit annos XVIII. menſem I. dies XXII.

5.

LVDOVICVS, QVINTVS DVX VVIRTEMBERGENSIS ET TECCENSIS, Patre Chriſtophoro Duce VVürt. & Annâ Mariâ Marchioniſsâ Brandenburgicâ in lucem editus Stutgardiæ Calendis Ianuarii poſt VI. veſpertinam, Anno 1554. Patrini fuêre Ordinum Provincialium Delecti, qui pateram illi donârunt inauratam Conſtantem florenis Ducentis & Quinquaginta, cui injecti erant clↄ. Aurei Rhenenses. Puer ſub VVolffgangi Palatini, Georgii Friderici Brandenburgici, & Caroli Badani tutelâ conſtitutus, Præceptorem habuit Andream Laubmarium Stutgardianum, qui eum liberalibus in artibus inſtituit. Pro-Dux interea, donec adoleſceret, fuit Heinricus Caſtellæ Comes. Reipublicæ gubernacula adiit Anno 1571. cùm antea Supremum Suevici Circuli Caput fuiſſet conſtitutus. Anno 1577. Matrimonio ſibi junxit Dorotheam, Caroli Marchionis Hachbergici & Badani filiam, Nuptiis menſis Novembris die ſeptimo celebratis. Anno 1577. magno applauſu celebravit Tubingæ, Iubilæum conditæ Academiæ Tubingenſis, ubi ſolemne Epulum Profeſſoribus inſtruxit. Anno 1583. Vxorem amiſit fatali ictu interceptam, Norimbergæ ipſo Pentecoſtes feſto. Anno 1585. die 10. Maii alteras Nuptias celebravit cum Vrſulâ, Georgii Iohannis Comitis Palatini Luzelſteinii fi-

ii filiâ, ex Annâ Sueciæ Reginâ genitâ. Has
c primas Nuptias eleganti Carmine laudavit
rischlinus. Collegium Illustre Tubingæ ma,
nificè LX M. Aureorum impensis extruxit,
rimo lapide posito, Anno 1589 accinentibus
elicis auspicii causâ XII. Magistris Sympho-
iacis; quod absolutum ipse Princeps 27. Se-
ptemb. Anno 1592. initiavit, perorante gravi-
er *Martino Aichmanno* Cancellario. Hæredes
ùm non haberet, Stutgardiæ in Horto Princi-
pali, ædificiũ verè regium in sui monumentũ
xtrui curavit, vulgò das Lusthaus dictum, in
quod III. auri urnas impendit. Hujus præco-
nium Disertissimi Oratoris facundiam exhau-
ire possit. In Testamento à se condito *Fride-
ricum*, Vlrici Ducis ex Fratre Georgio Nepo-
em instituit. Anno 1593. à Venatione Mar-
bacensi redux Stutgardiæ Catharro apople-
ctico tactus, & suffocatus placidè in Domino
obdormiit 8. die Augusti. Nomen ex merito
Ludovici Pii adeptus, cùm Paternis artibus
Rempubl. laudabiliter rexisset, etiam Rudol-
phi II. Imper. elogio præclaro in literis ad Fri-
dericum Ducem X. Septemb. exaratis, coho-
nestatus. Tubingæ in Templi San.Georgiani
Choro sepultus.

6.

FRIDERICVS, Georgii Comitis VV.
& Barbaræ Hassiæ Landgraviæ filius, Comes
VVirtembergensis & Mompelgartensis, Su-
premus Hericouriæ Dominus, Agnato Ludo-
vico Duce defuncto, factus SEXTVS DVX
VVIRTEMBERGENSIS ET TECCEN-
SIS, Comes Montispeligardi, Dominus Hai-
denheimii & Ober-Kirchæ, Possessor Hypo-
thecarius Ducatus Alençonii, Vtriusq; Ordi-
nis Regii in Galliâ & Angliâ Eques Auratus,
Nasci-

nascitur non die 11. Iulii, ut Crusius habet, sed 19. Augusti Anno 1557. Mompelgarti. Primè quidem à Matre Richovillæ, mox à Patruele Christophoro D. Anno 1568. Stutgardiam accitus, unà cum Duce Ludovico educatur. Anno 1573. Rectorem egit Academiæ Tubingensis. Anno 1578. venit per proditionem in periculum vitæ. Anno 1580. peragratis Sueviâ, Bavariâ, Bohemiâ, utrâq; Saxoniâ in Daniam, Silesiam, & Moraviam, nec non utramq; Pannoniam penetravit. Anno 1586. Germaniæ Principum Legatus cum VVolffgango Comite Isenburgico in Gallias abiit; & eodem anno Colloquium Montispeligardi inter Augustanæ Confessionis socios, & Helveticæ Ecclesiæ ac Genevensis Ministros instituit. Biennio pòst Marchio Mussiponti & Guisius cum sociis in Comitatum Mompelgardicum militem suum effuderunt, ubi nullo non genere libidinis, sævitiæ & avaritiæ sævitum est, CCC. circiter vicis incendio absumptis, quam injuriam Cæsari conquestus est Fridericus. Videatur Meteranus & Thuanus sub hunc annum. Sic & Colloquio Badano interfuit, Año 1599. mense Novembri. Formulam Concordiæ denuò evulgavit, præfatione suâ præfixâ. Dux factus Anno 1593. splendido Comitatu anno pòst ad Comitia Ratisbonensia proficiscitur, & 20. die Iunii urbem ingreditur. Confirmat postea Vniversitatis Tubingensium, & Provincialium privilegia. Extruit Arces, & Principales Domos Haidenheimii, Bacnangæ, Calvæ, Neopyrgi, Neapoli, Tubingæ. Freudenstadium Oppidum in Martianâ sylvâ, condito ibidem insignis structuræ Templo. Ædificat ædem sacram, & Collegium Mompelgardi. Anno 1592. in Angliam trajecit, ubi mari fortunam

nam expertus eſt adverſam. Anno 1599.
ectandarum non emendarum Nundinarum
ıpalium cauſâ anno Iubilæo Romam abiit,
mit Oppidum ac Præfecturas Beſigheimium
Mundelsheimium Anno 1595. Adjecit Du-
tui Falcoſteinium, Eſelburgum, Alteſteigã,
iebencellam, Cœnobium Reichenbacenſe,
irchentellinsfurtum. Anno 1601. Ducatum
Virtembergicum Sub-Feudi Auſtriaci jugo
cimit, & ad priſtinam Liberi Feudi Imperia-
s naturam redigit. Anno 1603. à Iacobo VI.
ritanniarum Rege per Legatum Robertum
ençerum Baronem Stutgardiæ ſolenni &
lendidâ ceremoniâ inauguratur. Moritur
utgardiæ d. 29. Ianuarii, Anno 1608. apo-
lexiâ ſubitaniâ correptus, ubi & inſequentis
lenſis die 26 in Baſilicâ Collegiatâ humatus
t. Conjugem habuit Sibyllam, Ioachimi
rneſti Principis Anhaltini filiam, quam duxit
Iuptiis Stutgardiæ contractis, 22. Maii, An-
o 1581. Hæc vidua facta Leobergam & Sa-
ohæmium poſſedit, & hic paradiſum plan-
ıvit. Defuncta Leobergæ d. 16. Novembris,
nno 1614.

7.

IOHANN-FRIDERICVS parentibus
n. Friderico & Sibylla Anhaltinâ, editus in
ıcem Mompelgarti die 5. Maii, Anno 1582.
EPTIMVS DVX VVIRTEMBERGEN-
IS ET TECCENSIS, poſtea Stutgardiæ
c Tubingæ educatus in Illuſtri Collegio. Re-
torem Vniverſitatis egit Anno 1596. Inde ad
eregrinationes animum adplicuit, & Anno
600. 7 d. Martii egreſſus patrio ſolo Italiam.
nno 1602. Galliam perluſtravit: Tertium
er in peragrandis Germaniæ Principum au-
is inſumptum fuit. Anno 1604. in Nuptiis
Dreſ-

Dresdensibus, cùm *Iohann- Georgius* Saxoniæ Dux sororem ejus Sibyllam-Elisabetham duceret, Legatus Patris fuit. Quintum iter etiā Germanicum fuit, sed & Cimbricum & Bohemicum. Sextum iter Belgicum ad Albertū Archiducem, & Ordines fœderatos. Septimum iter per Bavariam, Austriam superiorem, Pannoniam, indè retrò per Moraviam & Silesiam ad Electorem Brandenburgicum suscepit, ubi prima Amoris Conjugalis fundamenta feliciter jacta sunt. Anno enim 1608. Patri in Gubernaculis Ducatus suffectus, uxorem duxit anno sequente 6. Novemb. Barbaram-Sophiam, Ioachimi Friderici Brandenburgici Electoris filiam, nuptiis regio apparatu Stutgardiæ peractis. Hujus Principis laudes, quibus cumulatissimè abundavit, facundis aliorum calamis descriptæ leguntur alibi. Obiit 18. Iulii, Anno 1628. infinitis curis exhaustus, & in itinere patriæ causâ suscepto morbo correptus. Fuit veræ Religionis & Iustitiæ amantissimus, & Literatorum Mecœnas egregius.

8.

EBERHARDVS DVX VVIRTEMBERGENSIS ET TECCENSIS, &c OCTAVVS, Paternæ Virtutis & Potentiæ hæres, natus die XVI. Decembris, horâ 11. & min.48. circa meridiem, Anno 1614. Princeps Iuventutis Alemannicæ, ætatis anno 13 salutis humanæ 1627. die V. Novembris à Serenissimis ParentibusTubingam in Illustre Collegium introductus fuit. Sequente anno Patrem amisit fato sublatum. Inde sub Patruorum Ludovici-Friderici, Iulii-Friderici, & Matris Barbaræ - Sophiæ Brandenburgicæ tutelâ constitutus, fato Germaniæ calamitosissimè

Duca

ıcatu & ipse exuitur Anno 1634. Hinc Ar-
ntoratum secedit, ubi Anno 1637. die 26.
bruarii, in Matrimonium duxit Annam-Ca-
arinam, Iohannis - Casimiri Sylvestris &
heni Comitis ex Dorothea Solmensi filiam.
vitis Ditionibus magnam partem restitui-
r Anno 1638. mense Octobri, magno Sub-
torum applausu; integrè verò Pace Germa-
æ sancitâ, 20 Octobris Anno 1648. Faxit
eus, ut Majorum Virtutes in Coronam ne-
s in eo admiretur Posteritas, & Eberhardi I.
robitatem: Vlrici animum in utrâq; fortunâ
i similem: Christophori Sapientiam: Lu-
ovici Pietatem: Friderici Avi Magnanimita-
m: Patris Iohann-Friderici Bonitatem Or-
repræsentet, Boniq; Principis exemplum in
præstet, ut quæ sunt Dei, Deo relinquat;
uæ Cæsaris, Cæsari fideliter solvat; quæ Pa-
iæ, Patriæ illibata servet, & suum cuiq; tri-
uat.

IOHANN - FRIDERICVS DVX
VIRTEMBERG. ET TECCENSIS, &c.
berhardi III. D. & Annæ - Catharinæ pri-
ıogenitus felici partu in lucem editus Ar-
entinæ 9. Septembr. pomerid. Anno 1637.
Iittitur Tubingam Studiorum causâ sub in-
oectione Ludovici Berchtoldi, & institutione
Iagni Hæsenthaleri, 9. Octobr. 1648. Faxit
ummum Numen, ut quem in primævo æta-
is flore promittit, in adulta ætate solido præ-
tet, Pium videlicet, Cordatum, Benignum
c Constantem Principem!

Epist. XVIII.

Reverende & Clarissime Domine Doctor,

NVnquam literarum Tuarum, fine aliquo pudore & verecundia, cognosco argumentum. Semper enim in illis aliquid mihi tribuis, & quidem longa manu, quod ego in me vix deprehendo. Illud tamen efficis, ut tantò sæpius meta, ad quam collimare debeo, oculis meis obverſetur, aliquando ferienda. Sed neque ſolis epiſtolis curſum meum proſequeris, munera quoq; addis longè acceptiſſima. Quippe Libellum à Te nuper editum, rectè accepi, & ex ipſo titulo, qui amicitiam Dei præfert, præſtantiam ejus æſtimavi. Fateor me Tibi multis nominibus devinctum, tum hoc ipſo dono, cum affectu Tuo tam pio, tam conſtanti. Reciprocum ergò Tibi firmiter pollicere, & belliſſimè vale.

T. R. D.

Tubingæ 9. Maii,
1649.

Obſervantiſs.

IOHANN FRIDERICUS
Dux VVürt. & Tecc.

EPIST. XIX.

Reverende & Clarissime Domine Doctor,

TEr illustres epistolæ Tuæ elegisti conductores, & supra expectationem meam splendidos. Tres nimirum Principes Germaniæ nostræ, & Guelphicæ imprimis Domus prælustres gemmas. Erunt mihi hospites longè gratissimi, & ubicunque illi corpore degant, memoria tamen eorū apud me semper manebit. Tibi verò novas habeo gratias, quòd non verbis tantùm, sed imaginibus etiam me ad Virtutem exstimules. Dabo operam, ut sollicitudo tua pro meis incrementis nunquam frustretur. Quem in finem Deū, qui nos incolumes servet diu, precibus piis exorabo. Tu juva, & vale.

T. R.

Tubingæ 23. Maii 1649.

Observant:
IOH: FRIDERICUS D. VVirt.

EPIST. XX.

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine clementissime,

OPportunè Tuæ accesserunt, suavissime Princeps, ne abessent iis, quibus colophonem libello nostro impositurus eram, sed comitibus is, quorum imaginibus es delectatus, unà in forum prodires, & Studiorum, Virtutisque efflorescentium, Te socium probares. Id quod plurimum laudo, & generosæ indolis argumentum certissimum habeo, quæ non aliis stimulis, quàm alienæ

Virtutis, famæque intuitu, magis accenditur, & in honestam æmulationem rapitur. Quotiescunq; igitur Heroum atrium ingrederis, quod fida custos Veritatis, & meritorum dispensatrix Historia Tibi pandet, cum hinc per quatuordecim Avos Paternos VVirtembergicos, Eberhardum I. Vlricum I. Eberhardum II. Vlricum II. Eberhardum III. Vlricum III. Eberhardum IV. Eberhardum V. Vlricum IV. Heinricum, Georgium, Fridericum, & Johanem Fridericum: illinc totidem Rhenenses, Conradum I. Gotfridum, Conradum II. Iohannem I. Iohannem II. Iohannem III. Iohannem IV. Iohannem V. Iohannem VI. Iohannem VII. Thomam, Ottonem, & Iohann Casimirum, contemplaberis, Illustris Virtutis cùm Togatæ, tum Sagatæ Statuas, vel simulacra ad imitandū Tibi proposita statuas, quæ non magis oculos reficiant, quàm animum ad sectandum iter idem arduum percellant, & emoveant. Id quod Tibi jucundius & facilius reddent comites, Guelphici Fratres Incluti, & individui, qui quantum Te annis, & profectibus jam præcesserunt, tantum facilitate sua & humanitate Tibi succollabunt, blandeque post se trahent, ut feliciter eos propediem assequaris. Christus verò omnia auspicata Tibi, & expedita reddat. Vale florentissime & fave

Illuſtr. Celſit. T.

Stutg. 2. Iunii 1649.

Clienti humillimo

Ioh: Valent: Andreæ T. D.

Quæ serius accesserunt Epistolæ, luce suâ defraudandæ non fuerunt.

EPIST. CCCCXVIII.

Ad Pr. ANTONIUM ULRICUM, *S. P. C.*

Illustrissime & Celsissime Princeps, Domine longè clementissime,

JAm à tertio Non. Aprilis nihil tui vidi, quæ nimis longa mihi mora est, pro Literarum Tuarum desiderio, ut quæ nunquam non sapidi aliquid ferunt. Quid de Dn. Fratre Rudolpho Augusto *dicam, à quo post* 13. *Cal. Martii nihil accepi, id quod pro Anno propemodum computo. Ne igitur Literarium hoc commercium deseras, reducendum Te in viam his meis duxi, quibus præmisi munusculum* Michaëlis Angeli Bonaroti *manu, Judicium extremum, majore, quàm vulgus habet, formâ, ad imitationem ejus, quod ab eodem Romæ in Pontificis Sacello cum admiratione videtur, expressum, quod ad Vos pervenisse dubium non est. Cùm* Organum Musicum, *quod in* Augusto Templo *ad* gratitudinis aram *dedicavi, exceptum lætus audiverim, de quo in gratiam Tuam & artificis memoriam commentari aliquid lubet. Inventor quidem Machinæ fuit* Conrad⁹ Schottus Stutgardianus, *famosus ille Organopæus, qui tùm planè puer Variolorum morbo visum perdidisset, ingenio tantum supplevit, ut quovis Argo es-*

set oculatior. Nec verò tantùm ingenio, quantum etiam manibus est operatus: noctu magis quàm interdiu, quòd ægris oculis, nec Solis, nec facis lumen facilè ferret. Opificem tamen Inventionum suarum præcipuum habebat Iacobum Ganserum, *in Laubacensi villa, quæ Oberkirchensis dominii, rustico Patre, & operario, in re tenui natum, sed ingenio æquè incomparabili, planeq; nobili, ut qui ductorem cæcum generosâ æmulatione non tam assequeretur, quam nisi fuisset oculatus, superâsse etiam dici potuisset, certè quicquid ille excogitavit, hic felicius etiam & perfectius expressisset, ut dubitares, magis illius speculationes cæcas, an hujus operationes affabrè confectas mireris. Doctus hic primùm fenestras facere, transiit ad scriniarios, denique Organopœus emersit, utrumq; notum ut familiarem habui, hunc etiam per semestre domesticum, cùm* Calvæ 1628 *Organum publicum reficeret, ubi in ipsâ æde sacrâ fulmine leviter tactus propemodum periisset. Vir fuit vultu & corpore nihil magnum referens, nullius sui jactator, aut æstimator, cibi potusq; parcus, temporis avarissimus, laboris sui æquissimus venditor, quem ut bonâ fide probaret, unicè solebat esse solicitus. Cæterùm ut ingenio omnia complectens, & pervolitans, ita manu variorum opificiorum gnarus. Cumq; esset omnibus admirationi, nunquam sibi satisfaciebat, ut si in literas incidisset, fortasse sectæ alicujus author fuisset futurus. Huic tamen cùm res domi angustior esset,* Augustus *aliquis defuit aut* Mecœnas, *ex qua postquam esset arduo labore eluctatus, lue populari est cum omni familia sua extinctus Anno* 1635. 26. *Augusti, magno* Canstadiæ, *ubi sedem fixerat, ob morum modestiam & facilitatem, artisque crescentem famam, civibus: mihi maximo desiderio relicto, in eo enim totus eram, ut Virum* Calvam *transferrem,*

urbem-

urbemque meam, non iniquam ingeniis & illiberalem cive hoc nobilitarem; Magnam in eo jacturam feci, hactenus irreparabilem duplicatam obitu Iohannis Kretzmajeri Stutgardiani, *Architecti & Artificis incomparabilis Anno* 1629. 5. *Novembris, bis quasi in filio* Friderico, *familiari meo* 12. *Junii Anni hujus extincti. quorum contubernio omnis sors ferenda mihi facilius fuisset. Nunc amici mei quondam jucundissimi memoriã, & excellentis in hoc genere ingenii & industriæ testimonium qualecunque his literis extare, apud Vos verò Artis ipsius specimen volo, non tam cultus mei & obnoxii animi, quàm rerum* cœci oculati, & Artificis modesti *monumentum unà futurum, nam ut illo nihil fuit perspicacius, ita hoc nihil temperatius & lenius, optando potius, quàm expectando in magnis ingeniis condimento, quibus stultescere propemodum solenne est. Vtinam verò quoties ejus Musica non* Anseris *sed* Oloris *Vos oblectabit, &* Ganseri, *& mei memoria in mentem veniat; qui vivus mortuusque, sum, eroque Incluti Patris, Domusq; Tuæ Serenissimæ Tuæque* Illustriss. Celsit.

Cliens humillimus

Ioh: Val: Andreæ **T. D.**

Dn. Dn. Fratribus cum precibus meis salutem submissè adscribo. Stutg. 23. Maii 1649.

EPIST. CCCCXIX.

Pr. FERDINANDO ALBERTO.

S. P. C.

Illustrissime & Celsissime Princeps,

Domine longè clementissime,

C*Vm nuper ad Inclutum fratrem Tuum D. Antonium Vlricum literas dedissem, Tuæ accèsse-*

runt; quibus me non minorem debitorem lubens profiteor; sunt enim profectò floridæ, à picturâ oculis gratæ, ab humanitate suaveolentes, ab eleganti ingenio plurimi spiritus & efficaciæ. Quòd verò in pulvillos Emanuelis Thesauri, ex quibus flosculorum corollam Vobis contexui, inquiris, & an gravioris odoris exotica iis fortè sint interspersa, percontaris, sic habe, ipsum Thesaurum in manibus Serenissimi Patris Vestri esse, sagacissimi & perfectissimi, quid legendum Tibi, vel negligendum sit arbitri, cujus etsi nihil in eo noxii deprehenderim. judicio, meum submitto, hoc lubentius, quò ex usu Tuo, certius & felicius. Dum hæc scribo, aliæ Tuæ advolant 29. Maii scriptæ, quibus comites suas dilectissimus frater Dn. Ant. Vlricus, etsi subitaneas esse voluit, hoc acceptiores, quòd de reditu, utinam auspicato & felici Illustriss. fratris Dn. Rudolphi Augusti ad Vos, læta & optata mihi nunciarent, de quo ipsi submissè gratulor; mihi ex animo gaudeo, & ut iter hoc in Virtutis & Scientiæ incrementum contulerit, majoraque posthâc conficiat, ex animo precor. Felicem Theophilum judico, quem admiseritis; feliciorem futurum, si in tutelam suscipiatis, sinumq; Vestrum; sin etiam approbetis, felicissimum. Seleniana Augustalia jam jam sunt post longam Navigationem in portu, brevi cum bono DEO Vos Authores suos revisura, ut Vos ipsos in elegantiæ & humanitatis illustris splendido speculo intueamini. Valete Illustrissimi & Conjunctissimi fratres & favete

Ill. C. C. C. V. V. V.

Clienti humillimo

Ioh. Valent: Andreæ T. D.

Salutantibus ex familia Vestris, & benè volentibus, tantundem cum fœnore repono.

Stutg. 13. Iunii 1649.

EPIST. CCCCXX.

Vir plurimum Reverende atque Clarissime,

Vidimus, quæ sedula manus Tua ex hortis Thesauri amœnissimis nobis ad usum & oblectationem nostram excerpsit, è quibus conjicere licet, quid alias in iis exhibeatur, aut adhuc reconditum lateat. Sanè suavissimi sunt spiritus, quem ut rectè quis olfaciat, emunctioris naris esse oportet. Nos interea non tam germina, quàm solum ipsum miramur, imò non unius hominis operâ, sed mutuo & indefesso multorum labore, ea producta fuisse existimamus. Quòd si verò tantum virium uni Deus concessit, ejus benignitatem agnoscimus, & grato laudum præconio celebramus. Scire vellemus, quoniam pulvinos penitus introspicere nondum licuit, num ibi contineantur exotica, & quæ fortè gravi odore movere possent. Quòd si hoc, non dubitamus tamen, quin ad minimum oculis grato spectaculo esse possint; Ex iis si quid nostris subnectere velis, perinde erit: Laborabimus & nos semel feliciter ceptis subinde aliquid addere, quantum quidem tenuitas nobis permittit. Theophilum Tuum nostri quoque amore flagrare videmus, habebit nos vicissim pronos & reconditæ eruditionis admiratores, quamprimùm comparuerit. Interea Tibi quicquid est in nobis officiorum tribuimus, & Te quàm optimè valere jubemus. Guelpherbyti die 22. Maii 1649.

Clar. Tuæ

Studiosissimus
FERD. ALBERTUS
Dux B & L.

A fratre & Efformatoribus nostris pl. salutem accipe.

Epist. CCCCXXI.

Salutem & felicitatem prosperam!

ERe quidem esset, Vir Clarissime, ut meas quoque adderem, quem pari benevolentiæ genere prosequeris. Quoniam autem nonnulla intervenere, quæ calamum manu excutiunt, cum proximâ, DEO dante, occasione eò promptius arripiam, & quod erga fautores animi gratitudo postulat, cupidissimè exsolvam. Interea moram hanc patienter feras, & quàm optimè valeas.

T. Clar.

Observantissimus

ANTONIVS VLRICVS
Dux B. & L.

Epist. CCCCXXII.

Vir plurimum Reverende atque Clarissime,

VEnit ad nos tandem, quem toties promisisti, Theophilus Tuus, & ut nulli dubitamus, felici satis itinere. Nondum licuit sciscitari, quid ferat. Habuimus enim hisce diebus alios hospites, qui jam triduum per terras nostras divisi apud nos commorantur, & præ aliis ceu primæ celebritatis homines observari volunt. Vidimus tamen, & per priores saltem lineas, quòd nominibus nostris dicare volueris, quod uti ad stomachum nostrum, ita crebrâ lectione in succum & sanguinem nostrum convertere studebimus. Interea pro munere hoc gratias agimus maximas,

mas. & cùm par reddere non possimus, alio studiorum genere promptitudinem nostram Tibi declarabimus. Salutem, quod nuper rogabas, Dn. Fratri nostro coràm, nunciabimus, quem DEVS salvum atque incolumem brevi ad nos reducere velit. Interea cum Tuis optimè vale, & proximè longiora, cùm plus otii nacti fuerimus, à nobis expecta. Scripsi hæc festinans. Guelpherb. die 29. Maii 1649.

Cl. T.

Observantissimus

FERDINAND. ALBERTVS
Dux B. & L.

Per me Tuis verbis salutati sua vicissim studia Tibi paratissima deferri petunt.

I.

Johannes Valentinus Andreæ Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctor &c.

Per ἀναγράμμα addit. aſpir.

Cùm ſeptimum Climactericum, DEO dante, attigiſſet.

Ah! nonne hicce noſter hierarcha & Theologus à letho atanatos dicendus?

Divinum eſſe aliquid, nec perſcrutabile planè
In numeris ingens perſuadet machina mundi
Quis numeris agitur, numeriſq; cohæret: & annos
Non mirum eſt igitur nonnullos eſſe ſalubres
Infeſtoſq; alios aliis magis omnibus ævis.
Inprimis illos, quos ſacros fortè vocamus,
Et quis per certas veluti ſcalaſque gradusque
Scandimus, & morti propiores aſſiduè uſque
Provehimur, mortiſq; ſenectæ prodromo, eosdem
Dicimus & Scalares; queis mutatio certa
Inſigneſque vices contingunt corpore noſtro
Semper, & obrepunt labefactæ tempore vires.
Dentimus proinde in primo, pubeſcimus altro,
Tertius inſolitâ forma lanugine malas,
Acceditque novum ſemper quid, donec ad ἀκμὴν
Progreſſi, paulatim iterum decreſcimus ipſi
Extremum ad vitæ ſpacium ſerumq; ſepulchrum
Mille modis morbo interea mortiſque propinqui:

t non immeritò nobis gratemur, ubi horum
ncolumes egressi aliquem superavimus aptè.
DEI Andreæ nostri venerande Sacerdos
Et tuum honorabo scalarem, at paupere pompâ
Quum nec opes majora finant)eundemq; precabor
Felicem ut videas, longumque diuque superstes.
Vive igitur felix subvectus laudibus, usque
In cælum, ingenii probitatis, judiciiq;
(*Immortalis ubi & vives*) celeberrimus ævo.
Vive diuque meo & cum Augusto Principe, vive
Tutus ope illius, qui operatur in omnibus omnia
Quique est Natalis, fatalisque arbiter ævi:
Nec metue aut Martis Saturni aut noxia signa:
Quando hisce in terris ex nominis omine & audis
Ah nonne hicce noster Hierarcha & Theologus à letho atanatos dicendus?

Ita condebat

ex animo

Aulæ inter strepitus, interq; negotia centum

Martin Goskii. D.
C. P. Cæs.

II.

ζθ.

Parod. Horat. l. 4. Carm. Ode 15.

MEns, me volentem tollere laudibus
Doctas loquelas, admonuit citò
Ne jubari præbere lucem
Viribus his cupiam, coruscans

Lumen virorum : ſic viget ingenI
Fervor latinus : ſic viget ingenI
Fervor ſenilis : quem vigorem
Vix pariter dabit orbis ætas.
Hic Principum arces pulſat, & ordinem
Rectum, ac vaganti frena licentiæ
Infringit ; hic aufertq; culpas,
Quod pietas jubet atq; virtus,
Per quam piorum nomina Principum
Crevere magnis laudibus altius :
Per quam piorum laus ab ortu
Fulſit ad heſperium cubile.
Infracta cuſtos ſi PIETAS Ducum,
Non vis furoris concutiet domum :
Non ira, quæ vexavit omnes
Hactenus, ac agitavit orbem.
Non grex Clientum, turbave noxia
Edicta rumpent Principis optimi :
Sed viribus junctis amabunt
Ceu Patris egregiam coronam,
Sic ſic profeſtis lucibus & ſacris,
Inter beati munera Principis,
Cum prole matronisq; noſtris,
Ritè Deum prius adprecati
TE, TE VALENTEM pectora regia
Formare ſcriptis, colloquiis piis
Mulcere mentem, TE ſupremi
Progeniem Domini canemus,

Debitæ obſervantiæ
& honoris ergo f.

M. Jacobus Honoldus,
Templi Cathedralis apud
Ulmenſ Miniſter, & Gy-
mnaſii Prof. publ.

Qua

Quæ Princeps Agapetianus ille
Regiâ docuit Duces scienda
In Scheda: quod & Alcuinus Abbas,
Regis Francidos Institutor ille
KAROLI, benè rebus usque gestis
MAGNI, vir pietate r..riore,
Clarus omnigenâ scientiaque,
Doctor dexteritate singulari,
Et studente fidelitate Regi
Et morum monitor gravis bonorum,
Et scriptor brevis ad modum Laconum,
Præcepit breviter, simul severè,
Iucundeque suo bono Monarchæ:
Et quod aureolum, DEOque plenum
Illud Pythagoræ monet poëma:
Ac Isocratis illa Regi digna
Verba: quæ Siculo Plato tyranno,
Atque Aristoteles suo & Philippi
Nato, voce, simul loquente charta
Suggessit, velut os DEI sonantis:
Hæc tu Principibus Tribus Iuventæ
BRVNSVICENSIBVS, illius SELENI,
In cujus facie nec artis ulla,
Nec virtutis inest phasis vicissim,
Quod semper similis sibi coruscat,
Cingentes & habet Ioves minores:
Hæc in Literulis Tuis Latinis,
Quas dedere suâ manu novenæ,
Ornavere suis metris sorores;
Quin quas Spiritus entheus Iehovæ
Dictavit Tibi suggerens monesque.
Tu Nathan velut erudis Iedidjah,
Formas CHRISTOPHORO Tuo gemellas
VVürtembergiacûm domi, forisque
Illustres animas Ducum potentum,
Queis virtus, pietas, laborq́, curæ est;
At cyclopica vita, mors & orcus,

Dux es Nobilibus viæ fidelis,
Comis atque Comes, quoad labore
Virtutis teneatur, artiumque
Montis per salebras apex supremus;
Vt sic Semina, quæ relicta bello,
Surgant Nobilium, ferantque fructus;
Et pulchras Sapientiæ coronas,
Alto quæ residet jugo, reportent.
Obscuri generis, reique parvæ
Commodare Tuum simul Libellum
Gnatis, atque viam manu tenendam
Commonstrare, probatur hac sequelâ:
Hoc quodsi celebres Duces oportet
Conari in studiis; quid ergo vulgus
Hac in re faciat, cui negatum est
Hac emergere sorte viliori
Literis sine, moribusque cultis?
Ergo quos generosa stirps celebrat,
Et quos sors posuit gradu sequenti,
Et quos sidere vult ad ima sedis,
Huc omnes veniant, modum petitum,
Quo domus decus augeant avitæ;
Ornamenta sibi parent ve primi:
Ex his Literulis utrique discant,
Ne sint in studiis parerga plura
Ergis: ne pietate destituta
Ars sit, quod framea in manu furentis;
Sed nostræ cynosura certa vitæ,
Dum portum teneamus expetitum.

Imq;

M. Johann. Mair/Conrect. & Profess. publ. Orat. & Poetic. Gymnas. Ulm.

Quæ-

Quæritur: Andreæ *cur sic redametur in orbe*
A tantis ac tot Principibusque Viris?
Est genio magnus, major *sermone, styloque*
Maximus, *ut scriptis claruit eximiis*;
Claret adhuc, magè sed clarebit, quando legentur
Hoc in CLARORUM *verba notata libro.*
Affinitat honor. ergò f.l. mq;
M. Rudolphus Roth/
Past. Oelling. & Byssing.

Ne pagella quædam vacarent, & seqq. Acclamationes in Climactēr. annum adjectæ sunt.

V.

Quæritur *Andreum* quoq; sit *Ianiq*; *Valentis*,
Ictibus adversis quassati utcunq; per ævum;
An magis ut suevit lachrymari *fœmina* mollis,
Imbellis ceu turba solet sibi vellere crines;
Cui subeunda venit sors acrior ubere voto?
Quæritur heus inquam, quæ sit vox ingeminata
Pectoris è fibris toties, totiesque reposta:
Sufficit! obe sat est! quin *Sufficit* oppidò abundè!
Ast canit Heroas priscos ἀειδάχρυας Ἄνδρας;
Carmine quin grandi dilaudat docta Poësis.
Quid, quod idem sonuit Thesbites ille Propheta,
Gratia quem Iovæ fovit, fecitque *Valentem*
Mirificè; nihilominus indignatio cepit (quo:
Sancta *Virum* Domini, Zelo exclamaret ut æ-
Sufficit (*obe sat est! obe satis est!*) Pater alme!
Tolle animam lessam, Patribus minimè melioris.

Verbe-

Verbere defessam multò, quæ scorpius orbis
Tiger, & infligit lethalia vulnera morsu
Pectore de puro Christum suadentibus agrum.
Hinc & adhuc meritò pia mens exclamat idē-
illud
Sufficit, heu bone Christe! Animam tolle! *ohe*
sat esto!

M. Ioh. Henricus Faber,
Pastor Augustæ ad D.Vlrici.

VI.

A*Vgusti ter sexta dies, minus una, Patrone,*
Est Tibi Natalis, Vir Reverende, dies,
Sexaginta duos vixisti sospes in annos,
Jane Valens, valeas porrò valenter, Amen.

Marcus Dolmetsch,
Consiliarius Wûrberg. annorum 77.

VII.

Johannes Valentinus Andree,
S Theologiæ D.

Anagramma.

Nonne tenes? in Theologia Ihesu
valde radias.

Q*Vi meruit suos Grandævi Nestoris Annos*
Vivere, Mathusalæ & secla videre senis
Sexaginta hodiè tres & feliciter Annos
Andree aggreditur: Gloria sola DEO,
Gratandum certè est votis gratatu ut olim
Ipse sibi Augustus Legifer Imperii,
Dum vim fatalem superâsset scansilis Anni,
Et sibi vovisset Tempora plura dari,

Nunc

Nunc quoniam hoc idem venit exoptabile Tempus
Hoc ipsi votum nectimus ex animo,
Principium ut clarum lucebat scansilis Anni
Lætus & innubis sic quoque finis eat.
Vive diu venerande Senex, Tua vivida vita
Spiret honora solo: spiret honora Polo.

Favoris, Honoris & Amoris
Nec non
Boni ominis ergò
à
M. Ioh. Joachim Schüele/
Collegâ & Compatre.
M. Christophoro Zellero,
Colleg. Cogn. & Comp.
M. Iohanne Schmidt/ Pastore ad S. Leonhardi.
M. Iohanne Schûbel, filio spirituali & compatre.
M. Tobia Pfistero, Diac.

VIII.

FRustrà Canitiem pingis frontemque serenam
Sculptor, cælo usus quamlibet artifice:
Frustrà oculos sculpis radiantes pectora clausa:
Frustrà Naturæ Ars æmula tentat opus.
Candidior nive mens latet intus, apertaq; frons est;
Lyncejamque aciem pingere quis poterit?
Quis pectus patulum sincerius, & sine fuco?
Nec facilè Momus quod reprehendat, habet.
Candida mens hominem, frons & placabilis intus:
Hæc tantum possunt condecorasse Virum,

Honoris & amoris debiti
ergò addidit
Petrus Meuderlinus,
Gymnasii Annæani
Ephorus Augustæ,

IN SELENIANUM,

Sta paullisper Hospes, & Lege!

SELENIANVM quisquis hoc ingressus es,
Expende Nomen unde adhæserit Loco:
SELENVS Ille Principum Terræ Decus,
Brunsvvigi Oculus, AVGVSTVS Augustissimus,
Tantū VALENTI indulsit ANDREIO suo,
Pro Liberalitate maximè optumâ,
Vt has sibi ædes vendicaret splendidas;
Quas ILLE picturis decorat omnibus,
Et queis potest exornat Elegantiis;
Quas inter AVGVSTI Ipsius Donarium
AVGVSTVS Ipse pictus Hoc Agalmate,
Subliminari Isto in TriclinI prominet,
Cum Ternione succiplens Principum.
In gloriam Brunoniæ Inclutæ Domûs,
Vt jure id AVGVSTI voces Sacrarium,
Almo quod Ipsius est sacratum Nomini.
Huic ergò vitam compreceris optumam,
Cum Ternione Filiorum maxumâ;
Sic & Hospiti Felicitatem perpetem,
SELENIANVM quisquis istuc inspicis:
Sic lætus ingredere, & bonâ cum pace abi!

IN.

INDEX.

A.
Bigail 504
Achilles 69
gapetus 487
gricola 58
grippa 248
lexander M. 5. 62. 529
lgaier 403
lterman Iohan. 246
ndreę Gottlieb 310. 357. 375
ndreæ Iacobus 168. 110
ndreæ Iohan. 271
ngla Elisab. R. 540
nhaltin⁹ Georg. 315
nhalt. Ioachim. 505
nhaltin. Ioach. Ernest. 506
ntoninus Imp. 137
pelles 69. 330
pollo 347
rgentoratum 138
rndius Ioh. 64. 120. 251. 332.
ugusta Vind. 35
ugustinus 234. 251
ultrius Ferdin. 280
B.
Badensis Cath. Vrsula 495. 501
Baiard⁹ Terraili⁹ 419
Bansovi⁹ Samuel 282
Baumgartner Hieron. 335
Bebelius Iohan. 242
Beccius Georgius 271
Berchtoldus Ludovic. 402. 550
Bergomensis Philip. 359
Betsius 548
Blessing 362
Bocatius Iohan. 359
Bonaratus Mich. Ang. 203. 312. 344. 579
Borchius Ascanius 42
Brandenbur. Elector 428. 431. 454
Brassicanus Alexand. 242
Brunsuic. Frider. 335
Brunsuic. Heinr. 335
Brunsuic. Iulius 335
Buno 384
Burger Adam 271. 274. 279
C.
Calixtus Georg. 40
Calotus Iacobus 327
Calva 160. 166. 268
Campanella 146
Capseneth 169

Caro-

Carolus M. Imp. 31
Carolus V. Imperat. 357. 460
Carthago 386
Cato 360
Cellius Erhard. 282. 295
Celtes 242
Christina R. Suec. 570
Christi genealog. 521
Chronologia 10
Cicero 50
Clavius Christoph. 7
Commodus Imper. 137. 141
Cornelius Ludovic. 214. 292
Cranachius Lucas 460. 462. 464
Crusius Mart. 214. 292
D.
Daniel Proph. 51
Debora 504
Demetrius Poliorc. 34
Dürerus Alb. 14. 200. 201. 202. 203. 280. 308. 311. 313. 317. 319. 324. 327. 344. 346.
Durlachium 501
E.
Effern Barbara 271
Elias Tisbites 38
Ephesus 529
Evenius Sigism. 332
F.
Fasnachtin Elisab. 27
Ferrariens. Alphons. 3
Fioravanti 31
Flaccius Matthias 5
Freinsheimius Ioh. 5
Freisius 38
Frisius 115. 118. 13
Fuggeri 35. 33
Furleger Christoph. 26
Furtenbach Ioseph. 112, 134. 139. 142. 163. 167.
G.
Gallus Francisc. I. 35. 335. 419.
Gallus Ludov. XI. 9
Gamaliel 41
Ganserus Iacob. 58
Gartner 34
Gauricus 14
Gerion 27. 74
Gesnerus Conr. 29
Geographia 10
Geppingen 361
Grüning. Agn. Elis. 284
Gruning. Elisab 271
Grüninger Erasm. P. 271
Grüninger Erasm. F. 273
Grüninger. Iosua 271
Gruterus 292
Goliathus 38
Gosem 529
Goskius Martin. 159. 384.

Guel-

uelphius Leo 4. 299
uerbeltadt 167. 178. 183. 192.

H.

afenreffer Matthias 41. 56. 94. 421. 422. 436.
aggai Proph. 529
alberſtat 327
anna 190. 504
aſſus Otto L. 495
einhofer Philip. 147. 148. 182. 184. 225. 267. 276.
elmſtet 549
eerbrand VVilhel. 544
ercules 529
eſenthaler 402. 550
eſſus Eobanus 460
iskias Rex 136
iſtoria 8
omerus 69
ornhuſium 131. 168. 178. 377. 380.
ulda 504
uttenus Vlricus 242

I.

aël 504
eniſch Paulus 227
m-Hof Hieron. 401. 403. 450. 452. 453. 462.
orger. Ioh Septim. B. 402. 410. 49.
oſua 90. 322
Iubilæus 271, 280, 295
Iudæi 82
Iuditha 504

K.

Keil Iohann. 422. 425
Kram Frideric. 42. 44. 136.
Kretzmajer Ioh. 581
Kriechingen B. 551. 560.

L.

Laiminger Chriſtoph 42
Leibniz Chriſt. 332
Lente Haimhart. 410. 412. 442. 433. 450. 509.
Lipſius Iuſt. 217. 446
Lutherus Mart. 201. 219. 258. 460. 462. 463.
Lycoſthenes 292

M.

Machiavellus Nic. 146
Meiſardus Math. 251. 32.
Mageirus David 220. 272.
Manaſſes 137. 141
Manna 3
Maria Virgo 504
Marian. Ioh 393 449
Marconetus Abrah. 42. 44. 136. 147. 238.
Marſyas 347
Matheſis 5. 8. 157
Maximil. I. Imp. 280. 313. 335.
Mecœnas 248

Mega-

Megapol. Sophia Elisab. 65. 353. 355. 359. 362. 471. 502.
Mellerstadius 335
Medicei 335
Medices Cosmus 35
Melanchton Phil. 194
Mestlinus Mich. 272
Michelsp. Steph. 267
Michol 504
Miltiades 295. 299
Monasterium 494
Moncornetus 327
Mornæus Philip, 96
Moscria Maria 220
Moses 322
Mullerus 463
N.
Nehemias 529
Nero 96
Nessellus Martin. 97. 106.
Nicias 330
Nordlinga 107
Noriberga 35. 313. 316. 344.
Nostradamus 146
O.
Optica 61
Ottomannus 132
P.
Palatinus Philip. Ludov. D. 35
Parrhasius 330
Paschasius Carol. 226
Pax 408. 416. 418. 456. 465. 467. 512.
Phidias 38
Pirckheimer Bilibal. 308. 31
Plato 6
Plinius 281. 36
Politica
Polonus Sigism. R. 3
Pomeranus Philipp⁹ D. 26
Praxiteles 38
Priscianus 7
Protogenes 33
Q.
Quintilianus 47
R.
Recupitus 158. 16
Reiscach Geor. Hein 55
Rievylin Iohan. 11
Roboam 137. 14
Rubenius Pet. Paul. 19
Rudolph. II. Imper. 35. 308. 31
Rupisspolet. Iacobu 37
Ruthardus Casparu 159. 162. 16
S.
Sabaudus Carol⁹ 51
Sacharia 52
Salvianus 21
Salomon Rex 137. 35
Salustius 41
Samson 3
Saraceni 8

Sauber-

Saubertus Iohan. 187. 193. 194. 202. 218. 241. 250. 251. 258. 312. 315. 328. 329. 331. 332. 370.
Saxo August Elect. 35. 294
Saxo Frid. Elect. 100
Saxo Frid. VVilh. D. 445
Saxo Iohannes Elect. 294
Saxo Ioh. Frid. Elect. 294
Saxo Ioh. VVilh. D. 445
Saxo VVilh. D. 100
Schäfer Michaël 56
Schecius Jacob F. 283
Schiccardus VVil 160
Schmidius Iohā. 251. 33[illegible]
Schorndorfium 179
Schottelius Iustus Georgius 16. 163. 53. 59.
Schtilinus Iohan. Ioachim. 274
Schvvarzkopf 261
Scipio 413
Seneballat 529
Seneca Anneus 248. 477.
Selenianum 217. 243. 244. 246. 247. 248. 252. 254. 263. 264. 284. 293. 397. 476.
Seuterus 217
Sol 10. 11. 12
Solimannus 35
Solmenses Comites 383
Solmensis Dorothea 232
Stockholmium 540
Sturmius eques 335
Susanna 504
Synodus 409
T.
Tacitus Cornel. 58. 146. 148
Themistocles 295
Thesaurus Eman. 513
Thuanus Iacob. Augustus 164
Titus Imp. 356
Tobias 190. 529
Trajanus 356
Trevv Abdias 150
Tubingæ 11. 12. 445. 447. 448. 451.
Turca 158
Turrenius 361
V.
Varenbuler Nicolaus 282. 295
Venetiæ 37
Vitruvius 115. 118
Vives Ludovic. 504
VV.
VVagnerus Tobias 177. 181. 186. 192. 233. 236. 237. 240. 244. 307.
VValterina Reg. 282

VVede=

VVedemannus 159
VVeinmann Erhard⁹ 553
VVencesla⁹ Imp 141
VVensius VVilhelm⁹ 42. 72. 73. 445
VViderholtConr. 403
VVirtebergia 12
VVirtemb. genealog. 563. 564
VVirtemb. Antonia P. 506
VVirtemb. Anna Cathar. P. 505
VVirtemb. Anna Iohanna P. 506
VVirtemb. Christophor. D. 294. 400. 459. 460. 550.
VVirtem. Eberh. I. D. 550
Eberh. II D. 550
Eber III. D. 259. 292. 550. 551
VVirtemb. Faustin. P. 506
VVirtemb. Floriana P. 506. 544. 548
VVirtemb. Frider D. 56. 550
VVirtemb. Ioh. Frid. D. 192. 402. 550
VVirtemb. Ludovic. D. 550
VVirtemb. Vlricus D. 550
Vlricus P. 13. 40. 47. 232

X.

Xerxes 125

Z.

Zeller Ioh. Vlric. 147

FINIS.



VLMÆ, Typis exscripsit
BALTHASAR KUHNE, Reipubl. Typogr.